EXERCITATIONES THEOLOGICO-MORALES DE ACTIBUS HUMANIS, ET PECCATIS...

Je n Jacques Aymar

EXERCITATIONES
THEOLOGICO-MORALES
DE ACTIBUS HUMANIS, ET PECCATIS

Juxta veriora Doctoris Subtilis principia, scholastica methodo ad usum studiosæ juventutis accommodatæ.

AUCTORE R. P. AC M.

F. JOANNE JACOBO AYMAR

PROV. AQUIT. ANTIQ. MIN. OBSERVANTE,

LECTORE JUBILATO,

Sacræ Facultatis Parmensis Doctore Collegiato, Regiique Hispaniarum Infantis Parmæ Ducis Theologo.



BONONIÆ MDCCLXII.

ET PROSTANT VENALES VENETIIS

APUD ANTONIUM ZATTA.

REVERENDISSIMO PATRI

CLEMENTI A PANORMO

TOTIUS ORDINIS S. FRANCISCI MINISTRO GENERALI.

FRATER JOANNES JACOBUS AYMAR FELICITATEM P. P.

Quod bene ac sapienter a Majoribus videtur institutum, Reverendissime Pater, viris dignitate simul ac virtute clarissimis illorum volumina nuncupari, qui Reipublicæ litterariæ nomen darent, quorum subnixa patrocinio, a lectore æquo rerum æstimatore oculo non ingrato reciperentur, id observare religioni ducens, quas olim pro munere meo studiosæ juventuti præfectus habueram Theologicas exercitationes, nunc vero a me diligenter recognitas, prælo commissurus, de Mæcenate deligendo minime anxius hæsi. Neque enim aliis sub auspiciis, Reverendiss. Pater, quam sub tui nominis umbra in lucem illas prodire æquum arbitrarer. Istud, etsi parvum, meæ in te venerationis tibi debebatur testimonium, ut studiorum meorum primitias circa generalia Moralis Christianæ principia Viro consecrarem religiosissimo, quem moralis vitæ archetypum omnes merito demirantur. Hac, quæ in te refulsit ab ovo, morum integritate, quam innata comitatur urbanitas, non minus quam singularibus quibus clares ingenii dotibus, cunctorum tibi animos a primo juventutis flore ita devinxisti, ut officiis omnibus deinceps quæ scientiam & virtutem prædicant, feliciter functus, Provinciæ tuæ, cunctis sibi gratulantibus, virtute magis quam ætate maturus, fueris præ-

ſectus. Nec illos qui tibi hunc detulerant honorem, idque munus crediderant, a ſua ſpe decidere paſſus es. Tua enim, Reverendiſs. Pater, in negotiis difficilioribus pertractandis ſumma prudentia, aut in dirimendis controverſiis non levibus ſingulari ſagacitate: ſpectabili tua doctrina, quæ nihil quod ad amœniores diſciplinas ſcientiamve Eccleſiaſticam pertineat, a te patitur alienum: miranda hac tua animi moderatione, qua rebus ſecundis vel infauſtis tibi ipſi ſemper æqualis, quos infenſos quandoque habuiſti, immemor injuriæ, æquanimiter fers, omnibus gratus, omnibus carus adeo extitiſti: Teque, cunctis admirantibus, officio tuo majorem adeo exhibuiſti, ut te ad ſupremum univerſæ Franciſcanæ Familiæ regimen aliquando natum uno ore univerſi profiterentur. Fratrum votis ac judicio jam præiverant in Siciliano Regno ſummi rerum Eccleſiaſticarum & politicarum adminiſtratores, dum Theologi ac in rebus fidei & morum Conſultoris munere, in virtutis ac doctrinæ præmium, te voluerant decoratum. Ad ſupremam tandem totius Minorum Ordinis, concordibus Comitiorum generalium ſuffragiis, evectus præfecturam, quam pro ſua innata in Deum pietate, ſuaque in Ordinem Seraphicum ſolita benevolentia, Reges Catholici inter primarios regni Proceres Hiſpaniarumque Magnates voluerunt annumerari; quamve cunctarum nationum tot homines, genio licet diverſi, ſed animo conjunctiſſimi tibi lubenter detulere, eximiis dotibus, quæ gravis adeo magiſterii faſtigio conveniant, ornatum te ita demonſtraſti, ut te nulli deceſſorum tuarum inferiorem, Miniſtrum Generalem numeris omnibus abſolutum nemo diffiteatur. Tuum, Reverendiſs. Pater, in cuſtodiendæ obſervantiæ religioſæ perfectione ſtudium indefeſſum, ſummam tuam in litterarum ſtudiis ac profectibus ampliandis diligentiam, quis ignorat? Te in iis quæ ad commune Ordinis bonum ſpectant componendis aut

ſta-

statuendis nihil privato studio concedere, nihil necessitudini, nihil summorum virorum commendationi, sed totum virtuti ac doctrinæ tribuere, cui non manifestum? Te in discolis coercendis, aut errantibus revocandis facilitatem cum severitate perbelle adeo conciliare, ut nec facilitas auctoritati, nec amori detrahat severitas, fama vulgavit. Homines vero litteratos quanta prosequaris benevolentia, quantoque complectaris amore, testantur quotquot de Republica litteraria bene meriti ad te accedunt. Non igitur mirum, Reverendiss. Pater, quod tot præditus dotibus, maximam omnium nedum fratrum venerationem, clarissimorumque virorum existimationem tibi comparaveris, sed etiam non dicam Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus, verum & Benedicto XIV. felicis recordationis, ejusque successori feliciter regnanti Clementi XIII. qui te in Cleri Romani examinatorem advocavit, fueris acceptus. Tot ego tantisque ductus argumentis, innumeros inter tui admiratores non ultimus, hoc munusculum Reverendissimæ Paternitati Tuæ offerre decrevi, posteris invictissime aliquando probaturus, te fuisse virum omni virtute spectabilem, qui & a Gallis jure merito potueris celebrari. Te interea, Reverendiss. Pater ad altiora natum in universi Seraphici Ordinis decus, sospitem diu servet Altissimus; meque totum tibi deditum ac devinctum, fausta deprecantem exaudire non dedignetur.

* 3 LE-

LECTORI BENEVOLO.

Tibi, candide Lector, quem nec præjudicata aliquando fefellit opinio, nec a legendo avocavit ignoti nominis umbra, sed una quovis ex fonte fluat, amica delectat veritas, quas prudenti tuo judicio non fidenter minus quam libere committo, aut in futuro committam, Theologicas Exercitationes, cur juxta veriora Doctoris Subtilis principia illas in lucem prodire observandum judicaverim, aperiam oportet. Neque enim vera ipsius doctrina eas referras affirmanti, falsitatis insimulari timendum mihi occurrit. Non te lateat volo pluribus abhinc annis me haud patienti tulisse animo quamplures in rebus theologicis opiniones, interdum singulares, a vero nonnumquam alienas, veterum Scotistarum vel ignobili incuria, vel culpanda affectatione, Joanni Duns Scoto, non contemnendæ scholæ principi celeberrimo vulgo adscribi, subque ipsius nomine, gratis licet, & absque omni prorsus fundamento, pervulgari, veluti illas discipulis ipse aliquando tradidisset. Ecquis impatienter non ferret, hominem tot titulis non dicam de Republica litteraria, sed etiam de universa Christi Ecclesia bene meritum, quem læta quondam excepit ac demirata est Gallia nostra, quemve inter celebriores Sacræ Facultatis Magistros & Scholæ principes annumerari sibi adhuc gratulatur Parisiensis Academia, ex insulsis quibusdam suppositiriisque opinionibus, male satis aliunde intellectis, exosum adeo fuisse effectum hominibus non paucis etiam doctrina clarissimis, sed rem æqua lance minime ponderantibus, ut ab ipsius scriptis etiam perlegendis abstinen-

rendum, licet immerito, utilitati duxerint? Id vitio accidisse interpretum res ipsa clamat. Hominis profundi sermonis, subtilisque, tecti tamen, ingenii volumina ex præjudicata opinione perscrutantis, quid ipse senserit, rudiori quandoque ac indigesto stylo, aut intricato loquendi modo exaratum, recte minus intelligentes, loco sententiæ Magistri, quem in alienum sensum sinistra interpretatione detorserant, propriæ mentis phantasmata posuere, eaque sub illius nomine tam audacter quam indocte protulere. Vel etiam, quod non levi donatur probabilitate, supposititia quædam spuriaque scripta pro genuinis ipsius operibus habentes, de interpolatione, aut etiam falsitate, quam nequidem suspicabantur, parum solliciti, quidquid in eis repertum est, id Doctorem renuisse certo existimarunt, idque aliis decipiendis ipsi decepti tradidere. Me autem, amice Lector, non ex arbitrio aut incaute nimis talia nuntiare, testantur ea quæ variis in locis contra vulgatem Scotistarum sensum ex ipso retuli, ac imposterum sæpissime sum relaturus, Nostrates, si fieri potest, a nimium communi, falso tamen adscripta doctori sententia, ubicumque sese dederit occasio, ad veriorem ipsique propriam reducturus. Nec a proposito me deterrebit immanis contra dicentium cohors: vociferetur & clamet licet, gratias aget postmodum, quando diligenti adhibito examine, præjudiciis vale dicens, a veteri errore se noverit revocatam. Utinam industrius aliquis ex nostris ad propriæ Scholæ decorem, Magistri scripta, stylo censorio instructus exacte pervolveret, ac minutatim discuteret, falsa a veris, fictitia & dubia a certis secernens, ea in pristinum sensum ac statum restituturus! Ad me quod spectat a Scoti mente non recedere

co-

eo magis me delectat, quo a vera magni Augustini doctrina minus ipse recedit. Me in referendis Sanctorum Patrum testimoniis longius fuisse aliquando progressum, non deerunt fortasse qui narrent, nec ab ipsis dissentiam. Sed advertant velim, majori legentium numero non praesto semper esse Patrum volumina, ut si pauca dumtaxat ex ipsis, ut moris est apud multos, referantur verba, judicare possint, an verum & genuinum sensum qui laudant Patres, fuerint assecuti, vel utrum ab illo deflectentes, legentes in errorem non inducant; praeterquam quod ex altera parte, brevitati hac methodo magis consulitur, cum saepissime Sancti Patres in progressu sermonis, sui interpretes habeantur, variisque difficultatibus, quae circa ipsos ex contentione oriri possent, ipsi plerumque occurrant. Interea, si in iis quae scripsi, aut sum scripturus, aliquid repeteritur quod lectorem offendat, quod errorem inducat, quod virtutem non exerceat, quod fidem non aedificet, quod honestatem non sapiat, si quid minus rectum ex ingenii levitate, aut ex ignorantia obrepsisset, id ut non scriptum, sed jam volo revocatum, atque sacrosanctae Romanae Ecclesiae, a qua, Deo juvante, nusquam quocumque modo sum recessurus, judicio penitus subjectum: quod si infirmum quid aut jejunum benigne lector perspexeris, id tenuitati meae ignoscas: studiosae enim juventutis utilitati consulens, ipsi non officere, sed proficere studio non culpando animo proposueram.

IN-

INDEX

SECTIONUM ET QUÆSITORUM
quæ in hoc volumine continetur.

CIRCA ACTUS HUMANOS.

SECT. I. De vera & unica hominis beatitudine. Pag. 1
QUÆS. I. De beatitudine objectiva. ib.
QUÆS. II. De beatitudine formali. 6
QUÆS. III. De variis dictæ Beatitudinis dotibus. 13
CONCLUSIO SECTIONIS. 16
SECT. II. De intellectu morali. 17
QUÆS. I. Quid & quotuplex sit conscientia. ibid.
QUÆS. II. Utrum & quomodo obliget conscientia. 18
QUÆS. III. Utrum ex conscientia probabili liceat operari. 27
QUÆS. IV. Unde oriatur opinionum probabilitas, & juxta quod est sectanda. 32
CONCLUSIO SECTIONIS. 58
SECT. III. De voluntate morali. 59
QUÆS. I. Quid & quotuplex sit voluntarium. 60
QUÆS. II. Utrum ignorantia tollat voluntarium, & operantem excuset a peccato. 62
QUÆS. III. An jus naturale possit invincibiliter ignorari. 83
QUÆS. IV. Utrum metus ac concupiscentia tollant voluntarium. 88
CONCLUSIO SECTIONIS. 94
SECT. IV. De libero hominis arbitrio. 95
QUÆS. I. An in præsenti naturæ statu admittendum sit in homine liberum arbitrium, ac primo a quibus illud fuerit impugnatum. ibid.
QUÆS. II. In quo consistat liberum voluntatis arbitrium, quæve sit ejus essentia. 108
CONCLUSIO SECTIONIS. 133
SECT. V. De proprietatibus actuum humanorum. 134
QUÆS. I. Utrum bonitas vel malitia actui humano in ordine morali considerato ita conveniat ut non sint admittendi actus indifferentes. ibid.
QUÆS. II. Quænam fuerit mens Scoti circa actus indifferentes. 144
QUÆS. III. In quo principaliter fundetur sententia negans dari actus in individuo indifferentes. 149
QUÆS. IV. Unde sit repetenda bonitas actuum humanorum vel malitia. 161
Quæst. An actus externus addat aliquam bonitatem aut malitiam actui interno. 164
CONCLUSIO SECTIONIS. 166

APPENDIX.

TRACTATUS DE PECCATIS.

SECT. I. De peccatis in genere. 167
QUÆS. I. Quid sit peccatum. 168
QUÆS. II. Quid sit ratio formalis peccati, an quid positivum vel negativum. 172
QUÆS. III. An omnia peccata sint æqualia. 176
QUÆS. IV. Utrum peccati malitia sit infinita. 185
QUÆS. V. Utrum peccatum possit refan-
da

dit in Deum tamquam auctorem, aut causam illius moralem. 191

CONCLUSIO SECTIONIS 199

SECT. II. De peccato originali. 200

§. I De existentia peccati originalis. 201

QUÆS I De iis qui peccati originalis existentiam negaverant aut aliquo modo impugnaverant, & præsertim de causa Pelagii in Synodo Diospolitana. ibid.

QUÆS. II Utrum ab Adam in ejus posteros transfundatur peccatum originale 206

QUÆS. III An Pelagianismo circa propagationem peccati originalis notari merito potuerint Origenes, S. Joannes Chrysostomus, & Theodoretus 235

§. II. De natura peccati originalis, ejusque traductione 247

QUÆS I Quodnam sit peccati originalis constitutivum. ibid.

QUÆS II. Quomodo ad omnes & singulos Adæ posteros traducatur peccatum originale 260

QUÆS. III An universalis adeo sit peccati originalis in Adæ posteros propagatio, ut nullus ab eo descendens fuerit ab illa contagione immunis 265

§. III. De effectibus ac pœnis peccati originalis 270

QUÆS. I Utrum per peccatum originale in naturalibus fuerit vulneratus homo. ibid.

QUÆS II. Quinam sint præcipui peccati originalis effectus aut pœnæ. 273

QUÆS III. Quinam futurus sit status parvulorum cum originali peccato morientium 283

CONCLUSIO SECTIONIS. 290

SECT III. De peccato personali. 291

QUÆS. I Quid, & quotuplex sit peccatum personale, ibid.

QUÆS II An, & quomodo peccatum mortale a veniali distinguatur. 292

QUÆS. III. Quid sit peccatum habituale, & in quo ab actuali differat. 296

QUÆS. IV. An sit admittenda divisio peccati in philosophicum & Theologicum 298

QUÆS V. Utrum aliquod peccatum possit esse pœna vel causa alterius peccati. 300

QUÆS VI Unde sumatur peccatorum specifica distinctio 302

CONCLUSIO SECTIONIS. 305

SECTIO IV. De variis peccatorum speciebus. ibid

QUÆS I. Quot sint peccata capitalia. ib.

QUÆS II Quid sit superbia, an peccatum grave 307

QUÆS III Quid sit avaritia an capitale peccatum 308

QUÆS IV Quid sit luxuria; an grave peccatum. 309

QUÆS V. Quid per gulæ peccatum intelligatur, & an illud sit grave. 311

QUÆS VI Quid, & an grave peccatum sit invidia 312

QUÆS VII. Quid sit ira, & utrum grave peccatum dici debeat, 313

QUÆS VIII Quid sit; & utrum grave peccatum Acedia. 314

CONCLUSIO SECTIONIS. 315

Theo-

THeologicum opus, cui Titulus, nomenque datum est; *Exercitationes Theologico-Morales de actibus humanis, & peccatis, juxta veriora Doctoris Subtilis principia, Scholastica methodo ad usum studiosæ Juventutis accommodatæ*, ingeniose ab erudito, ornatissimoque A. R. P. Joanne Jacobo Aymar Sacræ Facultatis apud Minoritas Lectore, ac Doctore compositum jubente Reverendiss. Nostro P. M. Generali Clemente a Panormo lubentissime perlegimus, ac legendo gratulati sumus de soliditate, ubertate, atque nitore doctrinæ, quam jure semper, ac solerter edocet, illustrat, tuetur. Quare publica Typorum luce dignum apprimè censemus, dum ita, ad quos pertinet, videatur.

Dat. Bononiæ in Conventu Sanctissimæ Annuntiationis die 6. Octobris 1761.

F. Petrus Jacobus de Lojano Lect. Jub. ac Minister Prov.

Fr. Claudius de Mirandula Lector Jubilatus, ac Minister Provincialis.

FR.

FR. CLEMENS

DE PANORMO.

Lector Jubilatus, Catholicæ Majestatis in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Conceptione Theologus, Cleri Romani Examinator, totius Ordinis S. P. N. FRANCISCI Minister Generalis, Visitator, ac Reformator Apostolicus, & Servus.

CUM a duobus PP. *Theologis revisum de ordine nostro, & approbatum fuerit Opus a R. P. Joanne Jacobo Aymar Sacræ Facultatis apud Minoritas Lectore, ac Doctore compositum, cujus titulus est* Exercitationes Theologico-morales de actibus humanis, & peccatis juxta veriora Doctoris Subtilis principia Scholastica methodo ad usum studiosæ Juventutis accommodatæ, *vigore præsentium facultatem eidem tribuimus, quatenus servatis servandis, ipsum Typis mandari possit.*

Datum Romæ ex Aracæli die 14. *Mensis Octobris Anno* 1761.

(Fr. Clemens de Panormo Minister Gener.

Reg.

De mandato Reverendiss. in Christo Patris
Fr. Vincentius Scutari Ex-Def Gen. & Secr. Gener. Ordin.

EXER-

EXERCITATIONES THEOLOGICÆ

DE

ACTIBUS HUMANIS.

Cognitione mentem imbuere speculativas quæstiones pertractando, fidemque firmare nostram Ecclesiastica dogmata perscrutando parum contenti, mores informare nostros, actusve componere multo magis in votis habentes, quæstiones practicas, Theologiæ moralis pro munere nostro animum intendentes, discutiendas suscipimus, de iis præcipuè circa morum doctrinam, quæ leviter, ut ita dicam, aut per transennam, & ratione duce a philosophis attinguntur, capitibus actum, cuncta, quæ propugnantes, aut impugnantes statuemus, auctoritate validissima confirmatum. De semitis antiquis ut sciamus quæ sit via bona, in omnibus interrogantes, Sacræ Scripturæ auctoritati, Sanctorum Patrum testimoniis, Summorum Pontificum definitionibus, Conciliorum decretis, majorum placitis perpetuò consulemus, ne in vanitate humani sensus ambulantes, per ignorantiam aut propter cæcitatem cordis, alienati a vita Dei, sapientes in oculis nostris & coram nobismetipsis prudentes, dicamus malum bonum, ponentes tenebras lucem & amarum in dulce, juventuti insidiemur quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros, sicque, quod postulat officii ratio indecore obiti, Ecclesiæ Dei fiamus in scandalum.

Jerem. 6. *Ephes. 4.* *Isai. 5.* *Jerem. 5.*

Quæcumque circa actus humanos dicenda habemus quinque Sectionibus absolventur in quarum prima de hominis Beatitudine disseremus; quæ pertinent ad intellectum moralem, in secunda examinabimus ad moralem voluntatem spectantia,

tia, tertia complectetur: circa liberum arbitrium versabitur quarta; proprietates tandem actuum humanorum quinta considerabit.

Verum ut ordine & cum methodo procedamus, ante omnia statuendum, quid humanorum actuum nomine in hac disputatione sit intelligendum: non enim omnes hominis actus humanos prædicamus, cum omnes non sint a ratione imperati, quin potius ipsius usum quamplures præveniant, aut a voluntate minime procedant. Cognitio ergo & libertas humano actui sunt ita essentiales, ut ex hoc duplici capite laudis aut vituperii dignus reputetur homo. Hinc Angelicus Doctor, a cujus sententia hac in parte non recedit Doctor subtilis, duo ad actum humanum requirit, rationem videlicet advertentem, & voluntatem libere operantem: quæ duo quid importent suo loco exponemus. Igitur juxta utrumque doctorem actum humanum & moralem dicimus illum quem elicit homo prout homo est agens, cujus actui bonitas aut malitia, difformitas aut rectitudo, ex objecto, fine, & circumstantiis inesse debent. Circa hujusmodi actus tota lis erit; unde operæ pretium me facturum esse intellexi, si studiosam juventutem illud in principio monerem.

1. 2. q. 1. art. 1. in corp.

SECTIO PRIMA.

De vera & unica hominis Beatitudine.

A Deo insitum est humano cordi supremæ desiderium beatitudinis, in eo se vertant omnes nostri affectus, illòque proprio, ut ita dicam, pondere feramur, etiam cum veri, bonique specie delusi, nobismetipsis contrarii, pravisve abrepti cupiditatibus a recto deflectimus tramite. Heu nimium deflenda hominum sors! Qui meliora videntes æque probantes deteriora sequimur, eoque infeliciores, quo miseri miseriam nostram aut magis diligimus aut minus sentimus. Illa ergo Beatitudo, omnium, velimus, nolimus, meta laborum, summi boni rationem habeat necesse est, æque ac rationem ultimi finis, quem ardentissimo amore, inquit Augustinus, appetunt homines, & propter quem cætera quæcumque appetunt. Hunc autem finem quem in omnibus respicere quisquis prudenter agere desiderat, appetere vel non appetere utrum sit in hominis potestate, necne, inquirere propositi nostri non est. Supponentes tamquam certum quod omne agens rationale agit propter finem, de Beatitudine supernaturali quæ naturæ intellectuali est proportionata, quæque, ut vera sit, unica esse debet, in quo sit reponenda investigamus, de varia rerum conditione in statu possibili minime anxii, ad Beatitudinem objectivam, simul & ad formalem, Theologorum more attendentes, duobus quæsitis quæ occurrunt dicenda tractabimus, de dotibus Beatitudinis in tertio acturi.

Lib. 13. de Trin. cap. 5

QUÆSITUM PRIMUM.

De Beatitudine objectiva.

Verum & unicum humanæ beatitudinis objectum adinvenire minime potuerunt qui Deum verum non habuerunt. Hinc quod per prudentiam carnis quam stultam fecit Deus, juxta cordis sui desideria ambulantes Gentiles Philosophi attingere nequibant, per stultitiam Crucis didicere Christiani, qui cuncta bona creata, sive distributive, sive collective sumantur, ad naturæ intellectualis appetitum explendum, proindeque ad ipsam beandam insuffi-

sufficientia judicantes, Deum optimum & maximum, unum in natura, trinum in personis nuncam germanam creaturæ rationalis felicitatem prædicare non cessant. Sit ergo.

ASSERTIO UNICA

Cum omnia bona creata sive collective sive distributive sumpta hominem vere beatum reddere non valeant, in Deo solo invenitur objectiva Beatitudo nostra. Est communis quoad utramque partem.

PRobatur prima pars. Quid enim est, & esse potest naturæ intellectualis Beatitudo, nisi status bonorum omnium aggregatione perfectus, ut Boetio placuit, bonorum omnium, secretis omnibus malis, cumulata complexio, ut loquitur Tullius, Bonum totaliter quietans & satians appetitum, ut Angelico Doctori visum est, Bonum sufficiens, excludens defectum seu indigentiam, ut Doctoris subtilis verbis utamur. Illud autem de bonis creatis si separatim aut simul considerentur, prædicare quis auderet? nonne hæc omnia vanitas, inquit Ecclesiastes cap. 1.? *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*, undequaque labor & afflictio spiritus. Hinc rerum creatarum vacuum & inane expertus David sic exclamat Psal. 72. Deum alloquens: *quid mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram?* non mirum ergo si in confutandis Gentilium erroribus circa Beatitudinem toti fuere sancti Doctores & Ecclesiæ patres, pro quibus unum sufficiat audire Augustinum: *Nemo*, inquit, Serm. 46. de divers. *se credat aliquam felicitatem, aut aliquod verum gaudium in hoc sæculo posse habere.* Ipsa ratio suffragatur. De supremæ Beatitudinis objecto, est quod sit bonum optimum & summum, ita ut ad illud omnia referantur, ipsum vero ad nihil ulterius, quod sit perfectum & excellens super omnia alia bona, quod plene satiet, eo sensu quod nihil præterea permittat appetere. Veræ igitur hominum felicitati nihil præstant bona creata, quod de iis singillatim est breviter ostendendum.

I. Quantum ad bona fortunæ, de divitiis sic loquitur mox laudatus Augustinus de disciplina christiana cap. 1. *pecunia non facit beatum, nam divites plus egent quanto plus habent. Desideriis vexantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, & tristitia contabescunt.* Cæterum bona fortunæ, quæcumque illa sint, extra nos sunt, minime in nostra potestate sunt, injuriis subjacent temporum, necnon volubilitati hominum ipsiusque fortunæ: *gloria*, ait Hipponensis lib. 83. quæstion. qu. 31. *est clara cum laude notitia, vel frequens de aliquo fama cum laude.* Amorem dignitatum & honorum, insanam gloriæ gehennam quamdam vocat Chrysostomus hom. 28. in Joann. *Carnalis gloria*, inquit Gregorius Magnus lib. 27. moral. *dum nitet cadit, dum apud se extollitur repentina intercepta fine terminatur.*

II. Ad bona Corporis quod spectat, ut sunt sanitas, robur, pulchritudo, sensibiles voluptates, aliaque id genus, quid ipsis cum naturæ intellectualis suprema felicitate? nonne curis, miseriis, calibus subjacent innumeris, ipsique morti? præterea quo sanior & robustior est caro, eo magis, ut Apostoli verbis utar, concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Quodnam inter perpetuos fluctuantis concupiscentiæ

æstus felicitatis vestigium? unde homini Christiano si gloriari hæc ree, non expedit quidem gloriari solummodo in infirmitatibus, ut in ipso virtus Christi inhabitet. Quot animalibus fortitudine superatur homo? ineptus ergo, concludit Lactantius, qui vires corporis bonum divinum aut humanum credit. Pulchritudinem corporis, quis venustatem bonum quis reputabit? *fallax gratia, & vana est pulchritudo*, inquit Spiritus Sanctus. Flacescit enim, ait Clemens Alexandrinus, & citius quam folia humi decidit priusquam venerit, autumnus marcescit & interit. Cum sapientia & virtute vix compatitur, juxta cujusdam decantatum, raram fecit mixturam cum sapientia forma. Sensibiles voluptates ad veram felicitatem trer afferere quis præter Epicuri discipulum non erubesceret? multos ostendam voluptatibus obsessos, inquit Seneca lib. de Beata vita, quos fatearis necesse est esse malos. Hos esse in voluptatibus dices, nec tamen bene illis erit, quia non bono gaudent. Deinde quam naturæ intellectuali indecorum illud felicitatis genus quod brutis, & fortasse in perfectiori gradu, esset & ipsi commune.

Prov. 31. v. 30.

III. De bonis animi qualia sunt scientiæ & virtutes, eti hominis dignitati & excellentiæ magis cunctis aliis bonis consentaneæ, per ea creaturam rationalem vere beatam effici posse quis serio existimaret? *Proposui in animo meo*, inquit Ecclesiastes cap. 1. *quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea .... dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam: & agnovi quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus eo quod in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam addit & laborem.* In scientiis ergo quæ perfecte in hac vita comparari nequeunt, quomodo reponeretur Beatitudo? virtutes ipsæ tot laudibus celebrandæ, non sunt nisi media ad Beatitudinem conducentia. Non est virtus ipsa summum bonum, exclamat Lactantius, sed effectrix & mater summi boni, quoniam perveniri ad illud sine virtute non potest.

Varias igitur, ut cum Augustino concludamus, instituere sibi vias errores, qui supremæ Beatitudinis ignarus, ut summum & verum bonum cæco mentis affectu hunc creata prosequeretur, quæ ut ait Bernardus, polletia onerant, amata inquinant, amissa cruciant, proindeque nihil ad creaturæ intellectualis verum & realem Beatitudinem conferre queunt.

Nec dicatur quod per bona creata, saltem collective sumpta satietur & expleatur hominis appetitus, & præter ipsa si possideantur nihil illi superfit desiderandum, illud enim non valet, infinitus est creaturæ intellectualis appetitus, quæ licet in essendo & ratione animæ facultatum limitata sit & finita, est in desiderando & in appetendo illimitata. Hinc est quod nisi Deum qui est omni ex parte infinitus possideat homo, illi semper aliquid supererit desiderandum, unde Augustinus lib. 1. Confess. cap. 1. *fecisti nos ad te Domine & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.*

Probatur secunda pars, quæ ex jam dictis debet inferri. Si enim omnia creata beatitudinis objectivæ rationem habere non possint, necesse est ut Deus solus animam rationalem implere & satiare valeat. Hinc David Psal. 72. *mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino meo spem meam.*

Psal

Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Inter sanctos Doctores & Ecclesiæ patres unum audiamus Augustinum. *Non est*, inquit lib. 12. de civitate Dei, cap. 1. *Creaturæ rationali vel intellectuali bonum, quo beata sit, nisi Deus. Itaque quamvis non omnis beata possit esse Creatura . . . . Ea tamen quæ potest, non ex seipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo a quo creata est. Hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est . . . Dicimus itaque immutabile bonum non esse nisi unum verum Deum Beatum . . . quod cum ita sit, huic naturæ quæ in tanta excellentia creata est, ut licet ipsa sit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id est, summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam, nisi utique beata sit, eique explendæ non sufficiat nisi Deus; profecto non illi adhærere vitium est.* Tam celebris Ecclesiæ præsulis verbis aliquid addere superfluum.

Assertionem ratione confirmat Scotus noster, in 4. dist. 49. q. 2. quia, inquit, *Deus solus est supremus entium, solus in entibus infinitus, bonus sine termino, bonitatis suæ radios liberalissime communicans, ad quem amabilissimum singula suo modo concurrunt ut ad ultimum finem.* Quod idem est ac si diceret: Deus est bonum optimum & summum, ad illud omnia referuntur, illud vero ad nihil ulterius: bonum est perfectum & excellens super omnia bona, & ita plene satiat hominis appetitum, ut præter ipsum naturæ intellectualis nihil supersit desiderandum: quæ omnia rationem finis ultimi ita constituunt, ut si hæc omnia per impossibile in Deo non invenirentur, ex eodem impossibili creaturæ rationalis finis ultimus non esset Deus: quod cum dici non possit, certum & probatum remanet Deum solum optimum & maximum esse beatitudinis nostræ objectum.

Quod vero longius progredientes quidam Theologi inquirunt, utrum Deus ut unus in essentia & trinus in personis sit objectum nostræ Beatitudinis, vel ut unus, utrum Trinitas personarum immediatæ rationem essentialem objecti beatifici, & summi boni, cujus præcipua distinctio & intrinseca fœcunditas in personarum distinctione relucet, inter se videant, utcumque dirimant, quibus vanas, nullinsque utilitatis quæstiones movere placet. Hoc unum scire juvat, quod videbimus Deum sicuti est, & ex possessione illius tam excellentis tam amabilis objecti, quoquo modo possideatur, satiabitur naturæ intellectualis appetitus, quod egregie describit Augustinus his verbis lib. de spiritu & littera, cap. 33. *Illa cognitione, illa visione, illa contemplatione* (quod idem est ac si diceret, illa Dei possessione) *satiabitur boni animæ desiderium, hoc enim et solum sat est; ultra non habet quod appetat, quo inhiet, quod requirat.*

At inquies, nonne quædam debet esse proportio inter beatum & objectum beatificum? nulla autem reperiri potest inter creatum & increatum, finitum & infinitum, hominem & Deum. Supposita aliunde quadam inter utrumque proportione, verum esse non potest quod satietur hominis appetitus ex hac summi boni possessione, quin potius cum sit Deus amabilis & cognoscibilis super omnem modum, semper relinquetur desiderandi locus, unde imperfecta erit semper naturæ intellectualis felicitas.

Sed contra. I. Enim quid intelligitur per illam proportionem quæ re-

requireretur in præsenti materia inter Deum & hominem, nisi relatio illa essentialis quæ necessario est inter creatorem & creaturam, qua in essendo & in modo essendi perpetuo ista pendet a suo auctore? & ex illa relatione omnimode indelebili oritur convenientia inter Beatificabile & Beatificum quæ convenientia est adeo inter Deum & hominem necessaria, ut hominis finis ultimus non possit non esse Deus, proindeque illius summa felicitas, & in Deum ultimum suum finem non possit non tendere homo, eumque ut suum summum bonum, suamque veram & realem ac unicam beatitudinem non appetere quod satis est ad formandam illam proportionem inter utrumque.

II Quod ex Dei possessione non satietur creaturæ intellectualis appetitus in sensu proposito, ita ut Beati Deum possidentes per visionem & amorem, perpetuo, novoque, ut ita dicam, desiderio in illum ferantur, non est beatitudinis supremæ imperfectio, quin potius illo perficiatur, utpote cum in desiderando nulla futura sit anxietas, nullus labor erit & dolor. *Ne in desiderio sit anxietas*, inquit S. Gregorius Papa lib. 18 moral cap. 3 *desiderantes satiantur* … *ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant* … *& desiderant igitur sine labore, nam desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Quod brevius dixerat Augustinus de Beatis Deo fruentibus loquens his verbis, *erunt semper avidi & semper pleni*. Unde dicendum quod ex Dei possessione quoquomodo fiat, satiabitur homo quoad inclinationis suæ substantiam, licet quoad omnem modum & intensionem non sit satiatus, quod est proprium veræ & supremæ Beatitudinis.

QUÆSITUM SECUNDUM.

De Beatitudine formali.

VEram non habent Beatitudinis formalis notionem qui existimantes animam reddi formaliter beatam per increatam actionem, volunt creaturam intellectualem, in possessione summi boni mere passive se habere, ita ut alia visione Deum non videat Beatus, quam visione qua Deus se ipsum videt, communicata atque unita intellectui cuilibet Beati. Cum jam apud Theologos non audiat hujusmodi sententia quam propugnasse olim fertur Joannes de Ripa qui nullos sine reliquit Doctrinæ hac in parte defensores, hanc confutare videretur satis superfluum. Ad alia festinemus.

Melius non explicatur formalis Beatitudo per illum Dei illapsum in essentiam animæ beatæ, quem defendebant Henricus de Gandavo, cujus opinio utpote quæ est ex omni parte improbabilis, ab omnibus deseritur. Si ex tali illapsu oriretur Beatitudo, quid absurdi inde non sequeretur? hoc posito anima posset esse Beata quoad principale Beatitudinis sine ulla ejus operatione circa objectum beatitudinis, sicque dormiens posset esse Beatus: nihil enim obstat quo minus Deus illabatur in animam dormientem ante omnem illius operationem. Unde Beatus posset formaliter constitui Beatus quin se perciperet esse Beatum, quod repugnat. Hoc argumento Henricum urgebat Doctor subtilis, ipsi ostendens Beatum non esse formaliter beatum per illud per quod non est formaliter agens, & adversus ipsum strenue indebat formalem Beatitudinem positam esse in actione quadam ex parte Beati, qua operatione seclusa nullo modo potest intelligi, qua ra-

ratione ad creaturam intellectualem pertineat Beatitudo. Cum Scoto hoc ex capite conveniunt omnes Theologi.

Verum inter eos triplex est opinio. Putant Thomistæ formalem Beatitudinem in solo actu intellectus essentiam, videlicet in Dei cognitione & visione, ita ut amor Dei fruitivus non sit nisi proprietas illius, inseparabilis tamen a visione. Volunt Scotistæ illam esse reponendam principaliter in actu voluntatis seu in amore Dei, ad quem præsuppositive se habet illius visio per operationem intellectus. Alii passim Theologi media quasi via incedentes, existimant supremam naturæ rationalis Beatitudinem formaliter consistere per duplicem illam operationem intellectus scilicet & voluntatis, ita ut visio & amor sint in patria respectu Beatitudinis in ratione, ut sic dicam, reciproca, una nihil alteri super addente.

ASSERTIO PRIMA.

In duplici operatione intellectus & voluntatis, in visione scilicet Dei intuitiva & amore ejus fruitivo consistit formalis Beatitudo.

IN verbis ipsis Sacræ Scripturæ fundamentum minime obscurum habet hæc sententia. In iis enim Beatitudo modo tribuitur operationi intellectus, modo operationi voluntatis. Sic Matth cap. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Joan. cap. 14. *Si quis diligit me manifestabo et meipsum.* cap. 17. *hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum.* 1 Joan. cap. 3. *nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Quæ pro visione intuitiva probant. Psal. 15. *adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.* Psal. 35. *de torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ.* Psal. 149. *exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Quæ & similia pro amore fruitivo & operatione voluntatis probant, cujus affectiones sunt gaudium, lætitia, exultatio.

Non minus indistincte huic duplici operationi Beatitudinem assignant sancti Patres. *Utinam*, inquit S. Gregorius Nazian. orat. 10. *ad ipsum fontem postea perveniamus, pura mente, puram veritatem intuentes, atque hanc laboris in virtutis studiis exhausti mercedem inveniamus, ut perfectiùs illius summi boni consortio & contemplatione fruamur.*

S. Ambrosius lib. 2. de officiis ministrorum cap. 2. *Scriptura autem divina*, inquit, *vitam æternam in cognitione posuit Divinitatis, & fructu bonæ operationis*, & lib. de Isaac cap. 8. *si quis igitur purum illud & incorruptum summum illud videre meruerit, quid habeat aliud quod desideret?* S. Augustinus lib. 1. de Doct. Christ. cap. 38. *fidei*, inquit, *succedit spes, quam videbimus, & spei succedit beatitudo ipsa ad quam perventuri sumus, charitas autem etiam istis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? & si sperando diligimus, quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus.* Lib. 1. Confess. cap. 21. *hæc est sola vita æterna, gaudere ad te, de te, & propter te.*

His addi potest Constitutio Benedicti Papæ XII. definientis, quod ex visione & fruitione Dei animæ sanctorum sunt vere Beatæ: quod jam declaraverat Concilium Viennense, dum Beguardos damnans

scri-

scripserat in Clementina *ad nostrum*, animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoque Beate perfruendum: quibus verbis supponere videtur, Beatitudinem in utraque illa operatione consistere. Quod confirmat Catechismus Romanus in hæc verba symboli, *vitam æternam*, cum dicit, quod solida Beatitudo quam essentialem communi nomine licet vocare, in eo sita est, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine perfruamur.

Nec desunt rationes Theologicæ ad asserendam veritatem roborandam. Illæ operationes sunt de ratione formali Beatitudinis, per quas homo ad Deum fertur & inclinatur, & quarum quælibet per se Deum immediate attingit: cum ergo illud sit verum de hac duplici operatione, ut est probatu facillimum, cur una ingrederetur rationem formalem Beatitudinis, & non altera? numquid una nobilior, una præcellentior? numquid illarum quælibet perfecta non est in genere suo? per intellectum ab homine beato attingitur & possidetur Deus ut summe verus: per voluntatem attingitur ab eodem & possidetur ut summe bonus. Summa bonitas non minus est de ratione constitutiva Dei quam summa ejus veracitas. Est igitur de Beatitudine formali actus voluntatis Deum amantis, & illo fruentis, sicut actus intellectus Deum cognoscentis, illumque intuitive videntis. Quod ita verum est, ut si una ex illis operationibus non esset de essentia formali Beatitudinis, necesse nec concipi posset beatitudo perfecta, & quidem sine visione: non enim est vere beatus qui non videt quod amat: neque etiam sine amore: beatus enim non est qui non amat quod videt, cum sit summe bonum & summe amabile id quod videt.

Præterea beatitudo formalis, omnibus consentientibus, satiare totaliter debet beatum secundum id omne per quod potest & indiget satiari, & hoc principio fretus Doctor subtilis merito asserit in 4. dist. 49. quæst. 3. §. ad quæstion. Quod si possent esse in natura intellectuali decem potentiæ, quarum quælibet per operationem suam attingeret Deum immediate, beatitudo totalis extensiva consisteret in decem operationibus: quam Scoti sententiam rationi apprime contentaneam fatebitur quisquis præjudicio liber rem voluerit discutere, certum etenim est hac facta hypothesi, quod per quamlibet ex his decem potentiis objectum beatificum poterit perfectissime & ultimate possideri a natura intellectuali: si ergo multiplicatis potentiis multiplicetur id per quod, vel secundum quod potest & indiget satiari natura intellectualis, quia appetitus multiplicatur juxta numerum potentiarum, quis dubitabit quod homo non indigeat satiari, tam secundum voluntatem quam secundum intellectum?

SOLUTIO OBIECTIONUM.

1. OBjectio. Operatio quæ Deum immediate attingit, & quæ ideo rationem habet Beatitudinis formalem, unica esse debet. Hæc autem alia esse non potest quam operatio intellectus: operatio ergo voluntatis non est de ratione formali Beatitudinis.

Respondeo, quod illa operatio unica esse debet, unitate ordinis & totalitatis seu aggregationis: consensu quod utraque ex prædictis potentiis suam eliciat operationem, & terminetur ad actum eodem instanti, ita ut una actum suum exercere non possit, quin altera simul & necessario suam eliciat operationem, sed operatio illa unica esse

non

non debet, unitate simplicitatis. Intellectus & voluntas attingunt immediate, & eodem instanti, objectum Beatificum, & perfectissime & potior ratio non est pro una facultate quam pro alia. Et si decem potentiis, in sensu mox exposito post Doctorem subtilem, donaretur natura intellectualis, non minus unica esset operatio secundum ordinem & totalitatem, quia quælibet ex his potentiis, ad actum reduceretur eodem tempore & in ordine suo. Dixi in ordine suo, quia una posset aliam præsupponere, ut revera accidit inter intellectum & voluntatem: prius enim est quod cognoscatur & videatur objectum Beatificum, quam ametur, juxta illud axioma, *nihil volitum quin præcognitum*. Verum licet una facultas quoad actum se habeat præsuppositive ad aliam, id non officit quo minus Beatitudo formalis sit actus simplex quoad principale, & quantum ad totalitatem, ut jam dictum est.

Nec valet quod dicant hanc duplicem operationem non constituere Beatitudinem formalem, ex eo quod formalis Beatitudo consistat in ultima & perfectiori conjunctione cum objecto Beatifico, quæ conjunctio, inquiunt, esse non potest, nisi in una perfectissima & ultima operatione. Hoc, inquam, non valet, nec potest admitti illatio, quæ est ex supposito falso. Utraque operatio est ultima & perfectissima conjunctio cum Deo, una in ordine cognitionum, altera in ordine affectionum, & si decem essent facultates, & potentiæ, ut ostensum est, Deum immediate attingentes, hæ omnes haberent rationem formalem Beatitudinis, quæ semper consisteret in ultima & perfectiori conjunctione cum Deo, sicque in una perfectissima & ultima operatione, quod cuilibet facultati proprium esset. Unde licet beatitudo formalis adæquate includeret tot actus quot essent potentiæ, illi omnes actus essent quid unum unitate ordinis & aggregationis, proindeque Beatitudo formalis quoad principale semper esset actus simplex.

II. *Objectio*. Operatio quæ summum bonum non possidet, de ratione Beatitudinis formalis esse nequit. Cum ergo intellectus per suam operationem non possideat summum bonum, id enim voluntatis est proprium, quæ sola fruitur objecto Beatifico, hujus modi operatio non erit de ratione formali Beatitudinis, quæ nihil aliud est quam Dei fruitio.

Respondeo, naturæ intellectuali duplicem respectu beatitudinis inesse modum possidendi objectum Beatificum, sicut ipsum objectum duplicem habet respectum, sub quo a natura intellectuali potest possideri. Unus modus est quo possidetur summum bonum ut cognoscendum, qui pertinet ad intellectum. Alter modus est quo possidetur summum bonum ut amandum, qui pertinet ad voluntatem. Pariter duplex respectus, sub quo Deus potest possideri, est ut cognoscibilis, & ut amabilis. Possidetur igitur objectum illud Beatificum ab utraque facultate sub respectu sibi relativo & convenienti, & quælibet facultas vere fruitur objecto illo modo sibi proportionato: & tam actus intellectus cognoscentis Deum ut est summum bonum, est fruitio, quam actus voluntatis, quæ docta ab intellectu de summa illius objecti bonitate, illo per amorem fruitur. Duplex itaque illa operatio, ut multoties dictum est, essentialiter pertinet ad Beatitudinem formalem, utpote quæ immediate, ultimate, & perfecte objectum suo modo attingat.

III. *Objectio*. Juxta Doctorem Subtilem beatitudo consistit in uni-

ca operatione. Hæc enim habet in 4. dist. 49 quæst. 3. num 5. Potest dici quod Beatitudo naturæ intellectualis consistit in operatione una tantum, &c. Hæc autem ut ex eodem textu & aliis colligitur est fruitio.

Respondeo Doctorem Subtilem, si bene perpendantur ipsius scripta, quidquid ambigant etiam quidam ex ejus discipulis, minime sibi esse contrarium. Loquitur eo loci de Beatitudine hominis secundum naturam. Dixerat superius, Potest dici quod non loquendo de Beatitudine ut dicit aggregationem omnium bonorum, pertinentium ad Beatificabile, sed ut dicit illud, quo mediante attingitur ultimate objectum Beatificum, posset distingui de Beatitudine naturæ intellectualis ac de Beatitudine potentiæ, sic, quod licet natura non beatificetur nisi secundum potentiam . . . . potest dici quod beatitudo naturæ intellectualis consistit in operatione unica tantum. Quæ Doctoris verba omnem tollunt ambiguitatem, si ad ea quæ ex ipso superius retulimus, attendatur.

Verum ut nihil remaneat dubii circa Scoti mentem, & ut objectioni omni ex parte fiat satis, legatur quod scribit in reportatis, ubi breviter & clare sententiam suam exponit his verbis. *Si loquamur de beatitudine naturæ Beatificabilis, illa beatitudo est una tantum sicut & natura, & una est operatio naturæ, licet multæ potentiarum. Et tunc secundum viam superius positam, quod ambæ operationes concurrunt ad Beatitudinem essentialiter, apparet quod oportet dicere, quod una est Beatitudo totius naturæ, & consistit in multis potentiis.* Utinam nihil intellectu difficilius scripsisset Doctor Subtilis, nec magis amplam litium segetem discipulis ac adversariis Magister aliquando reliquisset. Si acrius quis concluderet ex diversis ejus scriptis operationem voluntatis esse principaliorem in Beatitudine formali illud ultro concederemus. Unde

ASSERTIO SECUNDA.

Licet prædicta duplex operatio intellectus & voluntatis sit de ratione formali beatitudinis, hæc principalius est in operatione voluntatis reponenda, idest in amore Dei fruitivo.

AD assertionis istius veritatem ostendendam scripturæ auctoritates, quæ Beatitudinem in gaudio & voluptate quæ ex Dei possessione aut fruitione oriuntur, collocant, hic accumulare satis esset superfluum, cum ex his omnibus, ut dicam quod res est, nihil possit concludi quod uni ex his duabus operationibus præ alia vere faveat. Ex Sacræ Scripturæ testimoniis clare & distincte evincitur per Dei cognitionem, illiusque amorem sanctos reddi formaliter beatos, de excellentia vero unius aut alterius omnimode tacet, cum ipsius non sit opiniones diversas scholasticorum attingere, quas, si vere attingeret, in utramque partem defendere pro arbitrio tunc non liceret. Idem de sanctis patribus in hujuscemodi quæstionibus est dicendum. Unde rationibus duntaxat metaphysicis propugnantur aut impugnantur illæ quæstiones, quas vulgo scholasticas dicunt, quarumve tractatio, non raro ingenia nimium torquens, veritati parum confert. His per transennam & quasi incidenter notatis, ne sapere videamur plus quam oportet, consuetudini consulentes ad probationem sententiæ procedamus, rationibus quibus utitur Doctor Subtilis Innixi.

1. *Ratio.* In illa operatione principalius consistit beatitudo formalis

lis, per quam perfectius & immediatius Deo conjungitur natura intellectualis: cum ergo hæc per operationem voluntatis Deo immediatius & perfectius uniatur quam per actum intellectus: tunc enim perfectius & immediatius unitur objecto, quando objectum ita possidet ut illud faciat suum & in illo conquiescat, Deum autem per actum voluntatis, non vero per actum intellectus, natura intellectualis sic possidet ut illud faciat suum, & in illa conjunctione quiescit, illique totaliter adhæret, principalior sit in beatitudine operatio voluntatis opus est.

II. *Ratio.* Illa operatio est principalior in beatitudine, cujus principium, perfectius & nobilius est aliis. Id autem voluntati est proprium, consentientibus enim adversariis, voluntas in ratione potentiæ & facultatis nobilior est & perfectior intellectu, etsi negent inde sequi illam esse hùc præferendam. Ipsius virtus est efficacior, cæteras potentias movet, ipsi etiam intellectui quandoque imperat, habet dominium in suos actus, nec non in actus aliarum potentiarum, quod certe ipsius nobilitatem commendat. Actus quos elicit, nobiliores sunt actibus qui ab aliis potentiis eliciuntur, unde primum inter virtutes habent locum, dicente Apostolo, *major horum est caritas.* Quantum ad effectus voluntatis, ipsi aliis sunt præstantiores: non ab ingenti sagacitate aut præcellentia, sed a voluntate boni denominamur vel mali, justi aut injusti.

III. *Ratio.* Cur principaliorem in Beatitudine non haberet locum illa potentia, ad quam aliæ omnes ordinantur? omnia in cælis ad amorem Dei propter se, etiam ipsa intuitiva visio, ordinantur, & non e contra. Non enim amant sancti ut videant, sed vident, & videre aut cognoscere amplius desiderant, ut Deum plus diligant, illoque perfruantur, idque juxta Sanctum Anselmum exigit actionum humanarum ordo, qui, nisi res sic se haberet, perverteretur. Hinc est quod præ cæteris, actus amoris Deo placent; illos plus a nobis exigit, nosque, illos amplius optamus: indeque forsassis a Sacris Scripturis & Sanctis Doctoribus fortius commendantur. Præterea, nobis cum prædicant adversarii felicitatem viæ, in quantum homo in præsenti vita beatus esse potest, totam esse in amore Dei super omnia: cur idem de Beatitudine patriæ consiteri recusaretur? Per charitatem, quamdiu peregrinamur a domino, donec mortale corpus nostrum induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, inchoatur Beatitudo nostra, quæ in futuro sæculo consummationem accipiet: qua igitur ratione non consummaretur in cælis per illud idem per quod initium accepit in terris? Utriusque Beatitudinis idem est objectum: quare utriusque, quantum fieri potest, eadem non esset ratio formalis? huic argumento quid respondeant Thomistæ minime invenio. Dicere quod est diversimode loquendum de statu patriæ & de statu viæ, nonne illud gratis fingitur?

IV. *Ratio.* Desumi posset ex perpetuitate charitatis, quæ sola inter virtutes Theologicas in cælo, aliis destructis, in beatis remanebit, *Charitas,* inquit Divus Paulus 1. Cor. cap. 13 *numquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Ex quo sic licet argumentari. Illa facultas in Beatitudine supernaturali quid principalius esse debet, quæ ne productiva virtutum sola inter naturæ intellectualis facultates in Beatis remanebit quoad exercitium, & cujus actus, qui in statu

viæ ab ipsa elicitæ erant, tot virtutes, pro ut ab ipsa in patria elicientur, erunt præmium virtutis. Atqui res sic se habet respectu voluntatis; actus amoris Dei super omnia quos in terris producebat, eosdem in cælo, sed multo præstantiores ac perfectiores producet voluntas, quæ secundum hunc respectum, in patria principii activi rationem habebit, quod de intellectu non nisi improprie dici potest. Unde fidei & spei, quæ ab intellectu magis procedunt, locus non erit in cælo, etenim quæ credimus nunc aut speramus, possidentes tunc aut videntes, actus harum virtutum, quæ solummodo ad præsentem vitam pertinent, minime poterimus exercere, quæ omnia voluntatem videntur commendare, illamque quid primum in formali beatitudine constituunt.

Dicent fortasse Thomistæ, intellectum in statu patriæ non minus producere actus sibi proprios quam voluntatem, licet illi actus sint diversi generis ab illis quos producebat in statu viæ, qui locum reverà in cælis non habent. Actibus fidei & spei succedunt aut correspondent cognitio, visio, Dei contemplatio, quæ sunt in cælis illarum virtutum præmium. Unde non minus remanet in beatis illa facultas quoad exercitium quam altera, imo operatio intellectus semper præsuppositive se habet ad operationem voluntatis. Ergo voluntate principalior est intellectus in beatitudine formali.

Sed contra I. quia secundum multos melioris notæ philosophos intellectus non est vere principium activum. Contemplando enim & cognoscendo, se habet ad instar speculi repræsentantis quæ ipsi objiciuntur, & illa non potest non repræsentare; unde non est potentia libera, sed modo necessario se habet, per oppositum ad voluntatem, quæ libere actus suos elicit, & ex hoc capite nobilior & præstantior erit, licet hæc in operando dirigi debeat, ut ita dicam, ab intellectu, quia ferri non potest in objectum per actum amoris, nisi ut summe amabile fuerit prius ipsi repræsentatum, quod vere pertinet ad intellectum. Sed cum multa adversus hanc responsionem objici possent non mediocris momenti, harum facultatum naturam spectantia, *Respondeo* II. Dato quod actibus fidei & spei correspondeant in cælis visio Dei, cognitio & contemplatio, intellectuique creato conveniat ratio principii activi, non minus voluntas in beatitudine formali esse quid principalius, quin potius. Etenim juxta adversarios post Divum Thomam 1. 2. q. 66. art. 6. quamvis absolute voluntas sit imperfectior intellectu, tamen datur quidam actus voluntatis, nempe amor charitatis, qui est perfectior, quam aliqui actus intellectus, scilicet actus fidei, unde concludunt charitatem esse fide excellentiorem, dicente Doctore Angelico: Dilectio Dei est majus aliquid quam ejus cognitio, maxime secundum statum viæ, ideo præsupponit ipsam & his ducti rationibus, volunt in actu amoris, non in actu fidei sitam esse vitæ præsentis beatitudinem supernaturalem: quo potius hic contra ipsos agere possumus. Perfectio operationum importat perfectionem potentiarum: ergo ubi erunt operationes perfectiores erunt & potentiæ perfectiores. Atqui dilectio Dei aut amor charitatis qui est actus voluntatis, perfectior est in statu viæ & excellentior actu fidei qui est actus intellectus, & fertur in objectum modo perfectiori. Ergo voluntas in ratione potentiæ erit perfectior intellectu. Sed ex eo quod in statu viæ voluntas sit potentia perfectior

ftior aut excellentior, & in operatione ipsius sita sit beatitudo supernaturalis, illa in Beatitudine status patriæ debet esse principalior & excellentior operatio. Siquidem potentiæ quæ in statu patriæ in natura intellectuali remanent cum exercitio suorum actuum, non sunt specifice diversæ ab iis quæ ipsi inerant in statu viæ, sed sunt eædem, intellectus scilicet ac voluntas, & eosdem eliciunt actus: ex parte voluntatis sunt iidem actus dilectionis Dei & charitatis, etsi in gradu perfectiori: ex parte intellectus sunt visio Dei, ipsius cognitio ac contemplatio, quæ vere correspondent actibus fidei & spei. Ergo operatio voluntatis, quæ erat principalior in statu viæ, & in qua sita erat beatitudo supernaturalis, in patria erit principalior in beatitudine formali.

In explicandis variis Sacræ Scripturæ aut Patrum textibus qui adversus assertionem nostram videntur non immorabor. Sive enim soli faveant visioni dum de Beatitudine agitur, sive soli faveant amori & dilectioni, sive gaudii memninerint & delectationis qua satiantur electi & inebriantur potantes de torrente voluptatis Dei: nihil exinde sequitur in oppositum, cum hæc varia loca non sint per exclusionem unius aut alterius intelligenda, & ad rationem formalem Beatitudinis minime spectent: suntve nonnulla quæ a præsenti disputatione sunt prorsus aliena.

QUÆSITUM TERTIUM

De variis dictæ Beatitudinis dotibus.

INter præcipuas supernaturalis Beatitudinis dotes, affectiones vel proprietates essent a Theologis annumerandæ universalitas & perpetuitas. Ad Beatitudinem in se vel in abstracto consideratam spectat prior. Ex parte beatorum magis se tenere videtur posterior, si ad durationis certitudinem attendatur.

Dixi universalitatem, non eo sensu quod illa Beatitudine donetur quodlibet naturæ intellectualis individuum, & ad illam aliquando perventura tandem sit omnis rationalis creatura: etenim primum a veritate est alienum, & contra secundum fides catholica reclamaret. Universalem ergo dico Beatitudinem, illam quam pro cuncta creatura intellectuali ordinaverat supremus & universalis hominum & Angelorum Beatificator, quamque ut omnium principium, nec non eorum finis ultimus, omnibus in quantum in se est disponeret, licet innumeri sint inter homines, qui illa Beatitudine fraudabuntur: illam uno verbo cui nata est creatura rationalis, & a qua non excluditur nisi volens.

Ad perpetuitatem quod attinet, sensus est, utrum illa suprema beatitudo, finem aliquando sit habitura, sintque fruentes beati illa fruentes, hanc æternum esse duraturam, proindeque inamissibilem, impeccabilesve se ex omni parte sciant: ac tandem, utrum hæc perpetuitas sit beatitudinis essentialis. Illam supremæ huic beatitudini vere essentialem prædicant quidam, reclamantibus non paucis, qui illam dumtaxat ut proprietatem consequentem habent. Mihi autem videtur hæc opinionum varietas tota in verbis, nullatenus vero in re ipsa, ut in quæstionibus pure metaphysicis sæpius accidit. Quot lites inter scholasticos brevi finirentur, si bona fide certantes, de vera & genuina verborum significatione semel inter se consentirent!

Ex

Ex eadem litigandi prurigine alia inter eosdem circa beatorum impeccabilitatem orta est quæstio. Illam æternæ beatitudini vere annexam, & futuræ vitæ consectarium quid, & necessario, prædicant omnes. Sed utrum illud ipsi insit ab intrinseco vel ab extrinseco, utrum proxime vel remote, utrum in sensu composito, vel in sensu diviso, hinc & inde certatur & pluribus, ut in quæstionibus levioris momenti non raro contingit, in utramque partem congestis, lite interminata, ad alia non majoris ponderis properant litigantes, non magis de studentium utilitate quam de lectorum judicio solliciti. His per transennam & quasi fortuito, ægreque observatis, ad propositum redeamus, præsenti sectioni finem breviter imposituri.

ASSERTIO PRIMA.

Beatitudo ex se, & ex parte objecti Beatifici omni naturæ intellectuali est communis; & in hoc sensu universalitas ipsi est ab intrinseco annexa.

Ex parte probata manet ex iis quæ dicta censentur. Quid enim beatitudinis nomine intelligitur, nisi finis ille ultimus quem necessario intendit natura intellectualis, quique unicus cum sit, non potest non esse communis, & aliunde cum sit summum bonum, quo nihil melius, ex natura sua postulat communicari: quod verum non esset, si universalitas non esset ipsi ab intrinseco annexa.

Hinc autem sequitur quod ad illam beatitudinem pervenire possit omnis natura intellectualis quæ ad ipsam a suo factore fuerit ordinata. Ex quo præterea sequitur quod, cum hæc Beatitudo viribus naturæ obtineri non possit, & ad id auxiliis supernaturalibus opus sit, a Deo bonorum omnium largitore sint præparata media sufficientia ad illam consequendam. Rem vero sic se habere manet abunde probatum ex iis, quæ fuse tractantur, ubi de voluntate Dei circa omnium hominum salutem, & de Christi morte pro omnibus, æque ac ubi de gratia Christi quam nulli deesse invicte ostenditur. Ad illos tractatus remittimus, cum hujuscemodi quæstiones in præsentibus attingere nostri non sit instituti.

ASSERTIO SECUNDA.

Perpetuitas est Beatitudini essentialis: nec non securitas ex parte Beatorum circa æternam illius durationem . . . . . . Sunt duæ partes.

Probatur I. de perpetuitate. Proprietates Beatitudinis metiendæ sunt juxta ordinem quem dicunt ad Beatificantem, vel ad Beatificabile. Si ergo ducatur Beatitudinis, ut est absque dubio, magis se tenet ex parte objecti aut Beatificantis, quam ex parte subjecti aut Beatificabilis, cum illius objectum (scilicet Deus) sit essentialiter perpetuum, illam perpetuitatem debet essentialiter participare Beatitudo. Hinc est quod Beatitudo in Scripturis Sanctis dicitur, hæreditas incorruptibilis, incontaminata, vita æterna, gaudium quod nemo tollet, habitatio non manu facta, æterna in cælis. Quæ omnia de Beatitudine in rigore logico non prædicarentur, si perpetuitas in quantum a Deo Beatificatore participatur, non esset ipsi essentialis.

Probatur II. De securitate. Siquidem illud Beatitudini essentiale existimari debet, quo sublato non es-

esset qui summum bonum, aut aggregatio bonorum omnium expetibilium posset dici beatitudo. Sublata autem in Beatis certitudine aut securitate circa perpetuam beatitudinis durationem res sic se haberet. De amittendo illo bono summe amabili & semper desiderabili, si perpetuitas ipsa non foret essentialis, Beatis continuus esset timendi locus, proindeque verè ac plene beati dici non possent, quod repugnat & contradictionem importat. Verum non ita res est. Æternum duraturam Beatitudinem credunt & firmissimè tenent beati, illis revelavit Deus, illis promisit Deus, mercedem suam magnam sciunt esse Deum, se cum illo sine fine victuros non dubitant: tota suprema illam beatitudinem ex parte, ut ita dicam, constituit hujusmodi securitas.

Illud autem discriminis intercedit perpetuitatem beatitudinis inter & securitatem ex parte Beatorum circa æternam illius durationem, quod perpetuitas simpliciter & absolute beatitudini est essentialis, utpote quæ in ipsa Dei æternitate fundatur, certitudo vero illius durationis & beatorum securitas, est tantum secundum quid & hypotheticè essentialis; supponit enim Dei decretum de conservando in æternum natura intellectuali, cujus duratio & conservatio a libera Dei voluntate pendet. Verum cum circa Dei voluntatem de creaturæ intellectualis perpetua conservatione, nullus sit beatis ambigendi locus, nullum circa hujusmodi decretum ex parte Dei illis superest dubium, nullum pariter circa beatitudinis perennitatem superesse potest.

Nec dicatur Doctor Subtilis assertioni nostræ contrarius, quin potius ipsi favet, postquam circa beatitudinis perpetuitatem multa disseruit in 4. dist. 49. quæst. 6. illam considerans prout dicit ordinem ad subjectum, cujus conservatio, quæ ex Dei voluntate totaliter pendet, ut quid accidentale haberi potest, illam considerans in seipsa, & pro ut dicit ordinem ad objectum, nobis consentit. Unde dum petitur, an perpetuitas includatur in ratione Beatitudinis, respondet, quod si Beatitudo accipiatur pro perfectione intensiva, non includitur, quia ejus ratio formalis est solum conjunctio ad objectum beatificum. Si autem accipiatur pro perfectione extensiva ad omnes affectiones suas, partem affirmativam tenet his verbis. Beatitudo autem pater quod nata est perpetuò manere; ergo ipsa sic accepta pro perfectione summa intensive & extensive, includit perpetuitatem. Quæ verba Doctoris idem præcisè sonant ac assertio nostra in sensu a nobis exposito. Licet quædam aliunde possent oriri suspicio circa mentem Scoti in præsenti materia, quæcumque minus clara reperiuntur in ipsius scriptis, exponenda sunt juxta distinctionem mox allatam, quamque ipse nobis subministravit, & citò evanescet aut resolvetur difficultas, quæ, ut superius observatum est, minus est in re quam in verbis.

ASSERTIO TERTIA.

Beatitudini essentialiter est annexa impeccabilitas, seque vere impeccabiles in patria sciunt Beati.

Probata manet hæc assertio ex Scriptura dicente Apocal. 21. quod in sanctam civitatem *non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Ex Augustino contra duas Epistolas Pelagianorum de statu viæ, & de statu patriæ sic loquente: *Hic præceptum est, ut non peccemus; ibi præmium est, non posse pec-*

peccare. Quibus multa addere tam ex Patribus quam ex Scripturis Sanctis esset facillimum, si hac in materia argumenta congerere esset nostri propositi. Sed cum leviores momenti quæstiones, quæ ad fidem aut ad mores parum conferunt, paucis absolvere intendamus, propositionem nostram hoc unico sequenti argumento confirmabimus.

Beati in patria sunt in gratia & in bono confirmati: nihil aliud amant, aut amare possunt præter Deum, cui, ut superius dictum est, perfectissime uniuntur per duplicem operationem intellectus & voluntatis. Sed huic Beatorum fortei essentialiter adeo annexa est impeccabilitas, ut sine ipsa nec esse nec concipi possit. Imo perfectio ultima voluntatis Deo fini ultimo conjunctæ, exigit essentialiter ut circa illum finem ita sit rectificata, ut non possit ab eo deficere. Ergo Beatitudinem necessario concomitatur impeccabilitas, ipsique proinde est essentialiter annexa.

Verum beatis quod sint impeccabiles satis non est, si de hac sua impeccabilitate incerti remaneant. De suæ beatitudinis perennitate hoc in casu esse adhuc solliciti, quod ab ipsa aliquando cessare possent illis esset formidandi locus, eo instanti quo a justitia deficerent, eodem instanti suprema illa Beatitudine se esse privandos intelligerent: sicque, quod repugnat, & contradictionem involvit, summe beati, miseri essent ob miseriæ imminentis timorem. Si ergo in patria vere impeccabiles sciant ex omni parte Beati necessum est, quod alioquin minus verum esset in aliquo sensu, si beatitudini non esset essentialiter annexa impeccabilitas.

Adversus præcedentes assertiones quæ possent objici missa facio, sicut nonnulla quædam circa eamdem materiam minoris ponderis, minorisve certitudinis, quæ a Theologis non paucis tractari solent, sed a quibus abstinere, me monet brevitas cui studeo, a qualibet rixandi libidine alienus.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Ex iis quæ huc usque diximus, ad morum institutionem, vitæque christianæ informationem, quid sit colligendum, quis non intelligit? Deus solus creaturæ intellectualis finis ultimus esse potest: omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus. Totius ergo beatitudinis fons & origo sit ipse necesse est. Beatitudinis, inquam, nedum alterius vitæ, quæ est interminabilis, sed etiam vitæ præsentis, quæ extra Deum in vanum quæreretur. Quid quid Deo minus est, cor nostrum occupare valet, sed ad ipsum beandum, id erit semper impotens, quod multoties expertus Augustinus sic exclamabat Confess. lib. 6. cap. 16. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram! versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia.* Nemo de quadam felicitate sibi blandiatur super terram, si Deum auctorem suum vere non amat, ubi amor Dei non est, miseria magna est. Illud totis viribus, plerisque fancibus prædicare non cessant sancti Dei homines. Ipsis aliquando credamus & nostræ utilitati consulentes directioni Dei incumbamus. Id unum præ oculis mentis semper habeamus, in cœlis ipsi fore æternum locandos, qui ipsum corde sincero exquisierint super terram: ergo soli Deo adhæreamus: omnia quæ sunt in mundo pro nihilo reputantes, quæ & quanta sunt quæ nobis in æterna beatitudine

dine promittuntur, attente considerimus cum sanctis aliquando sine fine victuri.

SECTIO SECUNDA.

De intellectu Morali.

INtellectus moralis nomine hic intelligitur, intrinsece directivum humanorum actuum principium, quo ducetum agenda, tum vitanda cognoscimus. Ipso dictante, illa voluntas prosequitur, ab istis vero abstinet. Dicitur autem intrinsece directivum, per quod distinguitur a lege positiva divina aut humana, quæ est actionum nostrarum principium extrinsece directivum, faciendo præcipiens, vitanda prohibens. Intellectus moralis sic acceptus vulgo dicitur conscientia, quam cordis lecturam, animæ pædagogum, spiritum correctorem, testem fidelissimum, naturalem tabulam, in qua legit unusquisque opus suum, Sanctis Doctoribus placuit appellare. Circa ipsam multa occurrunt dicenda scitu dignissima, quæ summa cum diligentia perpendere nostrum est.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quid, & quotuplex sit conscientia?

RAtio, Synderesis, & conscientia pro uno & eodem non raro usurpantur, in eo enim inter se conveniunt, quod unaquæque illarum vere sit lumen quoad morum nostrorum directionem ab auctore naturæ signatum est super nos, ut bonum & malum valeamus discernere, quidve sit agendum aut cavendum judicare possimus. Verum inter illas aliquid discriminis cum reperiatur, quid præcise conscientiæ nomine in moralibus intelligatur sequenti assertione debemus stabilire, ex ipsa conscientiæ definitione quotuplex sit simul æstimatur.

ASSERTIO UNICA.

Conscientia est judicium intellectus practicum, voluntati dictans in particulari quid hic & nunc faciendum sit vel fugiendum, & hæc est multiplex.

DIcitur judicium intellectus, quo significatur illam vere esse nedum habitum sed actum, pertinentem ad intellectum, non autem ad voluntatem, ut Durando placuit. Conscientia enim, cujus officium est judicare, & arguere, applicat scientiam ad actum; scientia autem est in intellectu, non vero in voluntate. Judicium illud dicitur practicum, quia non sistit in principiorum contemplatione, nedum speculatur, sed etiam dictat & ex principiis concludit quæ nobis sunt agenda. & cum judicet conscientia quid in praxi & in casu particulari juxta generalia principia sic faciendum, judicium illud vocatur practice practicum. Additur voluntati dictans: voluntas per se est cæca, inter bonum & malum discernere nequit, ideoque dirigatur oportet a recta ratione vel conscientia ipsi dictante illud legi æternæ esse consentaneum vel oppositum. Hæc autem dictat in particulari, quid hic & nunc faciendum sit vel fugiendum, & in hoc differunt inter se synderesis & conscientia. Synderesis est habitus principiorum practicorum universalium, dictans in communi juste esse vivendum, bonum esse faciendum, Deum esse diligendum, proximum esse amandum, a malo esse declinandum.

Conscientia vero ab universalibus ad particularia concludens, dictat tale bonum hic & nunc esse faciendum, hunc virtutis actum modo esse exercendum, a tali actu ut pote vitioso in præsenti & semper

per esse abstinendum, tunc charitatis actum erga Deum aut erga proximum modo esse eliciendum; quæ omnia dictare non potest, nisi in quantum ex propositione universali deducit propositionem singularem. Hinc sequitur, quod Conscientia non solum docet & illuminat, sed etiam jubet & imperet. Siquidem Conscientia, vel quod idem est, lex naturalis in homine nihil aliud est quam participatio, aut expressio legis æternæ, qua Deus ab æterno bonum approbat, malum vero reprobat. Deus enim utcumque judicans præcipit unum, aliud prohibet; sic Conscientia quæ sunt agenda, quæve fugienda judicans, quædam improbat & vetat, alia probat & imperat.

Ad divisionem Conscientiæ quod attinet, in eo consentiunt omnes quod hæc sit vel certa, vel erronea, vel dubia, vel scrupulosa, vel probabilis. Tunc Conscientia dicitur certa, seu vera, quando seclusa omni dubitatione, saltem rationabili, dictat illud in particulari esse faciendum aut fugiendum, quod vere hic & nunc faciendum est aut fugiendum, ex eo quod legi æternæ sit conforme, vel ab ea dissentiat; si autem diceret bonum quod malum est, dictans illud esse agendum, vel malum esse quod bonum est, judicans illud esse vitandum, tunc erronea diceretur. Cum autem anceps intellectus, & in æquilibrio manens, judicium suspendit nulli parti adhærens, Conscientiam dubiam reddit. Si vero homo nullis ductus rationibus, sed vanis tantum suspicionibus agitatus, & inanibus deceptus peccati speciebus vereatur, ne malum sit quod in rei veritate malum non est, vel grave existimet id quod non est nisi leve, Conscientiæ dicetur scrupulosæ. Probabilis tandem Conscientia ea est, quæ uni parti adhæret gravibus ducta rationibus, non quidem evidentibus, sed sufficientibus ad determinandum viros pios, & prudentes, non tamen sine formidine partis oppositæ.

Huic Conscientiæ divisioni generaliter receptæ adhæremus, quæ legitima, & in ipsa rei natura fundata nobis videtur. Etenim Conscientia, quam æternæ legis participationem superius diximus, est judicium intellectus, procedens per modum conclusionis deductæ ex principiis universalibus. Tale autem judicium veritatem assequitur, vel ab illa recedit gravibus aut levibus nitens fundamentis, aut tandem inter utramque partem fluctuat nulli adhærens: quod satis est ad prædictam divisionem fundandam.

QUÆSITUM SECUNDUM

Utrum, & quomodo obliget Conscientia.

Conscientiam in actus humanos influere ex ipsius definitione fit manifestum, illos sublato ejus influxu, qua ratione dirigeret? Tanta autem est directionis illius vis, ut dictamen ipsius, potissimum cum certa est conscientia, absque peccato non sequi non possit homo: unde actuum nostrorum unica & legitima est regula, a qua discordare licitum non est. Utrum autem de conscientia erronea, dubia, scrupulosa, & probabili, idem sentiendum sit judicium, accuratius juvat investigare. Verum cum circa conscientiam probabilem pluribus ab hinc annis lis maxima moveatur, acriterque hinc & inde decertetur, de illa in particulari, ac fusius disseremus, de conscientia erronea brevius dicturi.

Advertendum ergo, errare consci-

scientiam quoties faciendum dictat aut fugiendum quod vere non est faciendum vel fugiendum. Hic autem error, vel vinci potest, vel est invincibilis. Error censetur invincibilis cum ab operante, quacumque morali adhibita diligentia, detegi nequit, tum ex eo quod nullus circa objectum illi fuerit dubitandi locus, tum, ex eo quod adveniente dubio, post diligens examen se in errore versari non potuerit judicare. Est autem vincibilis error, cum sufficiente adhibito examine illum potest detegere qui in illo versatur, aut saltem de illo quamdam habere suspicionem. Non defuere qui existimarint, etsi irrationabiliter, ut inquit Divus Thomas 1. 2. quæst. 19 art. 5. in Concl. quod Conscientia errans præcipiendo ea quæ sunt per se mala, vel prohibendo ea quæ sunt per se bona, & necessaria ad salutem, non obligat: unde fit ut voluntas in talibus discordans a ratione vel conscientia errante non sit mala. In ipsos, contrarium tenens, insurgit Angelicus Doctor, quem in hac parte sequuntur omnes Theologi. De errore provenienre ex negligentia inquirendi veritatem dicere esset superfluum. Cum enim sit voluntarius, nihil circa illum est difficultatis.

ASSERTIO PRIMA.

Conscientiæ quæ est interna & necessaria regula morum, tanta est vis & obligatio, præsertim si est recta, ut peccet homo quoties contra illius dictamen operatur.

Conscientia quæ a recta ratione non discrepat, est proxima regula voluntatis operantis, vel actus imperantis: homini enim data est ut sit illi lex ad moralem directionem. Quoties ergo in operando ipsius dictamen homo non sequerur, a peccato immunis non erit, cum omnis actus qui legi & propriæ regulæ non est conformis, malus sit dicendus, juxta illud Apostoli Pauli Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est*, quod de conscientia omnes intelligunt.

Ad illam velut ad legem naturalem, a qua nusquam licet recedere, attendens D. Paulus, scribebat ad Romanos cap. 2. *Gentes, quæ legem non habent*, scilicet scriptam, *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt . . . ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, de bono vel malo, cujus cognitionem habent per ipsam Conscientiam, ut addit quidam in hunc locum. Id melius patebit ex infra dicendis de Conscientia erronea, a qua si non possumus inculpare recedere, quanto minus Conscientiæ rectæ dictamini non obedientes innoxii erimus.

ASSERTIO SECUNDA.

Eadem est Conscientiæ errantis invincibiliter vis & obligatio: se illi non conformans homo peccat. Si errat vincibiliter, debet deponi.

Veritas hujus assertionis evincitur ex verbis Divi Pauli hæc habentis Rom. 14. *Scio & confido in domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est . . . . Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo: beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide.* Discretio ciborum a diebus Evangelii oriri non poterat nisi ex Conscientia erronea, existimat tamen Apostolus illum pec-

ciborum qui hic standum esse judicans, cibis, quos immundos crederet, uteretur. Dictamini ergo Conscientiæ invincibiliter erranti se conformare tenetur homo.

Hunc Apostoli locum in eodem sensu exponunt Sancti Patres. Audiatur Origenes lib. 9 & 10. in epist. ad Rom. *Omnia a bono Deo creata, bona esse constat & munda, sed et, inquit (scilicet Paulus) qui existimat aliquid esse commune, ipsi commune est: hoc est, qui intentione cordis immundum aliquid cogitat, & observantiam diversitatis admittit. . . Illis qui existimant, & qui putant aliquid esse commune, ipsis commune est. . . Et ne mireris quia cogitatio mentis, cibum qui natura sui communis vel pollutus non est, faciat pollutum: cum econtrario cibum vere pollutum simplicitas mentis, & in cogitatione nulla scrupulositas injecta, omni suspicione contaminationis absolvat. Et rursus etiam si mundus sit cibus, suspicionem tamen alicuius patiatur quasi qui idolis immolatus sit, pollui dicitur pro conscientiæ scrupulo. . . Hoc autem in observantia ciborum secundum eam regulam quam superius texuit, habendum dicit, ut si quis est qui per scientiam spiritalis legis probat omnia manducanda, & omnia esse munda, non rursum judicet semetipsum, & dubitationem capiat utrum sumere debeat nec ne. Quia qui hoc modo discernit, qui dubitat utrum vere mundum sit an immundum quod sumit, ipse ex ipsa autem sua dubitatione, conscientia urgente damnatur. Causam vero hujus damnationis exponit ac dicit, quia non ex fide ducitur sed ex dubitatione*, hoc est quia non agit juxta Conscientiam quam sequi debet, etiam si erronea sit, ut manifestum est ex laudatis Origenis verbis.

Eadem fere habet Sanctus Athanasius in hunc Apostoli locum sic loquens: *Qui hæret, inquit (Paulus) ne, si ederit edit, damnatur. Nec eo quod immundus sit cibus, sed quia dividit hunc mundum esse, & illum perinde ac si inquinatus esset libenter. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Quotiescumque quispiam vel nil contendit, vel autumat alienum aliquod immundum esse, & ita ut depravata conscientia illud degustet, protinus est peccato obnoxius.* Eodem modo ex Apostolo arguit S. Augustinus contra Manichæos lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 14. Sic pariter S. Chrysostomus, aliique passim Doctores, quos referre longius esset ac superfluum.

Expressis verbis tenetur Assertio nostra ab utroque Doctore, Angelico videlicet & Subtili. *Dicendum* ait S. Thomas loco superius laudato, *quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione sive recta, sive errante, semper est mala.* Scotus sic habet lib. 2. Report. dist. 39. N. 10. *Si est Conscientia erronea adhuc ligat.* Ratio autem cur agentes contra Conscientiam erroneam quamdiu non deponitur peccamus, est, quia voluntas, licet feratur vere in objectum ex natura sua bonum, non illud prosequitur tamquam bonum, sed ex errore illud judicans malum proindeque illicitum, ab ipsius prosecutione non cessat, ex quo voluntas fit mala. Etenim voluntas non fertur in objectum nisi in quantum ipsi a ratione proponitur. Quoties ergo dictante Conscientia aliquid esse malum, voluntas nihilominus illud prosequetur, absque dubio erit culpanda, licet aliunde bonum & honestum sit ex natura sua objectum quod prosequitur. Et hoc, quia, ut jam dictum est, Conscientia sive recta sive erronea, est regula proxima actionum moralium, unde est semper

per audienda Conscientia invincibiliter erronea est juxta prudentiam: non enim dictat quid agendum nisi post sufficiens examen, & absque dubio circa oppositum, aut erroris suspicione, etsi vere sit error. Praeterea Conscientiæ, quæ est practice recta, & moraliter certa, est adhærendum: talis autem est invincibiliter errans Conscientia, cum dictet post sufficiens examen secundum majorem apparentiam veritatis, quamvis veritatem non adæquatur: alioquin agere ex Conscientia probabili nunquam esset licitum, & in omnibus conclusiones, ut ita dicam, demonstrativæ requirerentur, quod nemo dicet. Nec obstat quod dictamini Conscientiæ errantis contradicentes, illud quod est legi divinæ conforme in hoc casu, & quasi per accidens, operemur: nam lex æterna nobis non innotescit nisi mediante recta ratione vel conscientia. Ut ergo actus judicetur bonus, satis non est quod legi æternæ sit consentaneus; requiritur insuper quod ut talis imperetur a voluntate sub Conscientiæ dictamine. Quamvis autem judicium erroris non derivetur a Deo, Conscientia errans judicium suum proponit nomine Dei ut verum, sicque ut derivatum a Deo, a quo est omnis veritas.

SOLUTIO

Objectionum.

I. OBjectio. Ex verbis laudatis Apostoli Rom. 14. nihil colligi potest quod assertioni præsenti faveat: hæc enim solum probant judicantem ex Conscientia recta aliquid esse malum, peccare si ab illo non abstineat. Quæstio autem procedit de obligatione Conscientiæ invincibiliter erroneæ, ad quam non attendebant laudati Patres textum hunc D. Pauli exponentes. Ergo, &c.

Respondeo, talia objicientes mentem Apostoli, & Sanctorum Patrum minime attigisse, cum hunc textum de homine Conscientiæ rectæ dictamini contradicente intellexere.

Lege Mosaica per sufficientem Evangelii promulgationem antiquata, ciborum discretio, quæ originem ab illa habebat, non nisi a Conscientia erronea oriri poterat; hujus tamen dictamen non audientem peccare judicat Apostolus, ex eo quod cibos quos immundos existimabat, licet nihil dici deberet immundum, vesceretur, sicut & ille qui, cum judicarent de idolothytis edere illicitum esse, de iis nihilominus, repugnante Conscientia, edebant: de illis pronuntiat, quod *Conscientia ipsorum cum sit infirma polluitur*. (1. Cor. 8.) Eadem ratione qui in Christo baptizati se adhuc Circumcisioni ex errore subjacere putabant, tenebantur ex Apostolo legem totam adimplere, cum illam minime abrogatam crederent. *Testificor*, inquit ad Galat. cap. 5. *omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*. Illud autem judicium cum ex recta Conscientia procedere nequiret, sed solummodo ex errore invincibili tunc temporis originem haberet: *in Christo enim Jesu*, addit Apostolus, *neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium*, evidens est Divum Paulum existimasse tantam esse vim & obligationem Conscientiæ errantis invincibiliter, ut absque peccato ab ea discordare non possimus. Idem esse dicendum de Sanctis Patribus judicabit prudens Lector, quoties eorum verba ex æquo perpendere voluerit.

II. *Objectio*. Fieri potest, & non raro

raro accidit, Conscientiam errore ductam aliquid proponere ut malum ideoque fugiendum, quod tamen in rei veritate bonum est. Quis autem, hac facta hypothesi, absurdum non existimaret huic conscientiæ dictamini esse obtemperandum ut ex præsenti assertione colligitur?

Respondeo, judicium illud nihil habere absurdi, & huic in praxi esse standum. Est absque dubio contra conscientiæ dictamen agere nunquam esse licitum, quamvis a Conscientia ex errore proponeretur aliquid ut malum, quod tamen in se bonum esset. Quia ut optime discurrit S. Thomas, error quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Suæ propositionis rationem reddit his verbis: *Ex quo aliquid proponitur a ratione ut malum, voluntas dum in illud fertur, accipit rationem mali. Si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali, unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis. Credere in Christum est per se bonum & necessarium ad salutem, sed voluntas non fertur in hoc nisi secundum quod a ratione proponitur: unde si a ratione proponatur ut malum, voluntas feretur in hoc ut malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quia est malum per accidens ex apprehensione rationis.* Unde concludit, ut jam retulimus, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione sive recta, sive errante, semper est mala. Præterea, Conscientia nihil mali proponit quod malum cognoscit, & malum judicat, sed obligat nos ad malum materialiter, quod, sufficienti adhibito examine, bonum judicat, & ut bonum voluntati proponit.

Ergo, *inquient*, pluribus in casibus contra Dei legem erit agendum etenim Conscientia invincibiliter errans dictare potest aliquid esse faciendum quod lege divina prohibetur. Consequens autem videtur absurdum, cum ex utroque capite oriatur peccandi necessitas, tum Conscientiæ obtemperando, tum illi non obediendo.

Respondeo, cum distinctione. Erit agendum contra Dei legem materialiter sumptam, concedo, sumptam formaliter, nego. Lex non obligat nisi scientem legem, aut illam debentem scire. In casu supposito non ageretur contra Dei legem quæ ex errore invincibili ignorata censetur, oppositum dictante Conscientia, cui tenetur homo se conformare, non vero legi, cujus quidem est transgressio secundum exteriorem actum, non autem secundum internum voluntatis affectum. Præterquam quod transgressio illa, quæ ex Conscientia invincibiliter erronea oriens est solummodo materialis, non imputabitur, ut videbitur ubi de ignorantia. Ex quo sequitur, & illud est advertendum, hominem peccare posse contra præceptum quin peccet contra conscientiam & viceversa peccare posse contra conscientiam quin præceptum transgrediatur. Non inde tamen inferatur, Deum ad peccatum obligare, sed tantum conscientiam errantem proponere ut bonum & præceptum a Deo, quod revera malum est ac prohibitum.

III. *Objectio*. Ex Sancto Augustino relato a Divo Thoma, præceptum inferioris potestatis non obligat quando est contraria præcepto superioris potestatis. Sed illud verum non esset, si Conscientiæ, quæ est inferior potestas, esset adhærendum quando dictat aliquid agendum, quod est contra legem Dei, quæ est potestas superior.

Quodl. 3. art. 5.

Ubi sup.

rior. Ergo conscientia errans non obligat.

Respondeo, cum Divo Thoma hæc Augustini verba locum habere, si cognoscatur quæ ab inferiori potestate statuuntur contraria esse præcepto superioris potestatis, & non aliter: unde sic prosequitur Doctor Angelicus: *Si quis tamen crederet quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris* (illud in exemplum adduxerat D. Augustinus) *contemnendo præceptum Proconsulis contemneret præceptum Imperatoris. Et similiter si aliquis homo cognosceret, quod ratio humana dictaret aliquid contra præceptum Dei, non teneretur rationem sequi, sed tunc ratio non totaliter esset errans, sed quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.* Ex hac Divi Thomæ responsione assertio nostra confirmatur, & ex parte probata manet obligatio deponendi conscientiam, cujus error vinci potest; quæ si non deponatur, peccat qui operatur, quod ulterius est ostendendum. Igitur

Probatur assertio quantum ad Secundam partem. Qui non deponit conscientiam vincibiliter erroneam, & secundum illius dictamen agit quod aliunde non esset agendum, malum operatur volens; tunc enim vult vere malum quod operatur, cum errorem ex quo oritur illud malum, potuit deponere, & debuit, non tamen deposuit; res autem sic se habet. Ignorantia, qua ductus illud agit quod lege prohibetur, est voluntaria, & non excusat error in quo versatur ignorans illud quod operatur esse lege prohibitum, sufficientibus mediis adhibitis detegi potuit, proindeque ignorantia ex eo fluens facile vinci. In casu vero supposito media ad errorem detegendum, quæ poterat, & debebat adhibere ad superandam ignorantiam, non adhibuit. Errorem ergo circa illud quod scire tenebatur reddidit voluntarium, quod fugiendum erat volens ignoravit; proindeque malum quod operatus est ex dictamine conscientiæ vincibiliter erroneæ, habet vere rationem mali, & in hoc minime valet excusari.

Confirmatur conscientiam vincibiliter erroneam esse deponendam hoc argumento, quo præsentem assertionem ut probet, utitur Doctor Subtilis, Report. 2. d. 39. Qui ex conscientia vincibiliter erronea judicat se teneri ad aliquid faciendum, quod tamen juxta legem fieri non debet, sive illud faciat, sive non faciat, semper erit culpandus. Si primum, erit culpandus, ex eo quod non liceat facere illud quod lex prohibet, & a peccato non excusabitur, cum ignorantia supponatur vincibilis. Si secundum, erit adhuc culpandus, quia ut dictum est, juxta dictamen conscientiæ debemus operari, & voluntas illi se non conformans peccat. Supponamus hominem ex conscientia erronea credentem se teneri pro conservanda vita propria vel aliena, ad præstandum coram judice falsum juramentum: peccat si non præstat falsum juramentum, quia illud omittit, ad quod se teneri sub peccato existimat. Si falsum juramentum præstat, peccat pariter, quia legem falsum juramentum stricte prohibentem transgreditur. Unde sic concludit Scotus. Si est conscientia erronea adhuc ligat, sed non tenetur ad faciendum illud, nec ejus contrarium, sed ad deponendum errorem, quia sive faciat, sive non faciat stante conscientia peccat mortaliter. Ita nobiscum concludens Doctor occurrit difficultati quam ex illatione sic proponunt nonnulli. Ergo, inquiunt,

tiæ, ex tali sequeretur sequitur voluntatem esse necessario peccaturam, quia quoquo se vertat, semper illicitum perpetrabit. Non valet hæc illatio, ex eo quod deponi possit & debeat conscientia ex errore vincibili dictans aliquid esse agendum, quod legi adversatur. Tunc deposita conscientia errante quod rectum est ac legi conforme prosequetur voluntas. Quod si urgentes velut instare, tempus & occasionem operandi, proindeque non esse viam detegendi errorem, respondetur, quod si error conscientiæ versetur circa aliquid, quod operans scire teneatur, illum a peccato non excusabit ignorantia, quia, ut ibidem dicit Magister, nullus se absolvere potest per peccatum suum, qualis est hic error, quia est culpabilis, quia est ignorantia dispositionis, & quidem pravæ, & aliqualiter voluntariæ, ideo non excusat, sed accusat. Si ex opposito error conscientiæ sit de iis quæ operans non tenetur scire, licet aliunde sufficienti adhibito examine ea scire potuisset, si urgente agendi necessitate, & deficiente via detegendi errorem, conscientiæ errantis dictamen sequens operetur contra legem, non ipsi imputabitur transgressio legis ad peccatum, quæ in illo casu non potest dici voluntaria: eoque ex circumstantiis judicabitur operari ex conscientia invincibiliter errante, quæ excusat, ut in confesso est apud omnes.

ASSERTIO TERTIA

Conscientia scrupulosa, sicuti conscientia dubia, non est regula certa nostrorum actuum, utraque est deponenda.

Probatur sic. Illa conscientia nequit esse certa regula actuum nostrorum, qua posita & durante homo non potest ferre judicium certum de bonitate aut rectitudine suorum actuum. Res autem sic se habet. Quandiu homo est sub dictamine scrupulosæ aut dubiæ conscientiæ, timet semper aut dubitat, an pravum sit aut rectum quod est operaturus, tali ductus timore, hujusmodi dubio perturbatus, quid agat non videt, quam partem amplectatur ignorat. Utramque ergo illam conscientiam debet deponere quisquis juxta prudentiæ leges se gerere desiderat.

Primo quidem ad scrupulosam conscientiam quod spectat, nullus est qui non videat. Ut conscientia sit actuum nostrorum certa regula, oportet ut omni seclusa suspicione, cunctaque anxietate remota quid est agendum dictet, quidve fugiendum ostendat, est enim, ut in principio diximus, judicium practicum intellectus voluntati in particulari dictantis, quod hic & nunc faciendum est aut fugiendum. Verum cum iis suspicionibus, variis licet & inanibus, agitatur animus, ratiunculisve superstitiose torquetur, qui extare potest illud judicium certum quod ferre debet conscientia? Hinc est quod conscientiæ scrupulosæ, quæ non est nisi judicium imperfectum & erroneum, nomen conscientiæ a nonnullis denegatur. Hujus autem dictamen sequi non tenetur homo, imo sæpius contrarium debet agere, atque ad vitandum quodlibet periculum illam semper debet deponere.

Secundo de conscientia dubia certum est illam esse deponendam, & ex illa operari esse illicitum. Siquidem qui operaretur ex conscientia dubia peccandi periculo volens se exponeret. Etenim dubius & anceps inter utramque partem, quæ sit via bona, quæ vero sit mala, ob rationes æqualiter hinc & inde mo-

moventes, ignorans, dum unam sequitur inconsultus, alia relicta, viam malam potest eligere: peccandi autem periculo liberiori se exponere semper est illicitum. Conscientiam dubiam ergo deponat oportet omnis qui contra rectam rationem, & imprudenter agere non vult. Hinc sequitur quod homini sub dictamine, vel potius sub indeterminatione conscientiæ dubiæ, si ab illo pendeat operari vel non operari, ab actione est abstinendum, si vero urgeat operandi necessitas, tutiorem sequi opinionem tenetur juxta regulam capitis *ad audientiam*, quæ dicit, quod in dubiis tutior via est eligenda, & *graviter peccaret*, inquit Augustinus lib. 1. de bapt. contra Donatistas cap. 3. *qui in rebus ad salutem animæ pertinentibus incerta certis præponeret*.

His circa conscientiam ex principiis generalibus observatis, quibusdam quæstiunculis ex præcedentibus quasi fluentibus, quæ proponi solent, & ad casus plures solvendos possunt inservire, breviter, ne aliquid quod cujusdam sit utilitatis omittamus, est satisfaciendum.

Quæritur 2. Utrum homo discordans a conscientia, & operans contra legem committat duplex peccatum, & mortale sit illud peccatum aut veniale.

Resp. Qui agit contra dictamen conscientiæ, & legem agendo transgreditur, unicum committit peccatum, quod veniale est, aut mortale juxta materiæ vel circumstantiarum gravitatem, per accidens vero juxta operantis intentionem. Tunc enim homo non peccat nisi contra legem aut virtutem cui adversatur. Quia, ut optime observat D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 5. ad 3. ratio apprehendens aliquid ut malum, illud semper apprehendit sub aliqua ratione mali, puta quia contrariatur divino præcepto, vel quia est occasio scandali, vel propter aliquod hujusmodi, & tunc ad talem malitiæ speciem reducitur talis mala voluntas. Cum ergo, ut indicant citata verba, unica sit malitia, unum duntaxat erit peccatum in homine contra conscientiæ dictamen agente. Si quidem ideo peccat, quia illud facit quod vitandum judicat, vel omittit quod judicat faciendum. Etenim conscientia non obligat propria virtute sed aliena, scilicet virtute legis naturalis, aut positivæ divinæ vel humanæ. Unde per se non facit, ut peccato distincto ab eo quod nascitur ex legis transgressione, contra ipsam specialiter peccet qui ab ejus dictamine recedit. Gratis ergo a quibusdam fingitur tunc duo esse peccata, unum contra legem aut virtutem, alterum contra conscientiæ dictamen. Nec dicatur illum peccare contra duas regulas distinctas, ex quarum violatione duplicis peccati operans reus redditur. Cum enim illæ duæ regulæ connexionem inter se habeant, sintque invicem subordinatæ, & partiales, unam solummodo efficiunt. Ut lex obliget, debet esse cognita, & applicari voluntati per conscientiæ dictamen: contra legem non peccatur nisi cognita obligatione, unde contra legem non peccatur nisi recedendo ab illo dictamine. Illud autem peccatum est mortale aut solum veniale juxta gravitatem aut levitatem materiæ, & circumstantiarum. Dixi per accidens, juxta operantis intentionem, & illud debet intelligi de casibus, in quibus homo agens contra conscientiam dubiam, erroneam, & scrupulosam, non faceret aliunde quidquam prohibitum, sed illud judicaret prohibitum. Si enim quidquam faceret vel omitteret, existimans vel dubitans in eo quod facit vel omit-

omittit esse peccatum veniale aut mortale, tunc ratione suæ intentionis mortaliter aut venialiter peccaret, ex eo quod illud omitteret aut faceret, judicando, aut saltem dubitando se venialiter aut mortaliter peccaturum. Omissio ipsius vel operatio licet aliunde legi minime contraria, participaret gradu malitiæ quem ipse intendisset.

Quæritur 2. Ex qua lege, naturali an positiva, fluat obligatio operandi juxta conscientiam, & utrum Deus in illa possit dispensare.

Resp. Cum, ut jam diximus, conscientia non obliget propria virtute, sed aliena, nempe virtute legis jubentis vel prohibentis hoc aut illud, qualis erit lex, talis erit, & obligatio. Unde si præceptum sit de lege naturali, obligatio agendi quod conscientia dictat per talem legem esse præceptum, erit de lege naturali, & sic in aliis casibus. Posset tamen dici quod generaliter loquendo obligatio non discordandi a conscientia sit de lege naturali, ex eo quod ab ipsa natura nobis data sit conscientia ad actuum nostrorum directionem, & præscindendo a tali vel tali circumstantia, in qua lex sive positiva sive naturalis aliquid in particulari præcipit aut prohibet, semper verum sit dicere quod tenemur quando urget occasio, sequi conscientiæ dictamen, & quod ab illa nunquam possumus inculpate discordare. Ab hujusmodi obligatione, respectu conscientiæ rectæ aut invincibiliter erroneæ quæ ad rectam reducitur, cum de ea quæ non est certa actuum nostrorum regula quæstio non procedat, ab illa, inquam, an Deus possit dispensare, videtur quod non possit. Etenim ut volunt Thomistæ, & alii passim Theologi, in lege naturæ Deus non potest dispensare, hæc enim alia non est quam ipsa lex æterna, ratioque illa immutabilis quæ ipse Deus est, & contra quam nihil ipse potest, *quia*, ut inquit D. Augustinus, *negare se ipsum non potest*. Et huic sententiæ hoc in capite subscribit Scotus in 3. dist. 37. dicens, *quod in his quæ sunt strictissime de lege naturæ*, scilicet, *quæ sunt tamquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessario sequentes ex eis, non potest esse dispensatio*. Recta autem conscientia, cum nihil aliud sit quam participatio divinæ rationis, & intimatio legis naturalis, & æternæ, in sequendo illius dictamine dispensationem minime patitur.

Quæritur 3. Quibus mediis utendum est ad deponendam conscientiam erroneam, & quandonam illam deponere tenemur.

Resp. Iisdem mediis deponitur conscientia erroneam quibus ad veritatem cognoscendam in quacumque sit materia utuntur homines qui ab errore immunes esse volunt. Hæc autem sunt debita applicatio in veritatis inquisitione, vel apud nosmetipsos exacte perpendendo, diligenterque considerando materias, leges, circumstantias, rationes & principia morum vel consulendo libros, aut homines eruditos, quorum lectione aut consilio ab errore possimus revocari. Quando autem illam conscientiam teneamur deponere, docet Scotus conscientiam erroneam, si versetur circa præcepta negativa, quæ juxta loquendi modum usitatum, obligant semper, & pro semper, absque mora esse deponendam: si circa præcepta positiva, quando ea implendi urget occasio. Mihi autem videretur, quod aliquando, urgente occasione præcepta adimplendi, cum tempus desit ad veritatis inquisitionem, & hic & nunc unum aut aliud eligere teneatur homo, juxta pru-

den-

dentiæ regulas se gereret quisquis de conscientia erronea deponenda curaret, ut primum illam suspicaretur, & deprehenderet, & quasi volens peccandi periculo se exponere censendus est, qui errorem suum advertens, aut etiam de illo cum aliquo fundamento dubitans, illum deponere, veritatemque indagare procrastinat, donec præceptum adimplendi insilet obligatio vel occasio: & illum, qui circa conscientiam erroneam sic procrastinat libenter, delectari errore non immerito possumus æstimare. Utrum autem hujusmodi delectatio, vel etiam torpor ille sese ab errore expediendi, illi imputetur ad culpam, nec ne, resolvere non auderem.

QUÆSITUM TERTIUM.

Utrum ex conscientia probabili liceat operari.

De conscientia probabili, opinionumque probabilitate tractaturi, rem inter quæstiones morales, & practicas difficillimam, multisque scatentem ambagibus suscipimus excutiendam. Quasi summa morum regula ab omnibus tum Juristis tum Theologis quæstio illa habetur, unde ad illius elucidationem nimia diligentia non potest adhiberi, ut cujuscumque partis rationibus attente libratis, eam amplectamur quæ veritatis characteribus insignita dignoscetur. Quod ut securius, necnon facilius assequamur, quædam sunt ad quæstionis intelligentiam accuratius observanda.

Conscientiam probabilem diximus eam, quæ gravibus ducta rationibus, non quidem evidentibus, sed sufficientibus ad viros pios, & prudentes determinandos, uni parti adhæret, non tamen sine formidine partis oppositæ. Illud ergo probabile in præsenti materia vocamus quod est verisimile, etsi ut verum certo non cognoscatur, probabilesque opiniones dicemus eas, quæ licet absolute possent non esse veræ, rationabiliter tamen apparent veræ, & gravibus innituntur fundamentis, quæ sufficiunt ad certitudinem moralem formandam; quæ certitudo moralis, inquit S. Antoninus, *consurgit, non ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis magis ad unam partem se habentibus quam ad aliam.*

Duplex distinguitur probabilitas: Conscientia enim ratione nititur humana, vel auctoritate humana fulcitur. Prima probabilitas quæ petitur ex rationibus seu motivis sumptis ex natura rei, opinantem ad hujusmodi opinionem tenendam inducentibus, dicitur intrinseca. Altera quæ pendet ab auctoritate, & testimonio Doctorum, qui opinionem illam, re attente perpensa, securi sunt, aut probarunt, probabilitas extrinseca vocatur. Eo major est hæc probabilitas quo solidiores apparent rationes, quibus nititur, vel quo major est numerus aut auctoritas Auctorum in quibus fundatur. De extrinseca illa probabilitate quæ Doctorum testimonio firmatur, plura sumus in decursu dicturi.

Duobus modis probabilis dici potest opinio, subjective, scilicet, & objective. Tunc probabilis dicitur subjective cum opinio propria est ipsius operantis, in cujus mente velut in subjecto existit, qui determinato judicio gravi ductus motivo, non tamen evidenti, existimat aliquid ipsi esse licitum. Ut si quis data sufficienti diligentia ad veritatem agnoscendam ex propria sententia judicaret contractum quemdam non esse usurarium sed licitum. Est probabilis objective quando ex aliorum judicio illa probabilitas pendet, ac

in mente operantis objective dumtaxat versatur: sic si prædictum contractum ex propria ignorantia quis credens illicitum, subiret gravis auctores opinione probabili judicantes hunc esse licitum.

Sub duplici adhuc respectu conscientia seu opinio probabilis debet considerari, pro ut favet legi, vel pro ut favet libertati. Tunc legi favet cum asserit aliquid esse lege vetitum, quod forsan lex non prohibet: libertati vero favet, dum asserit aliquid esse licitum, quod forte legi repugnat. Opinio quæ favet legi, est tutior, ea vero quæ favet libertati, est minus tuta. Opinio, verbi gratia, quæ tenet licitum esse habere plura beneficia ecclesiastica, favet libertati, illa vero quæ oppositum tenet favet legi. Opinio probabilior non est semper tutior, & vicissim opinio tutior non est semper probabilior. Quo magis a peccandi periculo operantem removet, eo tutior est opinio: quo magis ad veritatem accedit, vel quo majorem præfert veritatis speciem, eo probabilior dicitur opinio.

Ex jam prænotatis intelligitur, de rebus quæ ad fidem, & mores pertinent, & practice, quæstionem solummodo procedere, minime vero de iis quæ speculationis limites non prætereunt, illamque circa precepta versari, non autem circa consilia. Sensus ergo præsentis controversiæ est, utrum licitum sit in praxi sequi opinionem minus probabilem, legi contrariam, & faventem libertati, relicta probabiliori, quæ est contraria libertati, & legi favet. Non defuisse magni nominis Auctores, qui partem affirmativam tenuerint, multosque, & nunc esse qui ipsis consentiunt contradicentibus aliis, quis ignorat? quasi in duas turmas, illasque numerosissimas, fere duobus abhinc sæculis divisos esse Theologos, & Casuistas videmus, pro veritate, ut ajunt, certantes, convitiis invicem se lacessere. In probabilismum tanquam laxitatis perniciosissimæ, morumque depravationis fontem, ex quo innumera doctrinæ moralis flagitia in dies scaturiunt, zelo ducti religionis non pauci, ferventius invehuntur. Illum econtra, ulumque ipsius, ut charitati erga proximum magis faventem, malum quod inde oriri valet minime agnoscentes, aut illud dissimulantes, immoderatius quam par esset permulti defendunt. In tali conflictu immensa hinc, & inde prodiere volumina, quibus hostem profligasse suum Bellatores respective gloriantur. Tot jam labentibus annis, bello fracti utrinsque cohortis ductores credebantur, causaque tandem finita censebatur, verum quiescere cum oporteret, occasione data quarumdam propositionum, lis, quæ sopita dumtaxat fuerat, reviviscere cæpit ad interitum illius qui ventis imperat, & mari, aliquando terminanda.

Quid autem in tanta difficultatum copia ut certo tenendum censeamus, sequens assertio ex parte declarabit, iis, quæ ad perfectam totalemque materiæ præsentis elucidationem dicenda supersunt, infertius solvendis.

ASSERTIO PRIMA.

Non potest homo tuta conscientia sequi in praxi opinionem minus probabilem libertati faventem, relicta opinione probabiliori quæ legi favet.

Ex innumeris sacræ Scripturæ locis quibus probari potest præsens assertio, quædam adducantur ad illius veritatem stabiliendam. Vitare periculum nos admonet Spiritus Sanctus apud ecclesiasticum

cap.

cap 3 dicens, *Qui amat periculum, peribit in illo* Nonne peccatum periculo se exponit quicumque opinionem sequitur minus probabilem, quæ contrariæ cum probabiliori? Proverb. cap. 13 *Qui agunt omnia cum consilio reguntur sapientia* cap 15 *Dissipantur cogitationes ubi non est consilium ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur* cap 19. *Audi consilium & suscipe disciplinam* Eccli cap 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile* Hujusmodi Spiritus Sancti præcepta cum doctrina sua concilient, si fieri potest, laxitatum inventores, & dicant si, consilium audire, disciplinam suscipere, sapientia regi, consiliariorum pluralitate confirmari, serio prædicandus est opinionem probabiliorem qui relinquit, opinioni minus probabili ut adhæreat: quod proferre si erubescant, a sententia merito proscribenda tandem recedant

Quid nobis præcipiat ipsa veritas Christus Dominus, in sermone in monte discipulos docens, audiamus apud Matthæum cap 7 *Intrate per angustam portam quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam: quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Contra hæc adeo præcisa Christi Salvatoris verba probabilistas impie insurgere quis crederet, si ipsos non audiremus, feliciorem existimantes Ecclesiam Catholicam, quod exuberet sanctissimis, ingeniis, & doctissimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones, quia damnarentur plurimi quos sententiæ probabilitas salvat (sic Caramuel), quibus manifestum est majorem esse numerum salvandorum quam Christus prædicavit, & non adeo angustam esse portam ad vitam ducentem, ut ipse docuit

Talia quis ferre possit! Adversus erroneam illam doctrinam præmunire nos volens Apostolus sic loquitur Epist. 1 ad Thessalon. cap 5. *Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* Utinam in sensu divi Pauli cuncta probarent probabilitatum defensores! Tenere solummodo quod bonum, quod sanctum, quod Christianæ puritati consonum est in desiderio haberent, ut a veris falsa secernerent, omnia animo perpenderent & ab omni specie mala abstinentes, quidquid æternæ legi adversum in moralibus posset reperiri, procul quam citius amandarent. Divinæ ergo cedere discant auctoritati, & veritatis facti discipuli, qui ipsos animant & sequuntur doctrinis variis ... peregrinis abducere desinant

Sanctos Ecclesiæ Patres in erroris sui patrocinium advocare cum non possint probabilistæ (in eorum enim scriptis nec unum verbum reperire est quod ipsis faveat), quid invenerunt, vix audiri potest. Quod probabilitatem tacuerint Sancti Doctores mirum videri non debet, inquiunt. Illam velut certissimam supponebant, nulla circa ipsam movebatur controversia, nulla ergo ipsis inerat ratio cur de ea verba facerent. Quid est quod dixistis, o Novatores? tantum ne lucem consilii veritatis deseritis, & in profunda versutia demergimini, ut hoc dicatis? Ut autem talia scrutando vos decepisse agnoscatis, inter Sanctos Ecclesiæ Doctores commendatissimos, Chrysostomum audiatis & Augustinum, & cum ipsis omnes Sanctos Patres vobis audiatis adversos, quorum silentio gloriari frustra quærebatis.

S. Joannes Chrysostomus, ut quæcumque ad pleniorem veritatis cognitionem conferre possunt omni

quâ

qua possumus, sollicitudine quæramus, hortatur hom 13 in 2 ad Corinth his verbis. *Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere, sed ipsas numerare & supputare, pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim cum habeamus omnium exactissimam trutinam & gnomonem, ac regulam, divinarum inquam, legum assertionem. Ideo obsecro & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, deque his a Scriptura hæc omnia inquirite, & veras divitias discentes, eas omni studio consectemini, &c.* Hom 44 in Matth. sic loquitur. *Si vestimenta empturus gratiam negotiatorem, & alteram, & ubi meliorem vestem inveneris, & pretio valere, ab illo comparas, quomodo non oportet populum circuire omnes doctores & inquirere ubi sincera veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & verorem eligere plusquam vestimentum? Dicit Apostolus, omnia probate, & quod bonum est tenete.* Utrum his Sancti Doctoris monitis obtemperet qui opinionem probabilem relicta probabiliori docere posse teneri, judicent æqui rerum æstimatores.

S. Augustinus lib 22 de civit cap 23 ut eamdem adhibeamus diligentiam nos admonet his verbis *Debemus esse continua vigilia accubantes, ne opinio verosimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonum esse credatur; ne ab his quæ agenda sunt, metus revocet, ne in ea quæ agenda non sunt, cupido præcipitet.* Tot labores ad veritatis inquisitionem esse adhibendos non censent probabilistæ, quot confundit idem S. Doctor, de quodam qui in parte Donati baptismum susceperat, & in ecclesiam redire meditabatur, dubitans an recte apud Donatistas baptisma susciperetur, hæc scribens, lib 1 de Bapt contra Donatistas, cap 3. *Hic ergo securus accipiat, ubi & esse & accipere recte certus est, illic autem non accipiat quod esse quidem ibi dicunt, sed ibi accipiendum esse non dicunt, quorum sententiam decrevit eligere, quamquam si dubium haberet non illic recte accipi quod in catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret.* Et cap 15. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Ex Augustino peccat, & graviter, qui certa relinquit ut incertis adhæreat. Qui vero relinquit opinionem probabiliorem ut probabilem sequatur, certa relinquit ut incertis adhæreat. Ergo ex Augustino peccat, & graviter, qui opinionem sequitur probabilem relicta probabiliori. Glorientur igitur adversarii sanctos Ecclesiæ Patres habere patronos. Ipsorum silentium causæ suæ favere contendant, probabilissimum tandem apud venerandam antiquitatem audivisse proterve clamitent, talia quibus persuadeant reperire vix poterunt, seque falsitatis a quotquot fuere Sanctis Doctoribus argui perpetuo experientur. Ut quid enim illi Sancti Dei homines, morum austeritatis amantissimi, ac Ecclesiasticæ disciplinæ zelantissimi, ne errandi periculo exponantur fideles, neve in opinionum delectu a veritatis Christianæ tramite recto deflectant, continuo vigilandum, quotidie insudandum, plenis faucibus clamarent, cum ad veritatem inveniendam tam facilis sit & omnibus

pa-

patens aditus, si opinione ductus probabili, rejecta probabiliori, inculpate operetur christianus? ut quid Augustinus contra Academicos illud suum axioma defendentes: *Cum egit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat*, insurgens, hoc semel posito omnia probari & honestari criminà concluderet? *Id igitur audiens adolescens*, inquit lib. 3 contra Acad. cap. 16 *insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ*. . . . *Quid aliud dicturus es, quem non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? at illi probabile est. Nam si alieno probabili vivimus* . . . . *libet deserere per omne devium, nescire me prorsus quomodo ipse peccaverit, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat*. . . . *Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino quæ fieri aut cogitari possunt, flagitiis & facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur. Quomodo enim non faciant quod probabile visum est?* . . . . *Illud optime cuique metuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum esset faciendum, non solum sine scelere, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.* Hæc tanti præsulis verba animo perpendant novitatum amatores, & dicant, si talia qui profert, probabilismum silentio prætermisisse dicendus est. Ex illorum doctrina tot & tanta provenire scandala, si quis posteriorum temporum Doctor, ee iis tacente Augustino, demonstrare tentasset, nimiæ severitatis, vanæque superstitionis brevi ab ipsis fuisset damnatus: verum tanto Doctori quid respondeant non invenio.

Aliorum Patrum volumina si perscrutaremus, illos a Chrysostomi, Augustinique doctrina numme recedere videremus. Sed cum nec unum inter eos qui nobis non faveat, possine objicere adversarii, ab iis referendis, brevitatis causa, supersedeo. Unum dumtaxat laudabo Bernardum, lib. de præcepto & dispens. cap. 14 sic loquentem. *Ut interior oculus vere sit simplex, duo illi existere necessaria esse, charitatem in intentione, & in electione veritatem, nam si bonum quidem diligit, sed verum non eligit, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam: & nescio quemadmodum judicet veritatis vere esse possit cum falsitate simplicitas.* Certe in electione veritatem, de qua Bernardus, non habet qui relinquit opinionem probabiliorem, ut probabilem amplectatur: utrum autem charitatem in intentione habere possit penitus ignoro, nec ille videtur de simplicitate laudandus qui volens & sciens opinionem sequitur verisimiliter falsam, & recedit ab opinione quam probabile est esse veram.

Sanctorum Patrum vestigiis inhærentes veteres Theologi, opinionem probabiliorem tenendam esse relicta probabili judicarunt, sententiamque oppositam proscribendam censuerunt. Sic S. Thomas quodlib. 9 art. 15 hæc habet. *Respondeo dicendum, quod omnis quæstio in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur, quia error quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto. Error vero quo creditur esse mortale quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione accidit. Cum enim hæc quæstio (utrum licet habere plures præbendas) ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino,*
vel

vel ex jure naturali, & ad juristas in quantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & juristæ juristis contraria sentire. Quibus verbis Angelicus Doctor probabilissimum constituit, dum docet se peccandi periculo committere, & peccare, qui dubius an bene an male agat, unam e duobus contrariis opinionem eligit. Qui autem minus probabilem sequitur opinionem relicta quæ probabiliorem, dubitat an bene an male agat, vel potius, se male agere dubitare non potest.

Idem tenet Scotus noster hæc habens in 3. dist. 25. q. 1. n. 8. *In moralibus quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primo est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat quod licet, tutius est non procedere sic vel sic, sed expectare quo usque veritas aliunde pateat: si enim ita esset, quod unus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius quod peccaret si sic faceret, tunc simplex foret perplexus: ideo bene videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur, quia videlicet cum habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculose se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta, illam probabiliorem agnosceret.* Adeo clara sunt hæc verba, ut aliquid addere esset superfluum. Non obscurius loquitur in 4. dist. 21. q. 6. dum examinans *an sacerdos in confessione uti possit auditis*, in quibusdam licitum videbatur, sic respondet: *Cum major sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio, sequendo affirmativam minus probabilem.* Alia possem addere Doctoris Subtilis testimonia, quæ ne in longius excrescant probationes, omitto. Id unum observabo, mirandum esse quod recens quidam Theologus assertionem nostram tueri, dicat se Scotum non sequi, quia ille in hoc tacet Doctorem Subtilem, cujus se discipulum dicit, satis attente non legerat hæc scribens, in sua institutione Theologica Doctoris Subtilis scholastico nervo instructa, pater Bernardus a Bononia, qui se veritatem invenire ibi gloriatur. Quare in confutandis probabilistarum cavillationibus a Magistri auctoritate aliorumque scholarum principium abstinendum censuerit non video. Quare in discutienda hac quæstione, quæ totius moralis est Summi, nec Scripturæ sacræ, nec Sanctorum Patrum testimonia judicaverit adhibenda, velut si ex ipsis quod veritati favet nihil posset concludi, sed solummodo Theologicas, ut vult, demonstrationes (quæ si Scripturæ, & Patrum auctoritate careant, nullius sunt ponderis) tanto pro decoro voluerit adhibendas, penitus ignoro. Mentem ergo ipse aperiat, aut ipsius methodum, ut minus in hac parte sufficientem, a multis improbari non conqueratur.

Veteres omnes Theologos, Henricum Gandavensem, Joannem Majorem, Adrianum, Navarrum, Panormitanum, cunctosque Canonistas, sententiæ nostræ detentores, & probabilistarum adversos, Divo Thomæ ac Scoto hic addere facillimum esset. Gersonium Ecclesiæ Parisiensis Cancellarium, quem sibi assentiri fallo jactant adversarii, addere satis sit: ille autem in regulis moralibus hæc habet: *Exponere se periculo peccati mortalis est peccatum mortale, vel sic agere incertum & dimittere certum in materia morali est peccatum mortale, si tale sit incertum quod sit mortale, non solum per conjecturas leves, aut ex suspicione trepida, & scrupulosa proveniente ex nimio timore cadendi in ira Dei, sed intelligitur dum tale est vehementer, & probabiliter*

ter

ter incertum, æque sint oppositum vel magis, tunc cum illud quod agitur non careat mortali culpa, aliter non oportet. Videant ergo adversarii, utrum certum non dimittat ut sequatur incertum, qui minus probabilem eligit opinionem, rejecta probabiliori, quod esse peccatum mortale asserit Gersonius.

Auctoritati Sanctorum Patrum veterumque Theologorum accedunt Conciliorum ac Pontificum Romanorum definitiones. Quam enim tenendam in assertione dicimus regulam, tenuit Concilium Viennense Oecumenicum circa quæstionem de baptismo parvulorum, nempe, an pueri cum remissione peccati originalis habeant gratiam habitualem infusam cum habitibus virtutum. Affirmabant quidam, negabant alii. Re mature examinata affirmativam sententiam quam tenebat D. Thomas amplexi sunt Patres Concilii, quorum definitionem refert Clerus Gallicanus anno 1700. in regula *de usu probabilium*, ubi Præsules Gallicani circa rectum usum probabilium opinionum hanc regulam statuunt: *Ut circa probabiles de christiana doctrina sententias sequamur id, quod Viennense Oecumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in baptismo virtutes, decrevit his verbis: Nos hanc secundam opinionem* (inquit Clemens V.) *tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Unde concludit glossa, ergo illam sequi tenemur. Illam revera tenendam jam declaraverat Concilium Lemovicense II. anno 1134. In eo sic locutus erat Concilii Præses: *necesse est ut semper justior, & rationabilior pars prævaleat*, quod certe de opinione minus probabili nequit intelligi.

Exercit. Theol.

Assertionis præsentis doctrina firmatur constitutionibus Summorum Pontificum, qui propositiones quamplures ob doctrinam sententiæ nostræ oppositam quam continebant proscripsere. Alexander VII. damnavit hanc propositionem num. 26 *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio*: nec non sequentem num. 27 *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Sequentes vero damnavit propositiones Innocentius XI. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, &c.* 2. *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* 3. *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Illæ autem propositiones, & aliæ iis similes, minime fuissent proscriptæ, si posset minus probabilis opinio teneri concurrente cum probabiliori.

Sententiæ nostræ veritatem confirmant leges & praxis Ecclesiæ, opinionem probabiliorem constanter sequentis, illamque tenendam declarantis ut colligitur ex Jure Canonico. Nam in cap. *sicut* hæc habet Leo Magnus: *Illa semper servata consideratione ut in iis, quæ vel dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum in-*

ventatur adversum. In cap. *ad audientiam*, de homicidio, habetur hoc juris axioma a Pontificibus, a Conciliis, perpetuo consecratum: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Idem sonat ibi tutior ac probabilior. Quo axiomate quæstiones quamplurimas in jure relatas dirimunt Summi Pontifices. In cap. *significasti* de homicidio, Sacerdoti abstinendum a suorum ordinum ministerio in casu hominis ab ipso vulnerati, & deinde mortui, ob dubium an mortuus sit ex vulnere a Sacerdote accepto, & pariter in casu hominis mortui ex vulnere, sed cum dubio an vulnus a Sacerdote fuerit illatum, quia tutius est in dubio a celebratione cessare, quam temere celebrare. Quæ juris regula locum non habet solum in materia homicidii, ut quibusdam minus recte visum est, nam in cap. *juvenis*, *de sponsalibus*, vir qui puellæ septennæ nupserat, de qua an viri potens esset dubitabatur, jubetur consortium illius consobrinæ cum qua secundas inverat nuptias, relinquere, quia in dubiis quæ certiora tenenda sunt. Et tandem in Clement. *Exivi*, de verborum significatione, ad compescendos motus qui inter Fratres minores exorti fuerant circa modum observandi regulam Sancti Francisci illorum patriarchæ, utrum scilicet, ut contendebant zelatores, quæ in ea verbis imperativis exprimuntur ligent sub mortali, quod negabant non pauci, respondetur quod ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda. Indeque concludendum est adversus nonnullos, hanc juris regulam, nedum in dubio facti, sed & in dubio juris, locum habere.

Nec dicatur prædictam regulam juris consilium continere, non præceptum: nam si præceptum continear, illud esse consuetudine abrogatum: etenim verba, quibus in jure Canonico exprimitur, præceptum importare evidens est. *Via tutior est eligenda*, inquiunt canones. *Pars securior est tenenda, securiorem debemus eligere tutiorem. In dubiis emergentibus*, inquit Augustinus relatus in cap. *Si quis dist. 7 de pœnit. tenendum est certum, dimittendum incertum.* Unde Clerus Gallicanus in comitiis Generalibus an. 1700. in regula de probabilium usu hæc habet: *Ut in dubio de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est in eo casu unice tutum, neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente scriptura: qui amat periculum, in illo peribit.* Præterea Sacri Canones huic regulæ non obtemperantibus pœnam infligunt, ut patet ex cap. *Illud*, de Clerico excommunicato ministrante, ubi præcipitur deponi Episcopum, qui in dubio an esset excommunicatus, a sacris non abstinuerat, quia partem tutiorem non elegit.

Præceptum ergo continet hæc juris regula, quæ minime qualibet consuetudine abrogata dici potest. Quomodo, & quandonam inceperit fictitia hæc abrogatio id, quodam testimonio quod fidem mereatur, ostendant qui fabulationes narrant ecclesiasticis definitionibus adversas. Talia si proferrent heterodoxi subterfugia, mirum non videretur, sed hæc dicant, qui de catholici nomine gloriantur, vix credi potest. Ecclesiæ præcepta, Pontificumque sanctiones, quæ circa ceremonias usuve particulares versantur, & ut ritus pure externiores possunt considerari, nihilque ad mores conferunt, desuetudine contra quam non reclamat Ecclesia, abrogentur. Esto. Multa in Ecclesia priscis temporibus religiose observata sunt, quæ jam a

longo

longo annorum spatio oblivioni sunt tradita, ad tempus duntaxat instituta videbantur, consuetudine contraria desivere, quid mirum? nihil inde concludendum adversus Ecclesiæ decreta, quæ ad componendos fidelium mores, vitiaque trænanda, & scelera cohibenda, feruntur cum nihil aliud ab ipsis præscribatur, quam quod divino vel naturali jure sancitum est, in disciplinæ varietate omnino sunt immutabilia. Cum ergo Sacri Canones dum pronuntiant, *in dubiis tutiorem partem eligendam esse*, legem novam non ferant, sed eam præsuppositam casibus particularibus applicent, ut ostensum est, nulla incuria, nulla desuetudine cessare possunt in Ecclesia catholica vigent, perpetuoque vigebunt. Erubescant igitur & confundantur canonum irrisores, qui novitati studentes & laxitati, doctrinam prioribus sæculis, Patribusque ignotam defendere tentant, quæ omnibus morum corruptelis janua longe lateque patens effecta est.

Non deerunt fortasse qui dicant, sicut jam multis placuit dicere, regulam prædictam juris, quæ vere præcepti vim habet, locum habere in rebus dubiis, non vero in probabilibus, ex eo quod ille qui eligit opinionem minus probabilem, nullum habet dubium non adhærendo opinioni probabiliori, & magnum est discrimen inter dubio laborare, & uni parti adhærere, etsi cum formidine partis oppositæ. Verum talia qui objiciunt proprio se jugulare gladio non advertunt. Qui dubio laborat, tenetur partem tutiorem eligere, illam a fortiori tenetur eligere qui ambulat inter duas opiniones probabiles, quarum una est probabilior altera. Qui neutri ex duabus opinionibus oppositis adhæret ex dubio, nec propendet magis ad unam quam ad alium propter rationes utrinque moventes æqualiter, unam non existimat magis falsam quam oppositam, qui vero opinione probabiliori relicta minus probabilem amplectitur, sententiam sequitur quam existimat falsam potius quam veram; si ergo qui dubitat, nec persuasus est de malitia operis, tutiorem partem est secuturus, quanto magis ille qui convincitur de minori probabilitate unius partis, & de majori probabilitate alterius? Si quis deliberans, verbi gratia, an plures habere præbendas sit licitum, perpensis hinc & inde Doctorum rationibus, affirmativam sententiam & negativam æquali probabilitate donari existimat, & in nullam partem judicio inclinat, sed inter utramque anceps hæret; tunc ex illa regula juris a possidendis pluribus præbendis tenebitur abstinere, & si possideat, peccat, cum dubitet an in possidendo peccetur. Re deinde consultius perpensa, negativam judicat probabiliorem, affirmativam vero minus probabilem. In sententia autem adversariorum affirmativam minus probabilem judicando plures præbendas inculpate posset possidere: quam sit absurdum, & a recta ratione alienum quis non intelligit? Utramque partem æquali probabilitate donatam cum arbitraretur, minus tutam sequi illicitum ipsi erat, nunc vero illam judicans, & minus tutam, & minus probabilem, proindeque falsam magis, quam veram, vel potius non dubitans quin falsa sit, plures præbendas possideret, quod illicitum penitus esse non potest ignorare? Si ergo ex Sacris Canonibus pars tutior in dubiis est eligenda, quanto magis in conflictu minus probabilis & probabilioris erit eligenda. Magnum est, inquiunt discrimen inter hominem dubio laborantem, & hominem uni parti,

E a adhæ-

adhærentem, etsi cum formidine partis oppositæ. Dissimen esse iter utrumque quis diffitetur? Jam illud statuimus. Qui dubitat, ab operando tenetur abstinere, aut si operari oporteat, tutiorem partem sequi tenetur. Qui autem sine adhæret parti, cum formidine partis oppositæ, probabiliorem partem quæ sola tuta est, tenetur eligere, secus si operetur, peccet indubitanter, ut sæpius indicavimus. Qui eligit opinionem minus probabilem, nullum habet dubium quod opinionem relinquat probabiliorem, & in hoc ipsi dolendum, quod falsum pro vero habens, a veritate se recedere non conjiciat. Utinam dubitaret, & dubitans, quid sit acturus investigaret. Nunc autem falsis probabilitatum deceptus principiis, vivit securus, cumque perpetuus sit ipsi formidandi locus, Prophetis prophetantibus mendacium credens, quietem conscientiæ sibi gratulatur & pacem. *Irrita & falsa pax*, ut cum Cypriano concludam, *periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura*. Ex Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum testimoniis, veterum Theologorum sententiis, Conciliorum, summorumque Pontificum definitionibus, nec non Sacrorum Canonum sanctionibus probata assertione, rationes Theologicas ad ipsius confirmationem non deesse superest ostendendum, quod triplici argumento demonstrabitur.

Primo, ut quisquis in rebus, circa quas variæ esse possunt opiniones, sapienter se gerat, prius quam ex illis amplectatur, omnimodam debet adhibere diligentiam ne peccandi periculo se committat, alioquin parum sensatus judicaretur. Qui autem in concursu duarum opinionum in agibilibus, quarum una est probabilior altera, probabiliorem relinquit, minus probabili adhærendo, talem non adhibet diligentiam: etenim opinionem relinquit quæ magis illum removet a peccato, cum magis hæc legi faveat, illique adhæret, quæ magis peccandi periculum offert, utpote quæ libertati, lege non audita, olim favet. Siquidem opinio favens legi & graviori nixa fundamento, multo magis removet a peccato quam opinio favens libertati, leviorique fulta fundamento. Eo magis a peccato aut peccandi periculo recedimus, quo ad legem & ad testimonium, cupiditate inconsulta, propius accedimus & tanto plus peccandi periculo nos committimus, quanto plus a lege & a testimonio recedentes cupiditati consulimus & indulgemus. Cum ergo ille, qui opinioni adhæret, quæ libertati favet, levioique fulcitur fundamento, a lege & a testimonio plus recedat cupiditati consulens & indulgeat, proindeque plus peccandi periculo se committat, qui opinionem minus probabilem amplectitur relinquendo probabiliorem, imprudenter se gerere dicendus est, ex eo quod sufficientem non adhibeat diligentiam ne peccandi periculo se committat. Dicamus quod res est. Tantum abest ut sufficientem adhibeat diligentiam ne in peccatum incidat, quin potius volens peccandi periculo se committit. Libenter enim amplectitur opinionem quam ex regulis prudentiæ erroneam judicare debet ac periculosam, ex regulis prudentiæ judicare debet opinionem probabiliorem quæ gravioribus nititur rationibus veram esse & securam: tale autem judicium ferre non potest quin eodem judicio opinionem quam eligit probabiliori oppositam, falsam ac periculosam agnoscat. Qui enim falsam & periculosam non agnosceret opinionem, quam ut commode im-

pro-

probabilem habere debet? Siquidem opinio, quæ omni se ipsa comparatione supponitur probabilis, & sufficienti fundamento nititur, ut a viro prudenti possit teneri, ex quo concurrit cum opposita graviori fundamento freta, probabilitate qua pollebat destituitur, ruitque fundamentum quo nitebatur, neque illud ita insufficiens, ut ex gravitate fundamenti sententiæ oppositæ, ad nihilum, ut ita dicam, redigatur, illudque de priori opinione judicium non ferre non potest qui regulis prudentiæ aut rationi consulit: de duabus enim opinionibus contradictoriis circa idem, si una sit vera, altera necessario erit falsa. Dictat autem recta ratio in tali conflictu, opinioni minori fretæ fundamento, vel potius in præsenti casu omni destitutæ fundamento, falsitatem esse adscribendam, illi vero quæ gravius habet fundamentum, & probabilior est, aut ex concursu & improbabilitate oppositæ fit simpliciter probabilis & secura, veritatem esse tribuendam. Hujusmodi autem judicium, non libere, sed necessario, ex rationis dictamine procedit, ita ut qui illi non adhæret, sed opinione probabiliori neglecta operatur ex opinione probabili, agit contra conscientiam illi dictantem necessario, opinionem improbabilem & evidenter falsam non esse tenendam. Ex quo sequitur volentem, peccandi periculo se se committere, proindeque prudentiæ regulis non consulere, qui opinionem eligit minus probabilem, relicta probabiliori.

Secundo. Illa sententia in moralibus nequit defendi, qua semel admissa, nulla superest regula certa & secura juxta quam dirigantur mores & componantur. Res autem sic se habet ex sententia affirmante opinionem minus probabilem posse tuta conscientia teneri, etsi cum probabiliori concurrat. Nulla est omissio, aut actio circa quam rationes quædam probabiles, quibus a peccato excusetur, afferri non possint, cum nihil sit, circa quod quæstio aut disputatio moveri non possit, quo posito argumenta quædam non sint gravia aut levia ad firmandam, saltem speciem tenus, opinionem magis improbabilem. Ex eo quod enim argumenta gravissima adducantur pro stabilienda opinione opposita, majori donata probabilitate, nihil in contrarium, in sententia probabilistarum, concludi potest, quod opinio minus probabili noceat. Si quidem juxta illorum doctrinam, nullum est argumentum, quantumvis grave supponatur, quod a Doctore subtilioris, vel sagacioris ingenii solvi non possit, & cujus rationibus gravitas prioris argumenti non debilitetur. Si ergo, ut præcipuis probabilistis placet, rationes illius Doctoris subtilioris ingenii, prioris argumenti gravitatem aliquatenus infringentes, sufficiunt ad fundandam oppositæ opinionis probabilitatem, quid, quæso, in moralibus poterit inveniri libertati favens, quod aliqua non donetur probabilitate? hocque semel admisso, quænam erit regula certa & secura ex qua dirigantur mores & componantur? si ut volunt probabilistæ, juxta ipsorum principium adeo decantatum, *illud est licitum quod est probabile*, vix aliquid reperiri poterit quod licitum non sit, cum vix aliquid reperiatur quod non possit reddi probabile. Quod ita verum est, ut adversarios gloriari non pudeat, centenas hodie & centenas esse opiniones probabiles, quæ prioribus sæculis, & antiquis Patribus penitus erant ignotæ. Quod si probabilistis consenticulo concederetur (quod Deus avertat) centenas opiniones

illas

illas esse vere probabiles, nullus fere esset casus in quo a peccato homo non posset excusari, proindeque, ut superius cum Augustino observavimus, nullum scelus, quod absque errore vituperatione non posset perpetrari. Mirum ergo videri non debet, quod ex hac doctrina infinitam durre flagitiorum colluviem scripserunt, qui in probabilissimum sæculo proxime elapso scienter insurrexerunt, a quorum zelo minime recessisse sunt laudandi, qui hanc doctrinam nullo modo probandam, sed in dies reviviscentem, novissimis temporibus impugnarent. Ipsi ostendant, quot & quanta in moribus ex probabilismo exorta sint mala. Ex hac recentiorum opinionum laxitate, quot inter christianos scandala sumpserint originem, quot Sacramentorum profanationes, quot divinorum mandatorum transgressiones ex hoc cœnoso fonte scaturiant undequaque, ipsi dicant, illosque dicentes audiant, qui prophetantes de corde suo, & mentientes populo credenti mendaciis, consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, videntes visionem pacis, ubi pax non est. Tot tantisque malis hic supersedere prudentia didat, ne a nonnullis, trepidantes timore ubi non erat timor, vanas declamationes in personarum sugillationem pro rationibus dicamur adduxisse. Ad argumenta redeamus.

Ezech. cap. 13

Tertio. Opinionem sequi minus probabilem in concursu probabilioris licitum non esse, randem ut probemus, argumentum a quo minime se expediunt, ipsi nobis suppeditant probabilismi defensores fere omnes, dum multos esse casus in rebus majoris momenti, in quibus locum non potest in praxi habere eorum doctrina, confitentur. Sic qui sacramentum administrat, ex sententia minus probabili non potest agere si de valore sacramenti agatur, quia, inquiunt, & ipsis confitemur, minister Sacramenti in omnibus tenetur se conformare Christi Sacramenta instituentis intentioni, quæ ex constanti Ecclesiæ praxi innotescit, & nullitati Sacramentum exponeretur, atque salus suscipientis periclitaretur, si circa materiam vel formam stante aliquo dubio, sententia minus probabilis teneretur, quod cum prohibeat proximi charitas, & aliunde obstet Ecclesiæ præceptum, omnino est illicitum. Pariter judex in judicio ferendo, cum secundum allegata & probata decidere litem teneatur, & tertio damnum inferretur, si rationes habens efficaciores non vinceret, opinioni debet adhærere probabiliori, alioquin resarcire damnum ex proprio teneretur. Medicus in remediis applicandis, Causidicus in Consilio dando, vel partium juribus defendendis, Reges & Principes in bellis suscipiendis, Doctores, scholarumque magistri in quæstionibus vel casibus resolvendis, hi omnes, aliique plures, opinionem quam sentiunt minus probabilem, probabiliori relicta, sequi non possunt absque peccato. Hoc semel admisso, paucis contradicentibus, quibus familiare est & indubitatum istud axioma: *Opinio probabilis, etiam falsa & legi naturali adversa, etiam in concursu probabilioris excusat a peccato.* Aut quibus est pro principio hæc scandalosa Caramuelis in sua Theologia fundamentali propositio: *Sententia minus probabilis, si benignior, etiam securior est:* hoc, inquam, admisso, dicant, velim, probabilistæ, cur in negotiis temporalibus laudatis, aut dum agitur de valore Sacramenti, teneri non possit opinio minus probabilis, quæ, ex ipsis, dum de vitando aut in se aut in

alius,

alius, peccato, per quod maximum animæ damnum infertur, teneri non potest. Quid bella, quid tot publicæ utilitas, quid lites, quid salus corporis, aliaque his similia, si cum spirituali bono, aut rebus ad æternam salutem conferentibus comparentur? Cui magis urgeret, fortiusque obligaret præceptum Charitatis erga proximum quam erga nos metipsos? Quam indigne de Deo sentiremus, si ipsum plus de nobis cura de Republica agitur exigere crederemus, quam cum de ipsius offensa vitanda, sanctaque ejus lege non violanda, quæstio movetur. Quid inter bona temporalia & inter bona spiritualia sit discriminis ut peccetur, dum opinio minus probabilis circa illa tenetur, circa ista vero, quæ majoris sine dubio sunt momenti, si teneatur, non peccetur, ostendant, si possunt, probabilistæ, rationem quamdam quæ sufficiat afferentes, quod si non valeant, ut æqui æstimatoribus hue usque fit manifestum, opinionem ergo quam dicunt minus probabilem quando cum probabiliori concurrit, penitus improbabilem esse bona fide agnoscant, tandemque suo errore detecto, sententiæ a vero adeo alienæ, & ex qua tot & tanta in moralibus exoriri mala non possunt diffiteri, æternum vale dicant aut si recusent, quæ deflemus mala ex hac sua sententia originem habere negantes, nos his Augustini verbis illos alloquentes non ægri ferant. *Hoc vos quidem non sentitis, sed hæc sequuntur illa quæ sentitis: mutate ergo antecedentia si vultis carere sequentia.* Alia possent afferri argumenta in assertionis nostræ confirmationem, quæ apud varios Theologos reperiuntur. Præsentem quæstionem fusius, doctissimeque tractatam qui desideraverit, adeat Eminentissimum Cardinalem Brancati de Laurea, e Familia Franciscana, apud quem non pauca scitu digna habebit. Quid opponant adversarii videamus eorumque argumenta, quantum in nobis erit solvere aggrediamur.

Lib... ... adul... ...

SOLUTIO

Objectionum.

I. **O**Bjectio. Ideo non potest homo tuta conscientia sequi in praxi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, quia imprudenter se gereret peccandi periculo sic se committens. Verum hæc ratio in præsenti locum non habet. Quoties enim operatur homo secundum opinionem gravi prorsus indeque sufficienti fundamento nixam, ut ex ipsa vir prudens absque peccati formidine se determinare queat, imprudentia taxandus non est. Talis autem est qui opinione minus probabili ductus operatur. Ut opinio sit vere probabilis gravi nitatur fundamento necesse est, alioquin omni careret probabilitate. Ex eo quod autem opinio opposita fundamentum gravius habeat quo majori donatur probabilitate, non sequitur priorem opinionem non habere grave fundamentum, quo probabilis reddatur, talis enim supponitur, cum non possit aliunde fieri concursus opinionum, si quidem utraque debet esse probabilis, etsi una minus, altera magis. Unde peccandi periculo se non committit nec imprudenter operatur qui opinionem probabiliorem relinquendo minus probabili adhæret opinioni.

Respondeo istud argumentum quod premens valde, sibique causæ favere multum existimant adversarii, nullius esse ponderis, & ut merum sophisma esse habendum. Illum prudenter se gerere qui adhæret opinioni quæ gravi fulcitur fun-

fundamento, quis dubitat? Opinionem quæ grave habet fundamentum esse vere probabilem, quis inficias ibit? Utrumque verum est, sed nihil inde. Ut valeret argumentatio, probandum esset quod opinio, quæ abstrahendo a quocumque concursu, & habita ratione fundamenti quo nititur quæ habet seclusa comparatione est probabilis, suum probabilitatis gradum non deperdere, etsi cum probabiliori concurrat, & fundamentum quo nititur non infirmari fundamento graviori opinionis oppositæ: quod est omnimode, ut superius rationavimus, improbabile. Opinio igitur probabilis, quando cum probabiliori concurrit, suam amittit probabilitatem. Fundamentum quo nititur, quod in se spectatum erat sufficiens ad formandam probabilitatem, debilitatur, fitque insufficiens ratione fundamenti oppositi, cujus gravitas, & robur prioris invaliditatem secum importat. Unde non nisi imprudenter agere dicendus esset qui opinionem minori probatam ratione amplecteretur, cum relinqueret quæ robustiori ac firmiori innixa est momento. Sicut qui gravi pressus necessitate, circumstantia undique cernens pericula, parem non amplecteretur, aut viam non teneret, ubi formidini minor esset locus. Nec in præsenti hypothesi vera judicari potest utraque opinio: cum de duabus agatur opinionibus ita oppositis, ut veritas unius falsitatem alterius indubitanter importet: utpote cum quod una affirmat, altera neget, nempe licet, & non licet. Quibus attente libratis tota evanescit objectionis difficultas.

Sic contra Divum Augustinum olim arguebat Cresconius Donatista, colligens suam doctrinam esse probabilem, & veram, quia suam ut veriorem, & probabiliorem cum catholicis propugnabat Augustinus. Cresconio grammaticaliter objicienti grammatice respondet Sanctus Doctor, lib. 3 cont. Crescon. cap. 73 & 74 ipsique ostendit cum Apostolo, comparativum nihil dare positivo, aut in illo supponere, sed aliquando detrahere. *Confidimus autem*, inquit ad Hebræos cap. 6. *de vobis, fratres charissimi, meliora, & hærentia saluti.* *Attendis certe*, ait Augustinus, *quomodo hic dixerit meliora: non quia bona erant (ea a quibus illos conatur avertere) ut illis deviantes, meliora eligerent, & optarent, hoc est, bona tantum mali contraria... quid si & ego... tamquam decerem probabilius comparativum pro positivo ponens, non quia vos probabiliter, sed magis quia improbabiliter, sicut illic meliora, non quia illa erant bona, sed magis quia mala, ita quare tam temere concludis, ex hoc confirmasti me, vos probabiliter, quia dixi nos probabilius?* Qua Sancti Doctoris responsione ruit omne grammaticalis argumentationis fundamentum. Nec a difficultate proposita aliena videri debet nostra responsio: quia statuimus opinionem probabilem in concursu probabilioris sua destitui probabilitate. Sic enim res se habet, cum satis non sit ut vere probabilis sit opinio, quod non cognoscatur manifeste falsa, vel legi opposita, sed requiritur insuper, ut jam dictum est, quod gravi nitatur fundamento, quo semper carebit, & necessario, quoties concurret cum opinione magis probabili.

2. *Objectio.* Quod probavit aliquando Augustinus ab omnibus potest inculpate probari. Sed opinionem simpliciter probabilem ipse aliquando probavit: hæc enim habet epist. 19. ad S. Hieronymum scribens de Petro reprehenso a Paulo. *Alios ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt*

ferunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt. Ergo, &c.

Respondeo, illud argumentum nihil concludere. Et satis mirari non possum quod ex citatis verbis, quidam e probabilistis voluerint Sanctum Augustinum eorum sententiam tenuisse, cum nec unum ibi sit verbum quod ipsis faveat, ut cuilibet ratione utenti evidens est. Ne autem nos vim argumenti eludere, si ipsi satisfacere recusaremus, gloriari possint, Sancti Doctoris mentem aperiamus, Ipsumque contra adversarios vindicemus. Nihil aliud eo loci insinuat Augustinus, nisi se minime credere verbis alicujus Doctoris, præcise quia illud dixit vel aliud, sed quia bona ratione (id enim ibi sonat hæc vox *probabili*) sua dicta vera esse ostendit, solis scriptoris Canonicis deberi, ut aliquid credatur verum, quia in iis continetur. Sicque statuit discrimen quod reperitur inter Scripturam Sacram, & Doctorum dicta, quorum auctoritas ex rationibus quas afferunt ad suam sententiam stabiliendam robur habet, cum libri Canonici nihil ab alio mutuent omnimodam a semetipsis auctoritatem habentes, & Doctorum dictis quidquid est ponderis quasi totum conferentes. Eo præcise tendunt laudata verba Sancti Doctoris, opinionem minus probabilem cum probabiliori nullo modo comparantis; unde in præsenti quæstione gratis objiciuntur.

Nec felicius nobiscum pugnant probabilismi defensores dum arguunt ex Sancto Leone I. dicente in sua secunda epistola ad Rusticum directa, quod *in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.* Quid, quæso, in his Sancti Papæ verbis reperire possunt probabilistæ unde hunc sibi favere glorientur? cum nihil tenemus quod Scripturis Sanctis, aut Ecclesiæ Patrum placitis opponatur, nonne sequimur, ut semper sequi opus est, quod verisimilius, quod probabilius? prætextatam regulam statuens S. Leo quid aliud exigit, nisi ut in dubiis, & obscuris, deliberatio matura, diligensve examen adhibeatur. Cujus rei rationem affert dicens, difficile esse non errare in opinionum electione. *Magni laboris est, magnæque difficultatis*, inquit, serm. 5. de Nativitate, *dubitas imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates, per unam sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare, & cum undique se latentes errores opponant, omne periculum deceptionis evadere.* Ad illam Sancti Pontificis regulam se accommodare qui opinionem relinquit probabiliorem ut minus probabili adhæreat, proferre quis non erubesceret? Immo quod arduum judicat, & difficile S. Leo, nullus evaderet difficultatis. Verum quid in solvendis hujuscemodi objectionibus diutius immoramur, qui jam probabilistas audivimus dicentes, nihil de hac re habere Sanctos Ecclesiæ Patres. Hec orbis christiani lumina nihil habere quod vestræ faveat doctrinæ, o probabilistæ, id vobis ultro concedimus: vobis e contra, ex testimoniis eorum in probationem adductis, adversarii ingenue concedatis.

3. *Objectio.* Propositio, quæ dicit licitum non esse sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori est injuriosa aliquot Summis Pontificibus qui sententiam oppositam in praxi tenuere. Etenim probabilius est, ut sentit D. Thomas, Summum Pontificem dispensare non posse in voto castitatis solemni, neque dispensare a vinculo

lo matrimonii licite ac valide contracti & rati. Verum Alexander III. Julian cuidam Monacho professo licentiam concessit a statu Religioso transeundi ad nuptias. Pius V. quatuor vicibus dispensavit circa matrimonium. Gregorius XIII. fertur una die circa idem tredecim concessisse dispensationes. Insuper Innocentius III. cap. *Litteras*, de restitutione spoliat. relatis sententiis Clementis, & Lucii suorum prædecessorum contrariis, & inter se oppositis circa uxorem quamdam quæ ob aliquam causam a viro suo recesserat, nullam ex his opinionibus reprobat, nullumque vult ex sua responsione cuiquam earum præjudicium generari, sicque licentiam concedit sua relicta opinione quæ erat probabilior, eligere minus probabilem ipsi oppositam. Ergo non potest defendi.

Respondeo in vanum laborare probabilistas dum ex prælaudatis exemplis aliquid quod ipsis faveat concludi posse sibi blandiuntur, quum potius hæc contra ipsos aperte pugnant, seque arma quæ in eos vertamus nobis subministrare non attendunt. Nam ad Summos Pontifices Alexandrum III. Sanctum Pium, & Gregorium XIII. quod attinet, errant toto cœlo dum dicunt illos juxta opinionem minus probabilem in hujusmodi dispensationibus concedendis egisse, utpote cum juxta probabiliorem sententiam existiment Summi Pontifices tales dispensationes concedendi sibi devolutam esse facultatem, sive ex plenitudine potestatis id de jure competat Sedi Apostolicæ, sive ab Ecclesia in generalibus Conciliis, ob reverentiam sedisque dignitatem, & primatum id illi fuerit concessum. Hanc autem opinionem major pars Doctorum tenet, validisque confirmat argumentis, sicque ut probabilior simul & communior generaliter habetur. Hæ vero dispensationes nullius essent valoris si non essent secundum Communiorem, tutiorem, simul & probabiliorem opinionem. Unde ex iis contra nos frustra argumentantur adversarii. Præter quam quod non omnibus declarationibus, & responsis, quæ sub Pontificum nominibus feruntur fidem esse adhibendam non absque fundamento tenent eruditi non pauci, plura ex iis spuria, & adulterata, suppositaque judicantes. Quod an verum sit videant inter se Juristæ.

Ad Innocentium III. quod spectat respondet doctissimus Fagnanus, cui adhærendum censemus, id egisse Summum Pontificem, quod agere solet ac debet qui opiniones medias, duas sibi ex adverso oppositas insuper conciliandas nullam damnans, sed aliquid veri in utraque agnoscens, media incedit via. Et in hoc prudenter se gessit Innocentius, oppositas ita concilians prædecessorum suorum sententias, ut una ad possessorium, altera ad petitorium referatur, cum opiniones illæ duobus juris textibus niterentur, quos, ut contrarii non apparerent, conciliare opus erat. Quod vero ex hac Pontificis decisione inferunt adversarii illum concedere, sua relicta opinione quæ erat probabilior, licentiam tenendi oppositam quæ erat minus probabilis, illud gratis, nulloque fundamento freti, dicunt, cum de eo nec ullum etiam indirecte, verbum habeat Innocentius, ecclesiæ leges, jurisque regulas nimium edoctus, ut sententiam ab ipsa ratione adeo alienam bonisque moribus, ac christianæ severitati multimode noxiam amplecteretur. Quosdam nobis opponere Canones requirentes ad prudenter agendum probabilem dumtaxat credulitatem, vel probabiles rationes, nihil juvat, cum per hæc verba solum indicent

illum

illum prudenter agere qui sufficienti argumento innixus gravi ducitur ratione, quæ validiorem non habet oppositam. Si enim moreli adhibito examine major posset haberi certitudo, illam qui non sequeretur a peccato minime posset excusari. Si quidem, ut jam observatum est, opinio simpliciter probabilis, si eum probabiliori concurrat, fit penitus improbabilis, & quæ erat ex concursu prædicto probabilior, simpliciter probabilis remanet. Et in hoc sensu sunt intelligendæ quotquot proferri possent rationes, vel Summorum Pontificum decisiones, quæ opinionibus minus, aut simpliciter probabilibus, in sensu mox exposito, favere viderentur.

4. *Objectio.* Sententia quæ docet opinionem minus probabilem posse teneri opinione probabiliori neglecta, est probabilior sententia contrarium dicente: illam enim tenet major Doctorum pars, & inter eos auctores graves, & classici numerantur, potissimum inter recentes Theologos, modernosque Casuistas. Ergo potest aliquis tuta conscientia sequi in praxi opinionem minus probabilem probabiliori relicta.

Respondeo, quod etsi verum esset antecedens, cujus falsitatem sumus demonstraturi, non minus falsa esset consequentia, quæ non nisi indirecte ex eo eruitur. Prior enim propositio quæstionem movet mere speculativam, quæ probanda occurreret, conclusio vero circa praxim versatur. Ex antecedenti directe concluderetur, ergo si tenemur sequi opinionem probabiliorem, tenemur sequi opinionem minus probabilem, quod ridiculum nimis, ne dicam insulsum, cuilibet prima fronte videtur, & adversaria multo plus quam audere exigere concedit. O desperata probabilistarum causa, quæ non nisi sophismatibus, miserisque cavillis potest defendi! telis argumentationis fictitia inextricabilitate glorietur Caramuel probabilistarum audacissimus, adeo perum stabilem gloriam ipsi quis invideret? Nos autem, ne gratis aliquid in medium protulisse damnemur, quid falsitatis habeat antecedens propositio ejusque fundamentum demonstrare non omittamus.

Doctrina de tenenda inculpate opinione minus probabili quando concurrit cum probabiliori, initium sumpsisse videtur sæculo sexto decimo desinente, & non antea. Si quidem Antonius Cordubensis ex Minoritica Familia, celeberrimus in Hispania Theologus in suo quæstionario Theologico, anno 1571 scribens lib. 2. quæst. 3. opinionem communiorem & probabiliorem esse tenendam & sequendam, addit & in hoc omnes Doctores consentiunt. Quam propositionem ne incideret protulisse videretur, sic probat 1. quia agendo contra rectam rationem peccatur, sed agens contra probabiliorem opinionem agit contra rectam rationem: quia agit contra rationem & auctoritatem cui renuti non licet. Nam ideo dicitur probabilior opinio, quia rat probabilior, & quia validioribus innititur rationibus & fundamentis, quibus naturaliter convincitur intellectus, ut huic parti potius, quam oppositæ assentiet. 2. Quia legi rationabili seu prudentiali judicio dictanti tale quid esse necessarium (qualis est prædicta opinio probabilior & rationabilior) necessarium est se conformare. 3. Quia aliter agens agit temere irrationabiliter: dum sine ratione sufficiente eligit partem periculosam minus rationabilem, quod ratio ipse minus dictat, postposita ea, quem magis dictat esse necessario amplectendam. Causas in exem-

 plum

plum adduxerat, circa pluralitatem beneficiorum, non residentiam Parochorum, & contractus quæ omnes casus ad praxim præcipue spectant. Hæc longum ex Cordubensi retulisse mihi liceat, ut omnibus fiat manifestum, non imprudenter minus quam imperite, Theologum quemdam (in nostris quidem notæ) e probabilistarum agmine, in tractatu de actibus humanis, paucis ab hinc annis non sine causa urgente prosiliente pro, docentem licitum esse sequi opinionem minus probabilem, in suas partes trahere voluisse prædictum Antonium, & cum eo majorem præcedentis ævi doctorum copiam, veluti dixisset, Theologos communiter tenere licitum esse sequi minus probabilem sententiam, cum tamen, ut ostendimus, expressissimis verbis contrarium scripserit Cordubensis.

Non diffitendum sæculo proxime elapso, ut primum in lucem prodiit probabilismus, plures ex omni statu, ordine, & familia, tum Doctores, tum Casuistas, ipsi adhæsisse, hancque doctrinam recens inventam, Episcopis nonnullis, Sacerdotibus, ac Religiosis placuisse, qui fama, doctrina, simul & auctoritate præcipui, novi nuper illius inventi auctorum delusi, quod inde malum prodire poterat, bona fide ducti cito deprehendere, imo vel suspicari non valebant. Hinc Scriptores non pauci, alii aliorum scripta inconsulte compilantes, vel potius suffurantes, probabilitatis viam vel censiti, vel meante, vel nimium creduli, ac stolide in præceptorum verba jurantes tenuerunt, novasque vites ipsi in dies addiderunt, eamque hujus doctrinæ lues longe lateque diffusa est, tot tantique fuere, in illa innumeris, ut ita dicam, voluminibus consignanda, homines eloquio præpotentes, ut a somno tandem excitatis, qui hujus dogmatis nefanda consectaria animo prima fronte non perceperant, ac in pessimum suum errorem cum clamore valido insurgentibus se ex majori parte probabilistam esse orbis terrarum obstupuit. Quot autem morum corruptelis viam aperuit hæc doctrina, zelo ac sagacitate multorum, qui venenum illud non ebiberant, vix innotuit, & probabilismum validissimis argumentis, rationibusque invictissimis impugnare cœperunt cujuscumque status, ordinis ac familiæ scriptores, præcedentis sui erroris, vel suorum antecessorum vestigia cupientes delere. Verum profundiores jam fixerat radices aliquot annorum spatio hæc doctrina corruptis hominum cupiditatibus nimium accommodata, quam ut primis adversariorum telis ac ictibus licet potentissimis exscinderetur. Crevit potius probabilistarum audacia pro suo recenti dogmate unguibus & rostro pugnantium. Crevit & in dies in infinitum usque numerus Casuistarum, propositiones ante hac inauditas, ad omnia evangelii præcepta eludenda excogitatas ostendentium, & quorum licentiam refrænare facile non fuit. Omnium tandem christianæ puritatis, catholicæque Veritatis amatorum indignationem excitavit anno 1657 delinente, liber Gallico idiomate editus, inscriptusque *Casuistarum Apologia*, qui totam Ecclesiam Gallicanam adversum probabilitatem animavit. Illum clerus inferior primis Ecclesiæ Pastoribus absque mora detulit, quem omni adhibito examine, annis sequentibus, Episcopali censura, eaque longe gravissima, Pontifices ad invicem percellere vidit Gallia tota & lætata est. Sic numquam satis laudandi illi præsules, prostratam reparare disciplinam, extinctam pene

pene canonum rigorem vivificare, dejectas ecclesiasticæ Hierarchiæ coronas reponere, nefarias novellæ corruptionis adinventiones refellere, totumque mundum sæva repentinæ probabilitatis tempestate quasi perculsum, ad antiquam sanitatem a novitatis vesania, ad antiquam lucem a novitatis cæcitate revocare aggressi sunt. Non cessit tamen probabilistarum pervicacia, nec a disseminanda sua doctrina, illaque pro viribus tuenda, probrosa licet multoties censura notata, abstinuerunt. Eoque devenerunt, ut adversariorum suorum repetitos conatus, nedum in Gallia, sed & in Belgio, ac in Italia, ubi Theologi & Canonistæ præstantissimi, effrænem in materia morum opinandi licentiam validissimis doctissimisque scriptis sunt infectati, inutiles ubique & æternum reddere gloriarentur. Nihil interea de sua laxitate probabilistis remittentibus, episcoporumque Censuras & proscriptiones parvi facientibus, ad universalem Ecclesiæ Catholicæ Doctorem, Episcopum Episcoporum causa delata est. Grassantis erroris, novatumque in dies pullulantium opinionum pertæsus Alexander VII. qui vere paterna patientia plenus, probabilistas ad meliorem frugem aliquando redituros sperans, inter se pugnantes Theologos, quorum scriptis & argumentis eo splendidius veritas emicabat, quo fortius detegebantur errorum portenta, tacitus diu consideraverat, Casuistarum Apologiam solemni diplomate proscripsit 26. Augusti ann. 1659. eamque pro damnata & prohibita haberi voluit. Utque summam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescentem cohiberet Summus Pontifex, plures propositiones omni pestiferæ doctrinæ viru refertas Apostolica auctoritate prohibuit in Sacræ Romanæ Inquisitionis Congregationibus Generalibus, 24. Septembr. ann. 1665. & 18 Mart. 1666. proindeque probabilistarum dogmata radicitus amputavit, quod ita verum est, ut nullus postea (saltem pluribus annis) ipsis fuerit defensor manifestus, nec nisi latenter ac emendito nomine ipsis patrocinari quisquam fuerit ausus.

Quod ergo probabilismus aliquot annis Theologos inter & Casuistas ad periculosa illius consectaria non attendentes fere nimium, nonnullis licet reclamantibus, audierit, illud humanæ fuit infirmitatis, cujus defectus dolendum potius quam criminandum, quasi omnes (illos si exceptas, apud quos minoris ponderis fuit Sedis Apostolicæ judicia) certatim delere non multo post gloriati sunt & quos a patre mendacii infeliciter deceptos lugens aliquando viderat pia Mater Ecclesia, ad Sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrentes, nihil novi, nihil adinventione sua statuentes, sed primam & unitam ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore, repetentes atque sectantes, exultans & lætabunda vidit. Nihil igitur habent quod glorientur recentiores probabilistæ, in sui redivivi erroris patrocinium majores in vanum vocantes; transierunt enim & dissipati sunt tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Opinionem probabilem sequi licitum esse adhuc si plures contendant illud de minus probabili nullatenus intelligunt, multo minus in sensu a Sancta Sede proscripto. Opinionem dicunt probabilem illam quæ gravi nititur fundamento aut ratione sufficienti ad hominum sensatum ac religiosum determinandum, quod, concurrente probabiliori opinione, quomodo possit occurrere ipsi videant

deant conciliare, ut ideas inter se pugnantes & velut ex adverso oppositas simul tueri non cogantur. Si autem, quod credere nefas, verum probabilissimum in sensu opinionis minus probabile superius exposito, nonnulli defendere non reformidarent, in ipsos semper insurget fames, majorque Theologorum, ac Casuistarum numerus, a quibus rationum pondere veritatisque præsidio perpetuo devincentur.

Hæc eramus compendiose dicturi, cum ad objectionum solutionem, tum ad utilitatem eorum quos magistrorum auctoritas, aut minus accuratæ relationes, in errorem possent inducere, sicque illi innotescat quanti facere debeant ea quæ scripsere in hac materia Amadæus Guimenius, olim primarius Sacræ Facultatis Professor, in cujus opuscula doctrinam continens laxam, temerariam, &c nou immerito Sorbonna 3 Febr. anni 1665 sententiam tulit, aliique ejusdem furfuris auctores, quibus, si de discipulorum, aut ipsis adhærentium numero, se extollerent, responderemus ad retundendam eorum arrogantiam, quod Joviniano D. Hieronymus dicebat: *quod multi acquiescunt sententiæ tuæ, indicium est voluptatis, non enim tam te loquentem probant, quam suis faventem vitiis*. Cæterum qui quæstionem hanc plenius discurere voluerit, historiam legat probabilismi, variasque quæ extant circa probabilitatem opinionum dissertationes, tum antiquiorum tum modernorum.

Lib. 1 adver. Jovin. cap. 19

5 *Objectio*. Ex Sancto Antonino licitum est sequi opinionem probabilem, vel etiam Doctoris unius, licet falsa esset dummodo Sacræ Scripturæ vel Ecclesiæ determinationi non adversetur, & qui sic operatur dici non potest operari in dubio peccati mortalis, sed operari ex opinione probabili. Cum ergo id locum non habeat nisi relinquatur opinio probabilior, ex hoc merito colligitur Sanctum Antoninum favere opinioni minus probabili.

Respondeo prædictam objectionem adversariorum de ea non erubescentium, & Sanctum Antoninum, ipso invito, in suas partes trahere volentium præoccupationem ne fraudem dicam detegere, cum contrarium disertissimis verbis doceat, 1 parte tit. 3. cap. 10. unde eit argumentari placet. Scribit enim illum qui agit contra dubium non peccare, *dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione*. Et quibusdam interpositis sic pergit: *Potest aliquis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quando etiam ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam conscientiam & credulitatem sibi formet de eo quod credit tamquam de probabiliori parte*. Quid in his verbis reperire est quod vel indirecte quidem opinioni minus probabili faveat? Quid ergo dicturus erat disertius S. Antoninus, ut ab adversariorum, quibus certe non præiverat, sententia probaretur alienus? Quam exigat in librandis opinionibus diligentiam, & ad errores vitandos quid præcipiat, audiamus: *Ut qui se ad gratiam præparet quantum potest, ut sapientiam invitet per orationem, ut Scripturas diligenter investiget, ut quærat eam quasi pecuniam, ut adhibeat diligentiam in inquirendo*. Sic non loquitur qui censet licitum esse in praxi opinionem minus probabilem amplecti opinione probabiliori rejecta.

Alia

Alia quædam solent objici a nonnullis, sive ex Patribus, sive ex Sacra Scriptura, quæ adeo levia sunt, vel potius tam a præsenti materia aliena, ut in iis solvendis non liceat immorari. Ex iis autem quæ huc usque diximus, evidens est, confessarium sui esse officii immemorem simul & sacri ministerii indignum, qui propriam relinquens opinionem quam probabiliorem existimat ac tutiorem, pœnitentis opinionem quam minus tutam judicat & minus probabilem amplecteretur, illumque hoc casu supposito propria conscientia reclamante absolveret. Quid enim judicis officio, quo fungitur confessarius, magis alienum, quam si sua opinione neglecta, illius quem judicaturus est, opinioni contrariæ consuleret ipsique in ferenda sententia cederet? Pœnitentem ergo minus probabili opinione ductum a propria mente revocare nitatur, aut illum ad resipiscentiam usque in absolutum remittat: quidquid in contrarium dicant auctores Ecclesiasticæ disciplinæ immemores, utrumque peccatorum cupiditatibus indulgentes. Si vero res esset magni momenti & aliquid involvens difficultatis, essetque pœnitens bona fide ductus & aliunde litteratus, amico animo quæstionem, doctoribus, si opus sit, adhibitis, uterque examinet, donec quid ex conscientia agendum incumbat unicuique innotescat. Recordetur interea confessarius, aliquem in foro conscientiæ absolvere contra propriam opinionem ipsi non esse licitum. Sic enim judiciarius ordo inverteretur, & pœnitente minime soluto, se ipsum ligaret confessarius. Idem esto judicium de dante consilium juxta alienam sententiam quam minus probabilem crederet minusve tutam, eodem enim modo erga alios agere debemus quo erga nos agi desideramus. prudentiæ ergo legibus consulat consilium dant, sicque ratione duce juxta probabiliorem viam ac tutiorem aliis consilia subministrabit, firmus in sua sententia partem meliorem semper amplectens, non vero modo uni, modo alteri adhærens, suæ fundatissimæ opinionis rationem quotiescumque opus fuerit, ex certis principiis redditurus: non dubitans de cætero se ad damnum resarciendum teneri, si aliquod proximo ex ejus consilio & culpa proveniret, non obstante qualibet laxiori decisione.

Ex dictis propugnando vel impugnando in præsenti assertione facile evincitur, quam falsum sit quod inconsiderate haud dubie, scripsere quidam Theologi circa finem sæculi elapsi, & sæculo præsenti, quibus arridet probabilismus, re satis non maturata, dum præjudicii minime liberi dicunt, quod omnes fere Doctores, etiam sanctissimi & eruditissimi asserunt, consentiant sequi posse opinionem probabilem, relicta probabiliori, cum illud tam sit a veritate alienum quam quod maxime. Quid per omnes, quid per sanctissimos, quid per eruditissimos Doctores intelligant erant expositum, attenta eorum copia atque auctoritate, qui probabilismo adversantur. Si in scribendo magis cauti, dixissent majorem Doctorum numerum in eo consentire, quod, secluso probabilioris & minus probabilis concursu, licitum est sequi opinionem probabilem, ita ut homo per illam de bonitate actus moraliter certus prudenter ex illa operetur, peccandi periculo minime se committens, ipsis libenter assentiremur. Unde fit.

A S-

ASSERTIO SECUNDA.

Licitum est, sublato probabiliori opinionis & minus probabilis conflictu, sequi in praxi opinionem vere probabilem, quæ moralem de bonitate actus parit certitudinem in rebus moralibus sufficientem.

HÆC assertio quam definisse videtur Alexander VIII. damnans sequentem propositionem: *Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam,* veterum Theologorum dictis est conformis. Docet enim D. Thomas 2. 2. quæst. 70 art. 2. in omni judicio sufficientem esse duorum vel trium testium assertionem, quo posito pro conclusione, sic respondet in corpore. *Respondeo dicendum, quod secundum philosophum in primo ethicorum, certitudo non est similiter quærenda in omni materia. In actibus enim humanis super quibus instituuntur judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa eo quod sunt circa contingentia & variabilia & ideo sufficit probabilis certitudo quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat. Est autem probabile quod magis veritatem contineat dictum multorum, quam dictum unius.* Gersonius Academiæ Parisiensis Cancellarius part. 2. de contract. propos. 13. hæc habet. *Probabilis certitudo sufficit in moralibus ut non exponat se quis periculo, ut dicunt Doctores de celebrante missam, & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quod sufficit probabilis conjectura, quia certitudo alia sine revelatione non habetur, pro ut in moralibus, dicit Aristoteles, sumendam esse certitudinem grosse & figuraliter, quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam vel ad aliam quod sufficit.* Idem docet tract. de præpar. ad miss. consid. 3. respondens cum Alciffiodorensi, non requiri ut licite operetur homo quod habeat certitudinem evidentem aut fixam.

Ab his minime recedit S. Antoninus 1. part. tit. 3. cap. 10. § 10. *Notandum*, inquit, *secundum Cancellarium quod certitudo quæ requiritur in moralibus, non est certitudo evidentiæ sed probabilis conjecturæ . . . Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus. Dicitur autem probabile quod pluribus & maxime sapientibus apparet verum. Ex his igitur sequitur quod in humanis agibilibus quæ tantam habent varietatem, teste Aristotele & experientia, sufficit talis certitudo quæ non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit ut contemnat seu superet eos.*

Sententiam nostram tenere videtur Doctor Subtilis in 4. dist. 3. quæst. 2. dum de iis quæ in dubiis sunt agenda hæc loquitur. *Universaliter in omnibus dubiis quantum ad materiam & formam sunt tres maximæ. 1. est ista, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. 2. si non adest possibilitas, tenenda est proxima viæ tutissimæ. 3. est ista, cessante impossibilitate, caute est suppleudum quod impossibilitas prohibebat.* Quis autem dubitaret opinionem vere probabilem in sensu assertionis esse tutissimam? Quod dicit ibi Scotus de materia & forma Sacramentorum ad tylorum valorem, locum habere potest in caeteris dubiis, quanto magis in probabilibus, cum nulla adsit ratio in oppositum.

Nec desunt rationes ad senten-

rim

tiæ nostræ confirmationem. Quotiescumque homo habet moralem certitudinem de bonitate actus prudenter operatur. Sed quicumque agit ex opinione vere probabili talem habet certitudinem. Quid enim requiritur ut homo prudenter agere judicetur, nisi quod omnem adhibuerit diligentiam ad errorem vitandum, & partem aliquam non amplectatur, nisi præmisso examine sufficienti ad dignoscendum, utrum rationes veræ non essent in oppositum. Hac semel adhibita diligentia, illoque præmisso examine, si aliunde opinio quam sequitur, nitatur ratione vera aut saltem realiter verisimili, gravique fundamento quod de via ordinaria sufficiat ad hominem sapientem in rebus magni momenti determinandum, quomodo imprudens haberetur? Nonne hoc in casu habet moralem certitudinem se nihil agere contra legem? Quid ergo illi desiderandum superesset ut determinet se ad illud agendum quod moraliter certus est ipsi esse licitum? In moralibus ubi evidentiæ seu demonstrationi vix locus habetur, si non satis esset certitudo moralis, quænam esset nobis aliquid operandi ratio? Satis ergo fit necesse est opinio vere probabilis ad moralem de bonitate actus certitudinem formandam.

Præterea opinioni minus probabili, concurrente probabiliori, adhærere ideo licitum non est, quia prioris opinionis fundamentum infirmatur & insufficiens redditur graviori fundamento in oppositum, ita ut opinio quæ seorsim spectata, & relative ad rationem qua nititur erat probabilis (illud enim est ex supposito) ex concursu opinionis probabilioris gravioribus simul ac verioribus nixæ rationibus efficiatur improbabilis, hoc enim, ut multoties indicavimus, sonat minus probabilis. Ergo ubi nihil erit quo infirmari possit ac reddi insufficiens fundamentum quo nititur opinio, quam ex concursu minus probabilem vel potius improbabilem vocamus, illud fundamentum erit grave & sufficiens ratio agendi. Res autem sic se habet in suppositione opinionis vere probabilis, nulla probabiliori concurrente, Ergo sublato opinionis probabilioris & minus probabili conflictu, licitum erit in praxi sequi opinionem vere probabilem, quæ, hoc posito, certitudinem moralem de bonitate actus necessario est paritura.

Nec habere possunt quod opponant rigidiores antiprobabilistæ, quibus, ut ex præcedentibus liquet, in principali controversia ex corde adhæremus, a probabilistarum placitis omnimode alieni. Non enim cum opinionem probabilem defendimus, de opinione specie tenus probabili volumus intelligi: ideoque diximus in assertione, opinionem vere probabilem, quæ talis esse nequit, nisi rationibus nitatur veris, aut saltem verisimilibus realiter, non apparenter, aut ex arbitrio, sed quæ verisimiles ac veritati proximæ ab omnibus sensatis habeantur. Quæ vere probabilis opinio, si certa non esset agendi ratio & secura, innumeri essent casus, infinitæque circumstantiæ, in quibus quid sit licitum non invenirent homines, & quo se verterent penitus ignorarent; sicque Christi jugum gravius & quasi importabile ipsis fieret, quod nedum cogitare religio vetat. Ad quod attendens Gersonius lib. 4. de vita spir. lect. 4. coroll. 10. non absque fundamento dicebat, nimiam in opinionibus rigiditatem plus fidelium animabus nocere quam prodesse. Quod tanti Doctoris judicio adhærentes & nos dicere potenimus, quin nobis sit formidini laxitatis accusari.

In vanum ad assertionem impugnandam opponeretur D. Augustinus lib. 6. de utilitate credendi cap. 11. docens eamdem opinionem esse vitiosam, cum nihil ex nobis exinde concludi possit. Contra Academicos eo loci agens Hipponensis opinionem sumit in malam partem, scilicet pro ea animi dispositione, qua quis existimat se aliquid scire quod vere ignorat. *Tria sunt*, inquit, *hominum genera perfecte improbanda ac detestanda. Unum est opinantium, id est eorum, qui se arbitrantur scire quod nesciunt*. Sic accepta opinio vitiosa sine dubio est, minime vero si accipiatur pro assensu quodam minus certo aut firmo qui ex probabilibus dumtaxat momentis sit ortus, quem in praxi bonum esse ostendit cap. 12. S. Doctor his verbis: *Quero enim si quod nescitur credendum non est, quomodo serviunt parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant quos parentes suos esse non credant* ... *Credimus tamen, & sine ulla dubitatione credimus quod sciri non posse confitemur* ... *Multa possunt afferri quibus ostendatur nihil omnino humanæ societati incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum*. Ex hoc duplici Augustini texto colligitur quo sensu opinio sit vitiosa juxta ipsum, quo vero sensu probabilis, & secura debeat sæpe sæpius judicari. Verum, ut est facile visu, hæc non sunt ad propositum.

Feliciter non objicitur ex Cajetano docente hominem, qui regulæ ambiguæ actionem suam committit, se exponere peccandi periculo. Ambiguæ enim regulæ actionem suam nullatenus committere dicendus est in nostra sententia, qui operatur juxta opinionem vere probabilem, quæ ex supposito, probabiliorem non habet oppositam. Si quidem ex opinione vere probabili quam sequitur, nullum exurgit dubium de malitia operis, etsi quædam remaneat formido, quæ est de ratione opinionis probabilis, & certitudo quam parit, imperfectionem quamdam importet. Cajetanum autem a nobis non dissentire indicant ipsius verba, dum dicit ad honestatem actus satis esse moralem certitudinem. At quando opinionem vocat regulam ambiguam, id intelligit, ut ipse loquitur, de opinione proprie dicta, quæ certitudine carens, est cum formidine partis oppositæ. Unde cum illo distinguendum est inter opinionem proprie dictam, & opinionem improprie dictam, quæ fulcitur ratione sufficiente ad moralem certitudinem, quæque rationem illam capientibus magis est veritas quam opinio. Idem ac Cajetanus tenent Navarrus, S. Antoninus, Gabriel verba referens Gersonii, Fagnanus, & alii passim Theologi ac Canonistæ affirmantes certitudinem moralem de bonitate actus sufficere, ut quis tuta conscientia possit operari. Hinc patet quantum a veritate recedant Joannes Sinnichius, libro cui titulus Saul exrex, & Vvillelmus-Vvendrockius in notis ad epist. 5. ex provinc. contrarium asserentes.

Quæritur, utrum sicuti tenemur sequi opinionem probabiliorem relicta minus probabili, semper teneamur in praxi opinionem tutiorem.

Resp. Tutiorem tenemur sequi opinionem quando hæc probabilior est vel etiam æque probabilis: non tenemur vero illam sequi cum minori donatur probabilitate. Quæcumque superius adduximus ad probandum nusquam licitum esse relinquere probabiliorem opinionem ut minus probabili adhæreatur, probant a fortiori pro tutiori opinione quando est probabilior. Il-

lam

Iam est tenendam quando est æque probabilis, cum ilet inferas? tunc ob motiva ex utraque parte æqualiter prementia, quid sit agendum dubitatur, ideoque vere locum habet hæc regula juris de qua itidem diximus, *in dubiis tutior pars est eligenda*, & quæ est reliter imperativa. Id unanimiter tenent Theologi ac Canonistæ. Unde S. Antoninus 1. par. tit. 20 de regulis juris loquens hæc habet: *Dubium probabile est cum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales, & peccatum grave est se exponere tali dubio ubi est mortale*, & 1. part. tit. 3. cap. 10. § 10. *Cum ergo in aliqua materiæ morali sunt variæ, & contraria opiniones, ille qui adhæret opinioni laxioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis quia in dubio, cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera.*

Doctorem Subtilem sic sentire probant quæ de ipso paulo ante retulimus *in omnibus dubiis* ... *probabilitas adest, via tutissima est eligenda*. Hæc Angelici Doctoris mens pariter fuerat dum quodlib. 8 art. 13. hæc scribebat: Ille qui in quamdam dubitationem induceretur contrarietate opinionum, si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale quam propriam salutem. Quod prius dixerat S. Augustinus lib. 1. de Bapt. cont. Donat. cap. 3. a nobis jam laudatus: *si dubium haberet*, inquit, *graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret*. Id tandem declaratur cap. *illud*, extra de cler. excomm. cap. *ad audientiam* de homic. volunt. cap. *juvenis* extrav. de spons. aliisque pluribus in locis ubi dicitur, viam tutiorem ubi dubitatur esse tenendam. Est autem dubitandi locus quoties in utraque parte æqualis habetur probabilitas.

Verum opinionem tutiorem sequi non tenemur quando est minus probabilis, cum nulla sit lex talem hominibus imponens obligationem, & satis est ut secure quis operetur, quod sit de bonitate actionis moraliter certus, ut revera est probabiliorem opinionem sequens. Huic opinioni favet perpetua Ecclesiæ praxis a tuitiore sæpissime recedentis, ut accidit fere in omnibus dispensationibus circa vota, matrimonium, juramenta, quæ ex probabiliori conceduntur, quas tamen non concedere tutius esset. Exemplis quæ a multis ex Scriptura desumuntur ad responsionis istius confirmationem supersedeo, quia nullatenus sunt ad propositum, & nihil ex iis pro laxiori parte aut tutiori concluditur, ut rem attente examinanti fiet manifestum. Nec valet paritas qua concludendum quibusdam videretur: tenemur sequi probabiliorem, ergo tenemur sequi tutiorem. Falsissima est hæc illatio, ideo enim quia tenemur sequi probabiliorem si prudentiæ legibus consulamus, non tenemur sequi tutiorem quæ est minus probabilis. Præterquam quod, ut observavimus, non est dubium ubi tenetur opinio probabilior, proindeque tutiori locus non est. Satis ergo erat nos dixisse opinionem tutiorem esse tenendam cum probabilior est, vel æque probabilis, nihil ulterius inquirentes.

QUÆSITUM QUARTUM.

Unde oriatur opinionum probabilitas, & juxta quod est metienda?

Duplicem distingui probabilitatem, ut præcedentis quæsiti initio observavimus, nullus est qui nesciat, intrinsecam unam,

quæ ex vi rationum quibus nititur opinio, deducitur, exterinsecam alteram, quæ ab auctoritate, & testimonio Doctorum opinionem defendentium petitur. Eo, amentiæ libenter dicerem, devenere quidam auctores, ut eos docere non puduerit vel minimam rationem, vel unum doctorem sufficere ad utramque illam probabilitatem inducendam. Quid enim aliud sonant hæ propositiones, *generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui*, &c. *Si liber sit alicujus junioris, & modernus, debet opinio censeri probabilis*, &c. *Numquam periculum erit constrictionis, quando aliquis sequetur id quod videtur commodius, modo probabilis opinio doceat id esse licitum. Qui credit opinionem esse aliquo modo probabilem, secundum eam operari potest, etiamsi recedat a sententia communi, magis probabili, & magis tuta.* Quod alteri sapientes illis non contentiamus, forsasse non improbabunt. Recitamet licet Caramuel cum suis asseclis volentibus tuæam agendi regulam esse quamcumque opinionem eo præsise quo ab aliquo defenditur scriptore, etiam si, ut loquuntur contradiceret Doctorum torrens. Unde in epistola ad Dianam quærentibus an hoc vel illud liceat, scribit, satis esse respondere, Diana dixit, vel ita sentit. Quid ie tui respondendum existimaret Caramuel, si vel Chrysostomi, vel Hieronymi, vel Augustini, aut alterius cujuslibet ex celebrioribus Ecclesiæ Patribus auctoritati subscripturus esset, qui tantum honoris tribuendum judicat auctori a deo recenti?

ASSERTIO PRIMA.

Opinionum probabilitas desumitur tum a ratione, tum a Doctorum auctoritate. Prior quæ est intrinseca, prævalet alteri quæ est extrinseca.

Utriusque illius probabilitatis meminere Lactantius & Augustinus. Ille dum lib. 3. de falsa sapientia cap. 23. arguit eos qui sola philosophorum auctoritate ducti, nullo adhibito examine, quibusdam opinionibus ad mores pertinentibus adhærent: *Non scribentis*, inquit, *auctoritate opus quam*, *sed veritati potius faveant & accedant*. Iste vero epist. 19. quæ est ad Hieron. hæc scribens: *Ego solis eis scripturarum libris qui Canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per auctores Canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreant persuadere potuerunt.* Ubi declarans Augustinus se auctoritate & ratione duci, hanc illi prævalere sufficienter ostendit.

De probabilitate intrinseca, & quod sit præcipua habetur ex capite *ego solis*, desumpto ex Augustino loco citato, ex cap. *Capellanus*, ubi Clemens III. declarat tenendam esse sententiam, *quæ melioti & subtiliori nititur ratione*, ex cap. 3. *de homicidio in 6.* in quo præcipitur ferri judicium, *si probabilibus constiterit argumentis.* Ex validitate rationum exurgit probabilitas, quæ eo major est, quo plus urgent rationes in quibus fundatur, neque enim, ut infra dicemus, auctoritas doctorum probabi-

bilem redderet opinionem, nisi ex certis principiis, ac ratione sufficienti loquerentur.

De probabilitate vero extrinseca habetur ex Sacra Scriptura. Deuteron. cap. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Eccli. cap. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare ... ipsi enim didicerunt a patribus suis.* Iis consentiunt quæ quodam loco habet Augustinus dum ait: *Absit ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse Oceanum, nesciremus esse terras, atque urbes, quas fama celeberrima commendat.* Unde concludit Scotus noster, quodl. 14. *credere possumus testimonio aliorum etiam tam firmiter, ut illud credere dicatur apud eum* (Augustinum) *scire.* Quantum habeant auctoritatis seniorum ac sapientum dicta ad opinionem fundandam docuerat Aristoteles, 6 & hic. *Non minus, inquit, inhærendum est expertis, & senioribus, vel prudentum opinionibus, atque sententiis sine demonstratione, quam demonstrationibus ipsis: veluti enim oculum experientiam habentes principia discernunt.* Quibus verbis probabilitatem extrinsecam statuens, motivum illi assentiendi principale a probabilitate intrinseca, ut sunt principia & rationes, provenire ostendit: non tamen eo sensu quod auctoritas rationi æquivaleat ac demonstrationi, sed quia veteres & experti nihil dicunt aut asserunt nisi docti ratione aut experientia. Sicque confirmat quod diximus, scil. probabilitatem intrinsecam probabilitati extrinsecæ prævalere.

Id autem ex sanctis canonibus adhuc evincitur. Sic enim habetur cap. de veritate ex Augustino. *nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat.* Veritati & rationem potius consulere quam consuetudini etiam ipsa dictat ratio, cui non consentire nemo sensatus vellet. Item ex Sancto Cypriano idem Augustinus & canon habent. *Hoc plane verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est ... nam consuetudo sine veritate, vel ratione, vetustas erroris est.* Illudque est juris Civilis conforme, dicente imperatore, *relatæ consuetudinis ususque longævi, non vilis auctoritas: verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.* Quibus verbis nihil expressius desiderari potest.

ASSERTIO SECUNDA.

Doctor unus, nec etiam plures sine gravi ratione loquentes opinionem non reddunt probabilem. Si vero ex valida ratione loquantur, unus quoque probabilitatem facit, etiam contra multos non sic loquentes, nisi aliunde obstaret scripturæ auctoritas, vel definitio, aut communis sensus Ecclesiæ.

NON doctorum auctoritati standum esse, sed eorum rationibus indicant quæ ex Lactantio jam retulimus, & ex Augustino ad Hieronymum. Nec majorem a suis lectoribus credulitatem sibi postulat Augustinus, volens ut nihil in suis scriptis ut certum habeant, nisi quod certum esse intellexerint, unde in proœmio libri tertii de Trinitate sic loquitur: *noli meis litteris quasi scripturis Canonicis inservire: sed in illis quod non credebas cum inveneris incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere.* Et illud est discrimen inter Scripturas canonicas, & Patrum, aliorumque Doctorum dicta, quod Scriptura Sa-

Sacra ex se auctoritatem facit, cum nihil aliud sit quam ipsum Dei verbum, aliorum vero scripta, cujuscumque sint sanctitatis ac doctrinæ, a Sacra Scriptura, aut a rationum pondere suam sibi desumpsere auctoritatem, eoque tendunt laudata D. Augustini verba. Unde sequitur nec unum, nec plures Doctores sine gravi ratione loquentes, opinionem probabilem reddere. Quod ex jure tum canonico tum civili eruitur.

In utroque jure receptissima hæc est Regula: *Unius dicto non creditur, & vox unius, vox nullius*. Hinc in re gravi unius testis, quavis fulgeat dignitate, est insufficiens. Id etiam apparet ex concilio Lateranensi tertio, & ex cap. *licet universis*, cap. *licet ex quadam*, cap. *veniens*, ex Clementina 1. de Sum. Trin. §. *ad hoc*. Quibus addi potest glossa in caput *Ego solis* ex S. Augustino desumptum: *Non est considerandum quis dicat, quia veritas a quolibet prolata præferenda est, & ratio æque valet cunctis*. Doctorum ergo etiam multitudinem absque valida ratione loquentium consentientium fundare ac probabilitatem facere gratis fingeretur. Quod confirmat hæc juris regula: *Doctori sine ratione aut lege loquenti non est credendum, quia Doctores sunt testes juris, non facti*. Illis igitur solis in facto opinionis fides non est adhibenda, si sine ratione loquantur, & tam pro multis quam pro uno probat hæc regula.

Ex jam dictis sequitur quod addidimus, nimirum plures ex valida ratione loquentes probabilitatem facere, quod ostenditur quæ dicta sunt assertione præcedenti quantum ad probabilitatem extrinsecam, quæ totam suam vim habet a probabilitate intrinseca. Hæc autem intrinseca probabilitas quæ tantum roboris habet quando ex eo loquuntur plures, vim suam non est deperditura in ore unius Doctoris. Si ipsius virtuti, quæ est illi ab intrinseco, nihil addit Doctorum testimonium quod ab ipsa ratione, ut supponitur, & est absque dubio, suam mutuat auctoritatem, nihil pariter ab illa detrahetur quod ab uno dumtaxat proponatur, proindeque opinio quæ viginti verbi gratia Doctoribus ex valida ratione loquentibus, probabilis foret, uno solummodo ex eadem ratione loquente, opinio illa non minus probabilis erit. Hocve posito, unus etiam doctor ex gravi validaque ratione loquens probabilitatem facit contra multos non sic loquentes.

Hocque consonum est juri Civili in quo sic habetur l. 1. §. *Sed neque* C. de vet. jur. *Sed neque ex auctorum numero quod melius & æquius est judicatote, cum possit unius forsan, & deterioris sententia & multos & majores aliqua in parte superare*. Et illud revera accidit, cum, ut observat Augustinus, dicta sua valida & probabili ratione confirmant Doctores, quod tam pro uno quam pro pluribus valet, ex eo quod ratio in se sumpta probabilior non sit aut validior, ut jam dictum est, in ore trium aut viginti quam in ore unius.

Addimus nisi aliunde obstaret Scripturæ auctoritas, vel definitio aut communis Ecclesiæ sensus. Scripturæ quidem, nam ut ait Augustinus in Psal. 36. *Omnis morbus animi habet in Scripturis medicamentum suum*. *Per libros apostolorum ac prophetarum*, inquit Chrysostomus hom. 3. de Lazaro, *omnemque scripturam divinitus inspiratum, animum nostrum fabricamur, depravatumque corrigimus & vetustatum renovamus*. Hæc morum sicut & fidei est magistra, unde contra illius auctoritatem nec unus Doctor, nec plures opinionem

nem possunt reddere probabilem. Nec etiam illud valent contra communem Ecclesiæ sensum vel definitionem. Quidquid enim in ea tenetur, ut cum Augustino semper loquamur, *aut auctoritate sit scripturarum, aut traditio universalis, & tota auctoritate confirmatur*. Iis ergo quæ nedum definit Ecclesia, sed etiam generaliter sentit, est perpetuo standum, cum certitudinem pariat Ecclesiæ consensus.

ASSERTIO TERTIA.

Ut rectè procedatur in metienda probabilitas, ad Sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ potius attendendum est quam ad alios veteres auctores, cæteris paribus, moderni sunt præferendi illis qui sive rei ex professo tractantes prævaluit illis qui per transennam aut incidenter locuti sunt præstiti tandem & moralis in moralibus magis audiendi sunt quam alii.

IN metienda opinionum probabilitate ad Sanctos Ecclesiæ Patres & Doctores præ aliis esse assendendum nos docet honor, quo venerandam antiquitatem prosequi æquum est. Iis enim in rebus fidei & morum præ cæteris est credendum qui eas melius agnoverunt, quique ab Apostolorum temporibus, saltem pro majori numero, non longe distantes, quid prioribus Ecclesiæ sæculis fieret apprime tenuerunt, & in servanda primæva disciplina toti fuerunt. Tales ergo cum fuerint Sancti Patres primique Ecclesiæ Doctores, ipsis de iis quæ sectanda sunt vel fugienda, præ cæteris omnibus consulendum esse, quam æquum sit quis non videt? Hinc est quod in Concilio Romano sub Gelasio Papa, ut habetur dist. 15 de Relig. & vener. 55 recipiuntur & commendantur Sanctorum Patrum opera, post Scripturas Canonicas, & acta Conciliorum. Ipsa etiam Ecclesia, ut ex Conciliorum actis constat, in dubiis & difficultatibus circa mores & circa fidem, Sanctos Patres ac Doctores consuluit. Ad quod attendens Tostatus Abulensis quem nihil latuisse fertur, utpote qui scribendo discutiat omne, de auctoritate Patrum loquendo defensorio part. 2. cap. 83 dicit Ecclesiam approbando Patrum scripta judicare illa utilia ad doctrinam fidei & morum. Quare ergo libenter eos non audiremus illos, quorum diebus puriorem inter fideles ac ferventiorem vigiuisse disciplinam & vivendi normam non possumus diffiteri? Nonne potius sunt audiendi magistri quam discipuli? Id observandum judicantes Patres Concilii quinisexti seu Trullani dicebant Can. 19 ab Ecclesiæ Doctoribus & Patribus quos Ecclesiæ luminaria vocant, fideles inquirere debere quæ sunt bona, quæ vero mala, ut juxta eorum doctrinam vitam in melius componant. Non mirandum igitur si a commendanda antiqua traditione Patrum scriptis consentanea non cessarunt Summi Pontifices. Inter eos audire juvat Bonifacium VIII cap. *Gloriosus Deus* sic loquentem: *Horum Doctorum perlucida, & salutaria documenta illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt, eorum facunda facundia coelestis, ubertate gratiæ influentis, Scripturarum ænigmata reserat, solvit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat.*

Veteres auctores modernis esse præferendos aperte satis facta indicat Scriptura. Legitur enim apud Job cap. 12 *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Eccli. cap. 8 *Non te prætereat*,

rent narratia seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Cap. 39 *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens. Narrationem virorum nominatorum conservabit.* Jerem. cap. 6. *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis.* Quibus verbis Sacræ Scripturæ veteres præ modernis commendantis consonat hæc regula Sancti Isidori cap. *Domino sancto*, dist. 50. cap. 28 *Quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia invenitur illius, Concilii magis teneatur sententia, cujus aut antiquior aut potior exstat auctoritas.* Cap. *conquestus*, dist. 9. §. 3 vetat Nicolaus Papa, ne metropolitanus in suffraganei Parochia *sine hujus consilio quidquam agat, cum hoc nec antiquitas (cui Patres sanxerunt reverentiam) habeat.*

Assertionem confirmare juvat ratione quam suppeditat Vincentius Lyrinensis in suo commonitorio aureis characteribus digno, quod, Theodosio & Valentiniano imperantibus, scripsit adversus hæreticos, in quo veteres præ modernis esse audiendos sic ostendit cap. 13 *Annuntiare aliquid christianis & Catholicis præter id quod acceperunt numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit, & anathematizare eos qui annuntiant aliquid præter quam quod semel acceptum est, numquam non oportuit, nusquam non oportet, numquam non oportebit juxta illud Apostoli ad Rom. 16. Rogo autem vos fratres ut observetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam ipsi didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Hæc autem regula, in materia morum sicut in rebus fidei tenenda, minime locum haberet, si moderni præ veteribus audirentur. Quod idem docet cap. 27 relatis his Pauli verbis 1. Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi. Quid est depositum?* inquit, *nisi quod tibi creditum est, non quod a te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis, rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse, sed custos, non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens.* Hæc legant & animo perpendant qui modernis nimium studentes a veterum placitis recedere non formidant.

Præterea Ecclesiæ catholicæ doctrina non minus est tenenda in iis quæ ad mores spectant, quam in rebus fidei: verum si antiquis recentiores anteponantur in opinionum probabilitate, quomodo Catholicæ Ecclesiæ doctrina in moralibus teneri dicetur? Tribus notis catholica doctrina distinguitur ab hetherodoxa, nempe universitate, antiquitate & consensione. Has autem notas in modernorum opinionibus contrariis veterum sententiis quis inveniret? Lyrinensem adhuc audiamus: *Sequemur universitatem, ait, si hanc unam fidem veram esse fatemur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero, si ab his nullatenus sensibus recedamus quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* At juxta adversariorum sententiam nova fides profertur, quam tota non confitetur Ecclesia, cum priorum sæculorum fides seu morum doctrina reprobetur ut nova introducatur. Antiquitati non consulitur vel consensioni, cum majorum & Patrum sensibus, magistrorumque definitionibus ac sen-

ten-

rentiis contradicatur. Quæ cum ita sint, ut nemo sensatus poterit diffiteri, manet probatum veteras, inter eos qui probabilitatem faciunt, esse modernis præferendos. Advertendum tamen dictum esse, cæteris paribus, firmiores enim solidioresque rationes a quovis proferantur, tum veteri, tum moderno, semper sunt prævalituræ. Si vero ex æqualitate rationum pro utraque parte dubium aliquod orietur, veteribus potius adhærere quam recentibus ipsa prudentia dictat.

Quod classicos Doctores, illosque a quibus quæstiones ex professo sunt tractatæ, aut casus sunt examinati, aliis præferendos asseramus, mirum videri non debet. Illi enim rerum principia, conclusionesque tum proxime, tum remote ex iis educendas melius intellexisse judicandi sunt, rationesque ac motiva quibus suam opinionem defendant, attentius diligentiusve perpendisse illis, qui ex occasione tantum & incidenter materias illas attigere. Quidquid uni sententiæ præ alia favere potest, quidquid adduci valet in contrarium consului librasse censentur, cum id aliunde ab ipsis officii ratio postularet. Unde præ cæteris sunt audiendi, potissimum si ex Patrum ac veterum dictis suas opiniones confirment.

Practicos tandem & morales in rebus moralibus alios præcellere quis negaret? Sicut enim, cæteris paribus, in fide & moribus, ut egregie notat Antonius Cordubensis, plus adhærendum est Theologis quam Canonistis: contra vero in his quæ concernunt leges humanas, & forum contentiosum, plus Canonistis quam Theologis; similiter inter Theologos in materiis moralibus & casibus conscientiæ, plus standum est illis, qui in moralibus diligentius suum inge-

Quæst. Theol. lib. 1. quæ. 7.

Emrett, Theol

nium contriverunt, quam alii qui speculativis plus intenderunt. Ideo practici & morales qui casuum materiarum studio plus insudarunt, sunt aliis præferendi, quia ut communiter dicitur, horum quisque est bonus judex quæ novit, & unicuique in sua arte credendum est. Hinc est quod ut observat Glossa in cap. ut veterum dist. 9. *Magis Augustino est credendum in disputationibus, Hieronymo in historiis & translationibus, Gregorius vero in moralibus præponitur, quia non omnis in omnibus, sed certi per certa.*

ASSERTIO QUARTA.

In opinionum probabilitate si utrique parti faventes reperiantur Doctores, ad majorem numerum, cæteris paribus, attendatur: si numerus æqualis ipsi, graviorum, in sensu præcedentis assertionis, prævaleat Doctorum auctoritas.

HAnc regulam in libris canonicis dignoscendis præscribit S. Augustinus lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 8. his verbis: *Tenebit hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis, præponat iis, quas quædam non recipiunt, in eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent.* Quod autem de variis ecclesiis dicit S. Doctor, locum habere debet quantum ad numerum auctorum sententiam aliquam defendentium, illudque concordat legi Theodosii Imperatoris jubentis, ut refert Baronius ad annum 435. *ubi diversæ sententiæ proferuntur, potius numerus vincat auctorum.* Idem habetur in 2. q. 7. 1. *Puto. Illud potius tenendum est quod a*

 plu-

pluribus approbatur & corroboratur. Hinc S. Isidorus in epist. ad lectorem suum præfert Canones qui dicuntur Apostolorum, cæteris conciliis, quia licet a quibusdam dicantur apocryphi, tamen plures eos receperunt, ut habetur dist. 16. c. Isid.

Verum id generaliter dictum, & absolute nemo existimet, unde additur, ceteris paribus. Non enim ad numerum semper est attendendum, nisi auctores utriusque opinionis essent ejusdem auctoritatis. Alioquin celebrioribus clarioribusque doctoribus, licet in minori numero, esset consulendum, utpote cum illorum rationes censeantur, & ex supposito sint validiores rationibus in contrarium: unde Pius II. in epist. 401. ad Ludovicum Regem Francorum dicit: *Scripturæ quæ ait ubi multa consilia ibi salus, complurium multitudinem non requirit, sed maturitatem & digestionem, quæ res in paucis, quam in multis facilius sæpe reperitur: neque enim honestas aut justitia multitudine facile suadetur, quæ variis affectibus agitata ad pejora frequentius inclinat: neque bene se res habet ubi suffragia numerantur, non ponderantur: sæpe enim fit ut major pars meliorem vincat.* Et Cod. de veter. jur. enucl. l. 1. & l. tanta §. Si quid autem, dicit text. quod sæpe unius & forte deterioris sive minoris sententia potest multos & majores in aliqua parte superare: & tunc non est considerande multitudo sequentium unam opinionem. Igitur cæteris paribus, & non aliter, opinio communis tenenda est, quia pro ea præsumitur veritas.

Quod autem graviorum debeat auctoritas prævalere Doctorum si numerus sit pro utraque opinione æqualis, nihil in eo est difficultatis, cum illud ratio dictet. Et habetur ex lege Theodosii jam laudata, in qua verbis supra relatis additur, *vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat.* Graviores censentur qui frequentius in scholis laudantur, & qui ex professo disputantes veritatem diligentius inquirere judicantur. Idem dicit Navarrus censeri communiorem opinionem approbatam a sex, vel septem auctoribus rem ex professo tractantibus & Scholastice, quam a quinquaginta qui sola fere aliorum auctoritate ducerentur. Sed de his satis. Ex iis quæ in præcedenti assertione dicta sunt Doctorum gravitas judicetur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Conscientiam internam esse morum regulam, juxta quam, præsertim si recta sit, operari teneamur, ita ut ab ipsius dictamine absque peccato nusquam liceat recedere, cum in ipso sectionis ingressu sufficienter fuerit probatum, nullaque circa ea quæ dicta sunt occurrere possit dubitandi ratio, quid aliud nobis superest, nisi quod illam in omnibus agendis studiose consulamus. Est enim lucerna pedibus nostris verbum ipsius, & lumen semitis nostris: hæc fugienda monet, dictatque facienda. Ipsa ducente non deviamus. Ab illa informantur indocti, arguuntur errantes, aversi revocantur, vacillantes confirmantur, comprimuntur elati, torpentes excitantur, & si quid est in nobis honoris & virtutis, hæc omnia, superno favente numine, sibi obtemperantibus conscientia operatur. Hanc ergo, bonam intelligo conscientiam, qua nihil in hac vita securius, nihil jucundius possidetur, præ oculis semper habeamus, ejusque nutibus perpetuo obsequamur. Si vero, quod Deus avertat,

tæ, nostri immemores, a veri, rectique tramite deflectentes, lumen ipsius obtenebrare, ejusque clamoris vocem extinguere cæco impetu tentaremur, hanc nobis adversariam illico experiremur. Felices nimium, si summir continuæ curiati, novisque semper anxietatibus agitati, probantes quam merito de conscientia Victor Carnotensis dixerit, quod licet *non habeat loquendi usum, nescit tamen tenere silentium*, ad nos tandem reverteremur ab ipsius salutari dictamine in futurum nullomodo recessuri.

Lib. de pace

Verum ne falsam nobis fingamus conscientiam diligenter studeamur. Sicut enim in agendis aut diligendis ea nihil periculosius, ita nihil ea factu facilius. Nonne ad illam in nobis procreandam omnia quasi concurrere videmus? Quot novitates, quot laxitates, quot sententiæ inauditæ, quot opiniones majoribus ignotæ, magno ecclesiæ scandalo, communique fidelium dispendio in dies scaturiunt? Quot portentosa & facinorosa morum systemata quotidie prodeunt? Tanta est, ut uno verbo concludam, adeoque effrænis rum in cogitando, tum in dicendo licentia, ut facile credi possit, nos devenisse ad illa tempora de quibus scribebat Paulus Apostolus: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Cum ergo tot errori aditus pateant, simulque periculis ex omni parte quasi circumvolari, vigilis continuo excubare debemus, ut Augustinus verbis utar, *ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum, ne quod malum est, bonum esse credatur.* Spiritus ferventes, orationi instantes, a domino expostulemus, *ne fluctuantes*, ut ait D. Paulus, *circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, sed in fide & charitate radicati & fundati, in Christo per omnia crescentes*, quod certius, quod securius, quod probabilius, quod verius perpetuo sectemur.

2. Tim cap. 4.

Lib. 19. de civ. cap 18.

Ephes cap. 4.

SECTIO TERTIA.

De Voluntate Morali.

CUm de morali intellectu prout est principium actuum humanorum indirecte electivum, quatenus voluntati bonitatem objecti proponendo eam ut illud prosequatur indirecte movet, in præcedenti Sectione tractaverimus, de illorum principio directe electivo, nimirum de voluntate morali, in præsenti disputandum occurrit, per voluntatem, alteram animæ rationalis facultatem, prævio intellectus lumine, in bonum aut malum ferimur. Ab illa enim ut causa particulari, & immediata, imperantur actus nostri, & producuntur, intellectu, ad volitionem concurrente, in quantum amabilia detegit voluntati, quæ ab incognito, ut omnibus est notum, nequit moveri. Unde D. Bonaventura: *non movetur appetitus nisi præambulo cogitatu; nequaquam enim possumus amare nisi cognoscemus.*

In 2. dist. 25. part. 1. qu. 6.

Ea dumtaxat quæ ad Theologos spectant, circa voluntatem moralem in præsentibus attingemus, cætera Philosophis discutienda relinquentes. De voluntario pro ut ordinem habet ad actus humanos dicemus, involuntarium ex opposito ortens, tum ab ignorantia, tum a concupiscentia, tum a metu, tum a coactione, examinaturi, sic, in quantum fieri potest,

 bre-

brevitati consulentes, ut nihil quod sit necessarium aut utile omittendo, a quacumque superfluitate abstineamus.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quid, & quotuplex sit Voluntarium?

TAntum est liberum inter, & voluntarium affinitatis, ut sæpe sæpius a nonnullis, licet immerito, confundantur: etenim, ut ex infra dicendis melius innotescet, omne voluntarium non est liberum, licet omne liberum sit voluntarium; & satis non est, ut pro uno, & eodem vere possint usurpari, quod utrumque sit a principio intrinseco. Quæ sunt libertatis sectione sequenti indagatur, de voluntario in se spectato ejusque oppositis nunc dicemus.

ASSERTIO.

Voluntarium definitur aut describitur, illud quod est a voluntate tamquam a principio intrinseco cum cognitione finis, & est multiplex.

HAnc voluntarii descriptionem, Philosophis Theologisque consentiens Doctor Subtilis nobis subministrat, dum quodl. 18 vocat illud, *quod est a principio intrinseco singula cognoscente, in quibus actio consistit*. Ex eo quod dicatur a principio intrinseco, distinguitur a violento, quod a principio extrinseco vim inferente originem habet. Pariter per hoc secernitur a volito, quod est ipsum objectum terminans voluntatem: voluntarium autem procedere debet a voluntate vel elicitive, vel imperative. Dum vero additur cum cognitione finis, tunc declaratur voluntarium distingui a pure naturali, quod licet habeat principium internum, nulla tamen prævia dirigitur cognitione. Et ex hoc etiam discrepat ab actibus intellectus, qui etsi oriantur a principio intrinseco, & finem cognoscant, non tamen essentialiter præsupponunt cognitionem finis moraliter allicientis, quod ad solam voluntatem moralem formaliter pertinet, quæ actum elicit aut imperat ex cognitione practica finis, quatenus finis est.

Hinc sequitur 1. amentes sicut, & pueros proprie voluntarii in genere moris esse incapaces, cum eorum quæ agunt bonitatem, & malitiam nequeant cognoscere, & multo minus cogitare de circumstantiis omnibus, quæ instituunt quamdam moralitem bonitatis aut malitiæ in aliqua specie, quarum cognitio in voluntario præsupponitur.

Hinc sequitur 2. rationem voluntarii brutis non convenire nisi improprie. Licet enim ea quæ ipsis sunt convenientia appetant, cum in fines suos solo naturæ impetu ferantur, neque ex finis bonitate præcognita in ea quæ ipsis sunt utilia naturaliter tendant, illa voluntarie appetere minime dici queunt. Unde cum solo ducuntur instinctu a creatore indito, & qualibet voluntarii conditione careant, moventur solummodo vitaliter ab interno principio a voluntarii ratione maxime alieno.

Hinc sequitur 3. Voluntatem cogi non posse circa productionem actuum elicitorum. Nihil enim magis opponitur voluntario quam violentum. Cum ergo quilibet actus a voluntate eliciti sint omnimode voluntarii, & semper juxta inclinationem voluntatis sese ferentis in objectum ex cognitione singulorum in quibus actio consistit, in iis nulla potest esse violentia, & coactio: siquidem, ut ait Anselmus, nemo invitus potest velle, quia non po-

potest velle nolens velle. Ad quod attendens Scotus dicit, quod *contradictio est voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi, quia violentum est, cujus principium est extra .... Sed velle non potest sic inesse voluntati, quia tunc nolens vellet, & volens nollet*, quod est contradictorium. Quod confirmat Doctor ex Sanctis Patribus ab ipso laudatis. Sic Augustinus lib. 1. retractat. cap. 9. *Nihil est tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas*. Quod intelligitur de actibus ab ipsa elicitis. *Quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus, adest atque voluntas volentibus, nec aliud quidpiam est in potestate, nisi quod volentibus adest*. Præterea si voluntas cogi posset circa actus elicitos, voluntas hoc supposito agere posset contra suam naturam, quæ ex se essentialiter postulat libere agere volitiones suas producendo: quod cum sit absurdum dicere, concludendum ut supra.

Hinc sequitur 4. Involuntarium esse illud, quod voluntati venit a principio extrinseco, sublata aliquomodo aut impedita cognitione. Quare Scotus quodl. 18. dicit quod sicut voluntarium debet esse causaliter a voluntate eliciente, vel imperante, sic quod est in voluntate, & venit ab extrinseco, est sine dubio involuntarium .... Involuntarium dicitur, quod non est in potestate voluntatis illud patientis, sicut voluntarium proprie dicitur, quod est in potestate voluntatis. Quæ Doctoris verba coincidunt cum iis quæ alias dixerat, involuntarium simpliciter vocant illud, contra quod remurmurat simpliciter voluntas, & ex opposito voluntarium, contra quod voluntas non omnino remurmurat. Duo ad voluntarietatem requiruntur, principium intrinsecum in agente, & perfecta cognitio in eodem, in sensu superius exposito. Ipsa, uno aut altero deficiente, cessat, cum ad involuntarietatem sufficiat defectus unius, nempe quod sit ab extrinseco, aut quod desit cognitio, quæ variis modis, ut dicemus, abesse potest.

Voluntarium aliud est directum, aliud indirectum. Directum quod vocatur etiam formale, & explicitum, est illud quod primo, & directe intenditur a voluntate, & ab illa expresse, & per se procedit, ut si quis hic, & nunc vel alio determinato tempore velit eleemosynam largiri, illa eleemosynæ largitio est directe, formaliter, & explicite voluntaria. Indirectum est illud, quod licet vere procedat a voluntate, non tamen primario ab illa intenditur, & ab illa videtur veluti secundario, & consequenter provenire: ut cum aliquis volens se exponit occasioni proximæ peccati, tunc occasio ab illo primario ac directe intenditur, peccatum vero indirecte, & consequenter, ex connexione quam habet peccatum cum illa occasione proxima. Illud voluntarium indirectum vocatur etiam interpretativum, & implicitum. Sunt aliqui qui illud vocant voluntarium negativum, sicut voluntarium directum vocant positivum. Sed hæc non sunt nisi verba.

Aliud dicitur voluntarium in se quod ratione sui a voluntate intenditur, ut est ebrietas in eo qui volens bibit immoderate. Aliud voluntarium in sua causa, quod a nonnullis virtuale nominatur, ut sunt perjuria, blasphemiæ, rixæ, aliaque hujusmodi, in homine qui sciens se talia in ebrietate committere, bibit immoderate, & volens inebriatur. Hæc omnia quæ in illo ab ebrietate procedunt ut effectus a sua causa, habent rationem voluntarii, juxta illud vulgo receptum, qui vult causam, effectum

ctum quoque velle dicendus est. Duplex illud voluntarium ad directum, & indirectum facile reducitur.

Voluntarium adhuc dividitur in necessarium, & contingens seu liberum. Prius stare nequit cum repugnantia, coactione, ac violentia, bene vero cum necessitate: est enim adeo necessarium, ut tale non esse nullo modo possit, non magis quam sine delectatione, & complacentia. Sic amor quo Deus se amat, & productio Spiritus Sancti, aut spiratio activa, ut dicitur in tractatu de Trinitate, nec non amor Beatificus, sunt actus voluntatis Divinæ ac Beatorum, qui voluntarii sunt simul, & necessarii. Et illi actus licet necessarii, & a voluntate tum Dei tum Beatorum non possint non elici, cum illos complacentia comitetur ac delectatio, vocantur, juxta doctrinam Doctoris Subtilis, voluntarii & liberi libertate essentiali. Hæc libertas quæ est patriæ, cum ad homines viatores, de quorum actibus in præsenti solum agimus, non spectet, fusius hic non explicabitur, ne in messem alienam falcem mittere videamur. Voluntarium contingens, quod etiam dicitur liberum libertate contingentiæ seu indifferentiæ, quodque quamcumque necessitatem excludit, procedit a voluntate, pro ut libera est, ac indifferens ad aliquid agendum vel non agendum, aut ad agendum contrarium, ita ut positis omnibus ad agendum prærequisitis, agens possit non agere, & in actum oppositum prorumpere. Unde illud vere liberum censetur, quod, ut ait Doctor, est in plena potestate voluntatis. Vocatur pariter liberum morale, & omnes hominis viatoris actus ut morales sint, boni, ac meritorii, hanc indifferentiæ libertatem exigunt, ut sequenti sectione dicetur. Ad involuntarium quod attinet, duplici modo accipi potest: vel simpliciter, & absolute, vel secundum quid. Illud dicitur involuntarium simpliciter, totale, & absolutum quod operatur agens, voluntate ad actum nullomodo concurrente, vel potius quantum in ipsa est omnimode contradicente ac repugnante. Illud autem dicitur involuntarium secundum quid, vel juxta aliquem modum, ad quod non plene ac totaliter, sed sufficienter concurrit voluntas, agente in talibus posito circumstantiis, ut quod agitur, iis remotis, non ageretur, ut verbi gratia qui incidit in latrones pecuniam expostulantes tradit ut ab imminenti periculo liberetur, quam certe non traderet, si alia via se periculum vitaturum existimaret. Hac præmissa voluntarii, & involuntarii expositione, facilius tractanda solventur.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Utrum ignorantia tollat voluntarium, & operantem excuset a peccato.

De ignorantia pro ut dicit ordinem ad actus nostros, quæve operantem excusare possit vel accusare, ex eo quod ab ea tollatur, minuatur, aut augeatur voluntarium, locuturi, id unum habemus observandum, omissa multiplici ignorantiæ divisione, circa quam superflue satis non pauci occupantur, ignorantiam de qua movetur quæstio, nihil aliud esse quam privationem cognitionis debitæ, in quantum qui ea laborat, illa nescit quæ deberet & posset scire. Hæc autem est ignorantia juris aut facti. Juris ignorantia laborat homo legem ignorans, vel nesciens aliquid esse a lege præceptum aut prohibitum, ut si quis nesciret extare præceptum de audienda missa die-

diebus festivis, vel alio præcepto prohibitum esse vesci carnibus die veneris. Ille vero ignorantia facti laborare censetur, qui nescit illum actum quem elicit esse legi contrarium, ut si quis sciens legem de non manducanda carne die veneris, die illa carne vesceretur nesciens esse diem veneris, ideoque ignorans esum illum carnium eo momento legi Ecclesiasticæ repugnare quam alias observaret.

Hæc tum juris, tum facti ignorantia alia est invincibilis, alia vero vincibilis. Prima est illa quæ adhibita omni morali diligentia quæ potest aut debet adhiberi, superari nequit, quapropter invincibilis dicitur, ideoque inculpabilis, & operantem excusat a peccato. Secunda est illa quæ sufficienti ac debita diligentia adhibita potest superari, quæ si non superatur, est culpabilis, quia est vincibilis. Illa autem vincibilis ignorantia, alia est affectata quam Divus Thomas vocat ignorantiam electionis, qua homo formaliter & positive legem vult ignorare ut liberius peccet suoque satis faciat appetitui. De hac ignorantia dicitur Psal. 35 *noluit intelligere ut bene ageret*. De tali laborantibus ignorantia habetur Job cap. 21 *Qui dicunt Deo recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Alia est crassa & supina quæ oritur ex negligentia inquirendi quæ sunt scienda. Hæc quidem non affectatur, nec est formaliter volita, aut placens, sed interpretative, quia scilicet negligitur cognitio quæ acquireretur si diligens ac debitum studium adhiberet homo ad illam comparandam.

Ignorantia de qua procedit quæstio præsens, tripliciter se habet ad actus voluntatis, ut optime observat Divus Thomas, scilicet concomitanter, consequenter, aut antecedenter. Tunc se habet concomitanter ad actionem ignorantia, quando homo est ita dispositus, ut sive sciat, sive nesciat eumdem actum eliciat voluntas, sicque ignorantia non movetur ad agendum. Puta si quis in animo habens occidere hostem, facta tamen diligentia existimat se cervum occidere, etsi hostem in sylva laticantem interficiat tunc ignorantia non causat involuntarium, cum ex illa nihil fiat quod voluntati adversetur, nec voluntarium, sed non voluntarium facit quia non potest esse actu volitum quod facta diligentia ignoratum est. Se habet consequenter ignorantia, vel quando actus voluntatis fertur in ignorantiam, sicut cum aliquis vult ignorare ut excusationem peccati habeat, aut ut a peccando non retrahatur, vel quando quis potest & debet scire, sic enim non agere & non velle, voluntarium dicitur. Hoc igitur modo ignorantia dicitur, sive cum aliquis actu non considerat quod potest & debet considerare, sive cum aliquis notitiam, quam deberet habere, non curat acquirere. Et secundum illum modum ignorantia dicitur voluntaria, quasi per negligentiam proveniens, & tunc ignorantia, cum sic aliquo modo voluntaria, non causat simpliciter, involuntarium, sed secundum quid, in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, quod non esset scientia præsente, ut ait doctor Angelicus. Antecedenter autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando nullomodo est voluntaria, & tamen est causa volendi quod alias non vellet, ut cum homo ignorat quamdam actus circumstantiam, quam scire non tenebatur, & ex hoc aliquid facit quod non faceret, si sciret, ut cum aliquis adhibita diligentia, nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam qua transeuntem occidit; & talis ignorantia causat involunta-

earum simpliciter. Unde juxta D. Thomam sufficit, ut ignorantia sit consequens, proindeque causa peccati, & voluntaria, quod sit eorum quæ homo debet & potest scire; ut vero sit antecedens & inculpabilis, penitusque involuntaria, opus est ut sit alicujus circumstantiæ, quam ille qui operatur nec potest scire, nec tenetur. Hunc triplicem modum quo se habet ignorantia ad voluntatem reducunt nonnulli, & non absque fundamento, ad invincibilem & vincibilem ignorantiam. Antecedens enim, inquiunt, vere rationem habet ignorantiæ invincibilis, cum nullo modo sit voluntaria, imo antecedere videatur voluntatem. Consequens vero idem & unum est cum vincibili, utpote quæ oriatur a voluntate quæ scire non curat, aut recusat scienda cognoscere. Quantum ad concomitantem non videtur quid moralitatis habere valeat, cum in actum nullatenus influat, proindeque nec voluntaria nec involuntaria dici queat. Verum si diligentius rem animo perpenderent, aliquid interesse discriminis non difficile agnoscerent, ut ex postea dicendis ostendetur.

His circa ignorantiam relative ad voluntatem necessario præmissis, ad quæstionem devenimus ingredientes, an ignorantia invincibilis aut antecedens a peccato excuset, eo sensu quod ab illa tollatur voluntarium. Nec inter leviora momenti quæstiones hæc potest annumerari. Rem enim habemus cum Luthero docente ignorantiam invincibilem voluntarium minime tollere, ideoque excusabiles non ab illa reddi qui ea laborant. *Scholastici dicunt*, inquiebat insulse ille hæresiarcha, *invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas est in Papæ scholis & Ecclesiis.* Cui consonum est quod scribit Hieronymus Zanchius hæreticus his verbis: *falluntur scholastici, cum talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo a peccato excusant, quia invincibilis est.* Jansenium pariter habemus adversum, dum a peccato excusans actus procedentes ab invincibili juris positivi ignorantia, contendit ignorantiam juris naturalis invincibilem, quam posse dari concedit, esse inexcusabilem, proindeque peccatum, ex eo quod sit peccati primi hominis effectus, ideoque in posteris voluntaria voluntate capitis. Sequentem propositionem ex ipsius principiis deductam damnavit Alexander VIII. cum pluribus aliis quas eodem decreto proscripsit. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.* Ex cujus propositionis damnatione sequitur, hanc ignorantiam causare involuntarium, aliter enim a peccato non excusaret.

ASSERTIO PRIMA.

Quælibet invincibilis ignorantia, etiam juris naturæ, si detur, tollit voluntarium absolute aut simpliciter, sicque operantem a peccato excusat.

Illud indirecte aliquo modo docere videtur Apostolus, dum de gentilibus, quos in reprobum sensum a Deo datos dicit, loquens, epist. ad Rom. cap. 1. affirmat illos *esse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Quibus quasi insinuat ipsos a peccato fuisse immunes si Deum ignorassent, quod nisi de invincibili ignorantia potest intelligi. In eodem sensu sunt accipienda verba Apostoli Jacobi dicentis cap. 4.

Sim-

Sciens bonum facere & non facienti peccatum est illi. Invincibilem ignorantiam excusare eo quod causet involuntarium, indicat aperte satis quod habetur Genes. cap. 20. cum Abraham peregrinatus est in Geraris. Existimans Abimelech Rex Gerarae, Saram ipsius sororem, tulit eam. Ex hoc mortem minatur a Deo respondit, *Domine, num Gentem ignorantem & justam interficies? nonne ipse dixit mihi, soror mea est? & ipsa ait, frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc*. Ipsi Deus pepercit ex eo quod simplici corde fecisset, nempe ex invincibili ignorantia, illud enim eo loci significat simplex cor. Siquidem quomodo scire potuisset Rex Gerarae Saram esse uxorem Abrahae, id utroque celante? invincibilis certe erat ignorantia Abimelech, unde ex hoc capite justum se praedicabat Deo dicens, *Nam Gentem ignorantem & justam interficies?* Satis ergo mirari non possum, quod exemplum illud adversus praesentem assertionem a quampluribus objiciatur, cum tantum absit ut illam impugnet, quin potius ab omnibus in probationem adducendum, neminem serio attendentem latere possit.

Involuntariam, ideoque inculpabilem esse ignorantiam quae superari nequit, ut probet, totus est Augustinus. Unde lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. sic loquitur. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis, ista tua propria peccata sunt*. Hinc est quod vocandum peccatum affirmat, illud quod libera voluntate & a sciente committitur. Sic locutus fuerat cap. 17. & 18. *Aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Nec est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti. Non ergo est cui recte imputetur nisi volenti, ... quaecumque ipsa causa est voluntatis, si ei resisti potest, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est ut omnino caveri non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* Eoque tendit Augustini doctrina dum dicit nullum esse peccatum quod non sit voluntarium, unde cum hanc voluntarii rationem habere nequeat illud quod ab ignorantia insuperabili causatur, inculpabile sit oportet, non minus quam recte factum, quod laudem non meretur, nulliusque est meriti, si a voluntate non procedit. *Nunc vero*, ait S. Doctor lib. de vera Relig. cap. 14. *usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, & hoc quidem manifestum est, adeo ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi*. Et lib. de duab. anim. cap. 11. haec habet. *Nec peccatum, nec recte factum imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate*. Constantem in hac sententia fuisse hunc Sanctum Ecclesiae Patrem, millies ostendi posset, si textus omnes hac doctrina refertos, ex ejus operibus liceret depromere. Inculpabilis ergo, & a peccato liber judicandus est qui operatur ex ignorantia invincibili, etiam juris naturae, ex [illegible] quod dari possit, quod inferius examinabimus, non enim potior est ratio pro jure positivo quam pro naturali, cum non procedat quaestio de iis, circa quae da-

Exercit. Theol. I 21

ri potest invincibilis ignorantia, sed de ipsa ignorantia, cujus effectus necessarius est tollere voluntarium. Nec ullus reperietur inter Ecclesiæ Patres ac doctores, qui ab hac doctrina sit alienus.

Ab illa minime recedit Doctor Subtilis, cum hæc necessario sequatur ex definitione voluntarii quam ex ipso retulimus, juxta quam, quidquid non erit a principio intrinseco cognoscente singula in quibus actio consistit, vere involuntarium erit dicendum. Cum ergo in actu causato ab invincibili ignorantia nihil sit, ut ipsius Doctoris utar verbis, causaliter a voluntate eliciente, vel imperante, nihil in eo pariter erit quod rationem voluntarietatis habeat, sicque inculpabilis erit hujusce modi actus. Nobis consentit Angelicus Doctor, licet aliunde teneat invincibilem ignorantiam versari non posse circa jus naturale, postquam enim sermonem habuit de voluntaria ignorantia peccatum reddente voluntarium, quod est, inquit, de ratione, peccati, sic concludit 1. 2. quæst. 76 art. 3 in corp. *Si sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.* Quæ Sancti Doctoris verba cum sint generalia, tam de jure naturæ, supposito quod sic possit ignorari, quam de quovis alio debent intelligi, æque ac ea, quæ ex Augustino retulimus.

Manet confirmata nostra sententia ex damnatione propositionis Jansenianæ supra relata non minus quam ex canone *non omnis*, dist. 37 sic dicente: „ Non omnis qui ignorat, immunis est a pœna (id est ut ait glossa a peccato) ille enim potest excusari a pœna qui quod disceret non invenit. Tolem esse qui invincibili laborat ignorantia quis posset diffiteri? immunem ergo a peccato illum non prædicare non poterit quisquis erit præjudicii liber „.

Ut autem præsentis assertionis veritas magis ac magis elucescat, iis quæ jam diximus non parum roboris addent rationes Theologicæ quas affert S Bonaventura in 2. dist. 22 quæst 3. 1 Certum est quidquid tollit rationem voluntarii, tollere rationem culpæ, magis vel minus, secundum quod magis vel minus tollit de voluntario, dicente Augustino, peccatum non esse, nisi quatenus voluntarium seu liberum. Si ergo invincibilis ignorantia tollit totaliter rationem voluntarii, cujus principium est in ipso agente cognoscente singula, in quibus est ipse actus, quod ideo includit cognitionem, aut præsupponit, cum tollat hujusmodi cognitionem, quæ si adesset, actus non eliceretur, tollat consequenter oportet totalem rationem culpæ. Et fundatur hæc ratio in isto principio, quod sicut nihil volitum quin præcognitum, ita e opposito, quo major est cognitio ejus objecti, quod est ratio volendi aut nolendi, eo major erit volitio aut nolitio illius, quia auctis causis naturalibus augetur effectus. Cum igitur cognitio naturaliter concurrat cum voluntate partialiter, & active ad effectum volitionis seu nolitionis producendæ, ut generaliter admittitur, inde sequitur eo majorem esse volitionem, aut magis esse voluntarium, quo major erit cognitio, nisi aliunde ab extrinseco impedimenta occurrerent, proindeque nulla cognitio, nulla volitio, ubi talis est ignorantia.

2. Negari non potest quamlibet ignorantiam, ut talem (si affectata dematur) semper in omni casu excusare a culpa, seu gradu culpæ, quæ proveniret ex cognitione si adesset, ex eo quod ab illa ignoran-

rantia ratio contemptus minuatur, qui contemptus in legem violante major vel minor est censendus, quo majorem vel minorem habet legis cognitionem, quæ est circumstantia pertinens ad gravitatem peccati. Tunc enim voluntas contemnit conformari suæ regulæ actualiter dictanti, nempe legi cognitæ cui obedire recusat, in quo gravius peccat, utpote quæ agat contra conscientiam, seu contra scientiam a peccato retrahentem. Si ergo tanta sit ignorantia quæ totaliter tollat contemptum, quem sequitur transgressio legis cognitæ, ex eo quod nullatenus cognoscatur lex quæ violatur, ut supponitur in ignorante invincibiliter, quis negare poterit illam totaliter rationem culpæ tollere? Atqui invincibilis ignorantia, totaliter tollit contemptum qui reperitur in legis transgressione, cum totaliter legis cognitionem tollat, & cognitionem totaliter tollendo, tollat totaliter voluntarium quod sine prædicta cognitione subsistere nequit, ergo evidens est invincibilem ignorantiam tollere totaliter rationem culpæ, proindeque probatum remanet ex ignorantia invincibili operantem, quæcumque illa sit, a peccato excusari.

SOLUTIO.

Objectionum.

1. OBjectio. Pluribus exemplis Scripturæ Sacræ ostenditur legem transgredientem non excusari a peccato ob invincibilem ignorantiam. Cur enim in lege Mosaica fuissent ordinata sacrificia pro delinquentibus per errorem, oblivionem & ignorantiam, ut constat ex Levitico cap. 5.? Quare ex ignorantia non est excusatus Saul dum pepercit Regi Amalecitarum, & quædam servavit ad immolandum Domino in subversione regionis illius, ut habetur 1. Reg. cap. 15.? Cur morte punitur Jonathas transgrediens patris præceptum quod ignorabat, de quo est sermo 1. Reg. cap. 14.? Quare Deum deprecatur David ne recordetur eorum quæ ignorans fecit? Et tandem quare asserit Christus Dominus, quod servus qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna, plagis vapulabit? Quo pacto facit plagis digna, & justa pœna plectitur, qui juxta Domini sui præceptum quod ignoravit non operatur? Nonne hæc omnia indicant ignorantiam nunquam excusare, ideoque illam non tollere voluntarium?

Respondeo. Hæc omnia in vanum allegata, ex eo quod nihil faciant ad propositum, non resolvero tum litteret, ne tacentes, Sacram Scripturam nobis contrariam esse, conteri dicamur, per singula breviter discurramus. Ac 1. quidem ignorantiæ pro quibus in Levitico decernuntur sacrificia expiationis, erant circa ea quæ lex populo Israelitico præcipiebat, & facile vinci poterant. Alioquin si fuisset insuperabilis ignorantia, quomodo homo qui ex ea peccasset, suum peccatum potuisset intelligere, ut eodem loco habetur? Nonne ignorantiam superatam supponit cognitio culpæ, quæ ex ea occasionem habuerat? Unde gratis locus ille nobis objicitur.

2. Ad Saulem & Jonathan quod attinet, quid ex iis concluditur? Per inobedientiam, & contra expressam Dei voluntatem ipsi manifestatam peccavit Rex Israel, non delens usque ad imum gentem Amalecitarum, ut locutus ei fuerat Dominus, sed parcens Agag Regi, & optimis armentorum & ovium gregibus, & universis quæ pulchra erant, nec voluit disperdere ea quasi Domino immolanda servans

 illa.

illa; quapropter verba hæc indignationis plena audire meruit dicente ipsi Samuele, *pro eo quod abjecisti sermonem Domini abjecit te Dominus ne sis Rex*. Jonathas vero fecit contra juramentum ipsi ignotum, quo pater ipsius adjuraverat universum populum, quid inde? Immerito a Saule morte damnatum illum judicant Scripturarum interpretes, existimantes peccasse Saulem adeo leviter jurejurando se obstringentem cui nonnisi peccatum peccato addens stare non poterat. Verum quid ex tali facto contra assertionem?

3 Ignorantiæ, ratione quarum divinam indulgentiam implorat Regius Propheta, ut de iis vindictam non sumat, non sunt illius generis de quo procedit quæstio præsens. Earum, quæ ex invincibili ignorantia peccasset David, veniam a Deo expostulare sine ullo fundamento fingitur, qui ex iis in Deum deliquisse nec ullam suspicionem habuit. Ut enim superius dictum est, qui veniam delicti petit, delicti cognitionem habere supponitur, peccatum certissime non ignorat saltem coraliter, qui sic reum confitetur. Quomodo autem cum invincibili ignorantia de qua agitur, stare valet delicti cognitio quam ejusdem confessio præsupponit? Hæc duo simul conciliare nitantur qui talia objiciunt, priusquam aliam exigere queant responsionem. Hoc unum interea non ignorent, Psaltem Regium ignorantiarum nomine pro quibus Deum deprecatur dicens, *delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris* (Psal 24.), has intelligere culpas quæ ex levitate, ex errore, ex præcipitatione, & ex infirmitate humana originem habent, necnon illa peccata quotidiana in quæ sæpe cadit justus absque advertentia, & quæ licet sint levia, utpote cum charitatem non extinguant, indigent Dei misericordia, qui etiam levissima peccata absque aliqua pœna temporali non sinit esse, & pro quibus eo magis clementiam divinam cum timore & amore exorat justus, quo abundantior est ejus justitia. Quod si acrius contendatur de vera ignorantia loqui David, de facti ignorantia, aut quavis alia vincibili id intelligendum esse respondebimus, eoque fidentius quo magis assequimur mentem D. Augustini, ex eo confutantis Celestium Pelegianum, qui dixerat simpliciter, oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato. De his consulatur Sanctus Doctor lib. de gestis Pelagii, cap. 18. lib. 3. de lib. arbitr. cap. 18. lib. 1. retract. cap. 9.

4 Non magis est ad propositum quod affertur ex verbis Christi apud Lucam cap. 12. cum ibi loquitur de servo qui cum domini sui adventum esset expectaturus, minime vigilavit, nec juxta domini voluntatem ipsi cognitam fecit, loquens unum & alium ejusdem domini servum quasi judicans ex comparatione Christus, sic concludit: „ Servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis“. Ex quibus Salvatoris verbis ad summum in præsenti materia erui posset, ignorantiam etiam vincibilem, modo non sit affectata, si non excusat a culpa, excusare a gradu culpæ, ut in secunda ratione in probationem adducta cum Divo Bonaventura observavimus. Laudatum Lucæ textum referens Augustinus lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 3. exponit de iis qui scire nolunt, juxta illud Psalmistæ, noluit intelligere ut bene ageret. *Ecce*, inquit, *ubi ostendit* gra-

gravius peccare hominem scientem, quam nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem: aliud est enim nescisse, aliud nescire voluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, sed fortasse ut mitius ardeat. Ex quibus Augustini verbis non est concludendum invincibilem ignorantiam esse peccatum, ut quidam falso sentiunt, sed ignorantiam illam, de qua loquitur, semper esse vincibilem, utpote quæ sit de iis quæ ignorantes scire tenentur, & proinde possunt, ut est fides in Christum, circa quam nullus a sufficienti evangelii promulgatione excusabitur ob ignorantiam, quæ ex hoc capite potest in omnibus vinci.

2. *Objectio.* Sententia quæ tenet invincibilem ignorantiam excusare a peccato quia causat involuntarium, videtur olim fuisse proscripta in Pelagianis. Siquidem septimo capitulo docente Celestio, oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem, illud Pelagianorum dogma velut hæreticum habitum est, tum a Synodo Diospolitana, tum a Divo Augustino, tum a Sancto Hieronymo quos sequuntur omnes catholici scriptores. Cum dixisset in Diospolitana Synodo cui præsens erat Pelagius, ignorantiam quæ evenit secundum necessitatem, non voluntatem, non subjacere peccato, ita sunt commoti Patres Concilii, ut statim exclamaverint hoc a Synodo Sancta damnari & ab Ecclesia Catholica. Hoc factum lib. de gestis Pelag. cap. 19. refert S. Augustinus, historiam texens Synodi Diospolitanæ, ex ea confirmare volens præfatum Pelagianorum dogma adversus quod eo loci acriter insurgit. Divus Hyeronimus lib. 1 dialog. adversus Pelag. quærenti & nutanti Pelagiano, cur homo pœnas luat peccati ignoti, & rei ejus quam nescit, respondet, ipsum altiora se non debere quærere, nec fortiora scrutari. Si existimasset Hyeronimus hominem ex ignorantia operantem a peccato excusari, non confugisset ad quæstionis altitudinem, sed negasset simpliciter hominem pœnas damnari rei quam ignorat, quod tamen non negavit. Ex damnatione igitur illius capituli, quod non nisi de invincibili ignorantia intelligebant Pelagiani, funditus evertitur assertio.

Resp. Ex capituli Pelagiani in Diospolitana Synodo damnatione, non magis quam ex iis quæ illius occasione in Pelagianorum confutatione scripsere Hieronymus & Augustinus, nihil quod sententiam nostram aliquo modo impugnet concludi potest, ex eo quod non fuerit proscriptum in sensu invincibilis ignorantiæ, qui, ut par est, intellectus, nihil nisi catholicæ veritati consentaneum sonat, sed in sensu Pelagianorum, propositione aliunde orthodoxa abutentium, cum de qualibet oblivione & ignorantia generaliter vellent intelligi, quod de ignorantia invincibili, quæ sola evenit secundum necessitatem, est intelligendum. Ratione igitur universalitatis quam significabat, dogma Pelagianorum contendentium nullam ignorantiam, cujuscumque esset speciei, peccato subjacere, quod anathematis est dignum, cum multiplex sit culpabilis ignorantia, ut hæreticum est habi-

habitum, meritoque ut tale proscriptum & confutatum, tum a Patribus Diospolitanis, tum ab utroque laudato Doctore, quod ex sequentibus mox fiet manifestum.

Ac 1. quidem ad Synodum Diospolitanam quod spectat, ab ea fuisse reprobatum Celestii capitulum Pelagiano vitio refertum, ut nullos habens limites, nullamque distinguens ignorantiam, aut facti, aut juris, sive naturalis, sive positivi, sive esset invincibilis ignorantiæ sive non, & præcise secundum ipsius universalitatem, ex eo patet, quod Patres Diospolitani propositionem illam, statim atque prolata est, nulla interposita mora, nulloque responsioni cuilibet aut expositioni dato tempore, damnaverint, ut refertur a D. Augustino lib. de gestis Pelagii: quod significat ipsos illam reprobasse in sensu obvio, qui, pro ut verba sonant, potissimum si ad Pelagianum systema attendatur, ad quamcumque generaliter ignorantiam se extendit, & ex eo catholicæ veritati tanto magis adversatur, quanto plures consequentiæ exinde necessario fluentes, contra fidem Ecclesiæ deducuntur, ut infra ostendetur. Præterea capitulum illud Patres Diospolitani damnare non potuerunt nec voluerunt, nisi in sensu a veritate alieno, & quem existimaverunt esse a Pelagianis intentum: nisi autem intelligatur de qualibet generaliter ignorantia, nihil in eo reperitur a veritate alienum: si enim de sola invincibili ignorantia agat, tantum abest ut aliquid habeat falsitatis, quin potius ad fidem tunc pertineat, & Patres Diospolitani credidere illud generaliter de qualibet ignorantia, minime vero de sola invincibili ad mentem catholicorum, esse a Celestio ejusque asseclis propugnatum, & illud proscribentes, Pelagianorum intentum vere sunt assecuti. Siquidem hæc fuit mens cum Pelagianorum, tum Patrum Diospolitanorum, quam in aliis cum Hieronymo improbat, & confutat Augustinus, & in aliis vindicat Hipponensis, nisi inepte diceretur, Augustinum minime fuisse assecutum, tum mentem Pelagianorum quos improbat, in eorum doctrinam merito insurgens, tum mentem Patrum Diospolitanorum quos vindicat illius Synodi texens historiam, quod nemo sensatus ne quidem cogitabit. Verum evidens est, ut cuilibet legenti, remque sincero animo scrutanti innotescet, talem fuisse mentem, tum Pelagianorum, tum Patrum Diospolitanorum, quam mox indicavimus. Ergo ratione universalitatis solummodo, dogma Pelagianum bene intellectum, & indefinite prolatum, a Synodo Diospolitana fuit damnatum.

2. Eodem sensu prælaudatum Celestii capitulum fuisse ab Augustino impugnatum deducitur ex locis Sacræ Scripturæ, quæ affert ad Celestium confutandum, ex quibus sequitur vincibilem ignorantiam ad peccatum imputari, ut sunt verba Psalmistæ Deum deprecantis: *delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantiæ meæ.* Atque sacrificia quæ ex præcepto legis pro ignorantia sicut pro peccato offerebantur, quod constat ex libro de gestis Pelagii cap. 18. quomodo autem ex præcitatis scripturis adversus illum fuisset argumentatus præsul Hipponensis, ex supposito quod suum dogma non intellexisset Celestius in sensu a nobis exposito, generaliter de qualibet ignorantia? Nonne ipsum Augustinum irrisisset Pelagianus arma propria in ipsum vertens? Insuper de ignorantia cum Celestio pugnans aliter loqui non potuit S. Doctor quam locutus est de ea rem habens cum Pelagianis cæteris, erat enim inter eos causa

com-

communis, eadem erat controversia, par erat pro utrisque ratio, idem ergo inter concertantes intentum. Sed Augustinus in aliis suis operibus adversus Pelagianos de peccato ignorantiæ agens, illis utitur Scripturæ testimoniis, quæ intelliguntur de ignorantia facti, vel de ignorantia juris positivi, ut sunt exemplum Regis Abimelech lib. 3. contra Julian. cap. 19. exemplum Davidis Deum exorantis pro ignorantiis, lib. 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 36. lib. 1. oper. imperf. contra Julian. cap. 105. Propositionem igitur Pelagianam, ob universalitatem reprobavit Hipponensis, & quia eam de vincibili etiam ignorantia, quæ juxta catholicos est vere culpabilis, volebant intelligi Celestius aliique Pelagiani. Idque colligitur ex libro de gestis Pelagii, in quo hujus hæresiarchæ fraudes in Synodo Diospolitana detegit Augustinus, nec ullibi dicitur, hanc Celestii propositionem veri speciem fore habituram, si de invincibili solum ignorantia quæstio in illa moveretur, quæ sic intellecta nihil nisi catholicæ veritati consonum præ se tulisset.

3. Non dissimili ratione ostenditur Sanctum Hieronymum Pelagianos impugnasse ex eo quod latum nimis esset illorum dogma, & adeo universale, ut quæcumque ignorantia tam vincibilis quam invincibilis ab eo contineretur. Hinc est quod textus Sacræ Scripturæ adducens in confirmationem censuræ a Patribus Diospolitanis latæ, illis duntaxat utitur, æque ac Augustinus, quæ ad facti ignorantiam aut juris positivi spectant, quibusque ignorantiæ peccata redarguuntur, ut cuilibet Hieronymum legenti fiet manifestum, quæ tamen nullius adversus Pelagianos ponderis fuissent, nisi dogma suum de ignorantia solum invincibili intelligentibus. Ex quibus omnibus evincitur, tum ab Hieronymo, tum ab Augustino, tum a Diospolitana Synodo, Celestii capitulum fuisse proscriptum ob perversam quam præ se ferebat doctrinam, vincibilem ignorantiam, cujuscumque sit naturæ aut speciei, non minus quam invincibilem a peccato excusare significans. Quod illæsa veritate nemini unquam propugnare aut credere licebit.

Verum in nostram responsionem insurgunt instantes adversarii, volentes Celestium suum capitulum de invincibili ignorantia solum intellexisse, & ob hanc causam præcise impugnatum fuisse, & proscriptum, illudque probare sibi blandiuntur ac tentant. Non enim docuere Pelagiani ignorantiam quæ ex negligentia veritatis inquirendæ nascitur, esse culpabilem, & ad peccatum imputari, id enim habet ipse Pelagius, epistola ad Demetriadem, & colligitur ex ipso Augustino, verba Pelagii referente, lib. de nat. & grat. cap. 17. ubi dicit Pelagius, hominem vigilare debere ne ignoret, sitque in eo culpabilis ignorantia. Unde sequitur ignorantiam, de qua Celestius in suo capitulo, esse invincibilem, cum eveniat secundum necessitatem, illa vero quæ est secundum voluntatem, est vincibilis, ideoque peccato subjacet, per oppositum ad primam, quæ est inculpabilis. Illudque confirmant Pelagianorum querimoniæ apud Hieronymum, quæ satis indicant ipsos voluisse, ignorantiam tunc non subjacere peccato quando vinci non potest. Rogo, inquit Critobulus, lib. 1. dialog. adversus Pelagianos, *Rogo quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei quam nescio pœnas luo?* Illud autem juxta Jansenium non potest intelligi nisi de invincibili ignorantia, ex eo quod sciant omnes,

nes, ignorantiam a voluntate orientem esse culpabilem intellectum ergo de invincibili ignorantia proscriptum fuit prædictum Celestii capitulum.

Resp. Capitulum istum de ignorantia invincibili Celestium cum Pelagianis intellexisse non diffiteor, illud verbum *invincibile* sumendo in sensu Pelagiano, & relativo ad illorum generale systema, non vero in sensu catholico, & prout naturaliter sonat. Pelagiani catholice loquentibus simul ac sentientibus, catholici cum ipsis rem habentes, libenter consensissent. De invincibili ignorantia quam subjacere peccato nolebant Pelagiani, inter illos quæstio movebatur. Quis non concedit? verum illud simpliciter admittere, quod aliunde bene intellectum est certissimum, tunc catholicis fraudem adversariorum cognoscentibus licitum non fuit. Quod ut perfecte intelligatur, præsensque difficultas plene solvatur, quæ fuerit Pelagianorum mens in memoriam est revocandum.

Gratiam ad omne opus bonum esse necessariam, & remansisse in homine ex peccato originali quod non admittebant, concupiscentiam ex qua oritur in agendo difficultas, negantes Pelagiani, de ignorantia vincibili aut invincibili catholice loqui non potuerunt. Semel enim negata gratiæ ad quodcumque opus bonum necessitate, ac homine cum solis naturæ viribus sibi relicto, atque quolibet supernaturali auxilio destituto, illa ignorantia solum vincibilis dicebatur, quam solis naturæ viribus, homo poterat superare existimantibus Pelagianis quod, admissa auxilii supernaturalis ad quodlibet bonum opus necessitate ab omni culpa eximamur si bonum non operemur: sicque juxta illorum principia, ea solum eximinanda erat ignorantia, quam solis naturæ viribus, secluso omni gratiæ auxilio, vincere poteramus. De illa autem aliter sentire nequibant, rejecta gratiæ actualis necessitate, ex hoc enim primo errore alter circa ignorantiam, quasi ex nativo fonte oriebatur. Et in hoc sensu Pelagianum accepisse ignorantiam ostendit Augustinus, lib. de nat. & grat. cap. 17. contra ipsum probans illam vinci posse cum gratiæ auxilio, ideoque petendam esse a Deo hujusmodi gratiam, quod haud ita probare teneretur Sanctus Doctor si in sensu Catholico ignorantiam invincibilem intellexisset Pelagius. Negantes etiam Pelagiani omnem in statu naturæ lapsæ concupiscentiam aut agendi difficultatem quamlibet ignorantiam quæ sine aliqua difficultate quodamque labore superari nequibat, invincibilem dicebant. Et illud inferunt ex lib. 2. dialog. Hieronymi adversus Pelagianos, in quo a Catholico petit Pelagianus aliquod Sacræ Scripturæ testimonium, ex quo deducatur, quod error, & ignorantia, & mandati impossibilitas generatur in eo-mine, cui statim Catholicus respondet adducendo convincens testimonium, desumptum ex epistola ad Rom. cap. 7. ubi Apostolus queritur, quod dum consentiebat legi Dei juxta interiorem hominem, videbat aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis, & eum captivantem sub lege peccati. Quo Scripturæ testimonio licet & aliis, ostendunt Pelagiani loco Scripturæ ipsis a Catholicis objecta, explicare de ignorantia invincibili, quia in ea quam dum cernebant agendi difficultatem. Quapropter juxta illorum principia, hæc dumtaxat ignorantia erat vincibilis, quæ facile, & absque ullo negotio poterat superari. Hoc duplici fieri errore Pelagiani, non sine fundamento defendebant oblivio-

vionem, & ignorantiam non subjacere peccato: in hac enim hypothesi verum erat dicere, quod non eveniunt secundum voluntatem, sed secundum necessitatem. Catholici autem gratiæ actualis ad omne opus bonum necessitatem agnoscentes, nec non concupiscentiam in statu præsenti naturæ, ex qua bonum operandi difficultas trahit originem, Celestii capitulum indefinite prolatum admittere non potuerunt, & ob hanc causam, ut jam sæpius dictum est, a Patribus Diospolitanæ Synodi fuit proscriptum. Cum ergo docent Pelagiani ignorantiam quæ vinci nequit non subjacere peccato, hæc invincibilitas nihil aliud dicit quam difficultatem, ad quam vincendam non sufficientibus naturæ viribus, requiritur supernaturalis gratiæ auxilium, quæve difficultas est effectus concupiscentiæ prementis, hominem a bono retrahentis, & ad malum inclinantis, cuique resistere non valemus quandiu sumus in hoc corpore mortis, nisi liberet nos, ut loquitur Apostolus ibidem, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, & sic intellecta ignorantia, juxta Pelagianos, invincibili, fallum omnino est illam a peccato excusare. Catholici vero illam ignorantiam dicunt culpabilem, quæ licet cum difficultate, potest tamen vinci gratia cælesti adjuvante, quæ homini petenti, ut oportet, cum sese offert præcepti adimplendi occasio, nusquam deest. Mirum igitur videri cuiquam non debet, quod tam acriter, adeoque perseveranter, ab omnibus Catholicis impugnata fuerit, & damnata præfata Pelagianorum propositio. Nec obstat quod dicant, eam non evenire secundum voluntatem, sed secundum necessitatem, cum necessitatis nomine ab ipsis solum intelligatur illa vincendi difficultas, quæ oritur a concupiscentia, quam existere, etiam in baptizatis, ut effectum peccati originalis, & pœnam, fides docet. Nihilque contrarium inferre licet ex epistola Pelagii ad Demetriadem: hæc enim ignorantia quam culpabilem videtur confiteri, illa est de qua jam diximus, per solas naturæ vires, & absque labore aut difficultate eam vinci posse, independenter a quolibet auxilio gratiæ. Illa vero quæ difficultatem importat, & de qua victoria obtineri non potest nisi per gratiam adjuvantem juxta ipsius systema superius expositum, inculpabilis ac invincibilis prædicatur. Ad illud autem semper est attendendum, cum aliquid solvendum occurrit a Pelagii doctrina minime alienum.

Ad Pelagianorum querimonias apud Hieronymum quod spectat, mirum non est quod ad illas compescendas ad judiciorum Dei profunditatem, non vero ad vincibilem ignorantiam recurrat Sanctus Doctor, cum diversimode a Catholicis, & a Pelagianis sumeretur ignorantia, tum vincibilis, tum invincibilis, ut jam ostendimus. Si respondisset Hieronymus, ignorantiam de qua agebatur, gratiæ cælestis auxilio superari posse, quæstio nequaquam solvebatur, & iterum dicebant Pelagiani, quomodo cum justitia potest Deus punire homines ob ignorantiam, ad cujus victoriam ex se sufficientes non sunt, sed gratiæ auxilio indigent, quod opponere non desistunt Pelagiani, quoties gratiam ad quodcumque bonum opus necessariam affirmant Catholici, unde non immerito ad inscrutabilia Dei judicia Hieronymus recurrit. Critobuli objectio magnam habebat connexionem cum gratia efficaci ad ignorantiam vincendam necessaria. Hinc fuit quod Atticus ad profunditatem judiciorum

Dei recurreret. Verum quod illum sic consideraverit Hieronymus, evincitur ex ipsius responsione, in qua per Scripturæ Sacræ verba altitudinem divinæ scientiæ commendat, sic objectioni respondens: *A me quærit quare figulus aliud vas fecerit in honorem, aliud in contumeliam, & non vir acquiescere Paulo pro suo domino respondenti, o homo tu quis es qui respondeas Deo?* quasi velit hominibus ad peccatum imputari ignorantiam, ut ex Scriptura habetur, licet nusquam vincatur absque gratia efficaci, quæ, ut multoties inculcat Augustinus, datur secundum propositum sit quibus ex misericordia datur. Ex his omnibus ostenditur quam immerito voluerit Jansenius Pelagianos propositionem suam intellexisse de invincibili ignorantia, quare hac in parte illos, ut ita dicam, voluerit defendere Iprensis, quos in rebus gratiæ adeo habebat oppositos, qui mentem ipsius plene agnoverit, nobis manifester.

Ad generale Pelagianorum systema, pro solvenda non mediocri difficultate quæ ex præfato Celestii capitulo in præsenti materia desumitur, quod recurramus, nimium fortasse videbitur quibusdam Theologis, qui alia via ab illa se expedire conantur, non attendenter quamlibet solutionem, quæ non coincidet cum nostra, quæ, ut dicam quod res est, sola est vera ac germana responsio, quæ præcedenti objectioni fieri debet, vacuam, & inanem esse, cum propositæ difficultati minime satis faciat. Neque enim resolvi potest, nisi determinando, quid invincibilis ignorantiæ nomine ac oblivionis a Pelagianis intelligeretur, & quo sensu juxta eorum principia, hæc verba, *secundum voluntatem, secundum necessitatem* essent accipienda, cum in iis præcise sita sit tota vis objectionis, & ultima hæc capituli Celestiani pars viru Pelagiano referta sit, prima parte de ignorantia, & oblivione quæ superari nequeunt intellecta, nihil falsi habente. Unde qui dicunt ibi sermonem esse de peccato materiali, vel sensum capituli illius esse, quod ignorantia, & oblivio non solum in se non sunt peccata, sed neque possunt esse culpabiles, seu esse obnoxiat peccato, qui illud dicunt, difficultatem magis fugiunt quam solvunt. Essent ne peccata, vel non, de hoc non controvertebatur inter Celestium, & Patres Diospolitanos, sed de ratione ob quam dicebat Pelagianus non esse peccata, quare præfata responsio nullius est ponderis, & in se sumpta, aut comparata objectioni, nihil resolvit. Quid ad illius solutionem faciat peccatum materiale haud facile intelligitur, cum materialiter consideratum peccatum nihil aliud sit, quam actus hominis Physice spectatus, qui veram non habet peccati rationem nisi a suo esse formali, seu a deviatione a lege, ut dicitur in tractatu de peccatis. Nec felicius ex eo solvitur objectio petita ex facto Abimelech, quæ, ut superius diximus, contra præsentem assertionem locum nequit habere, cum magis illi faveat. Neque enim tum materialiter, cum formaliter peccasse dicendus est Rex Geraræ, Saram, quam Abrahæ sororem, ex utriusque confessione, existimabat, volens accipere in uxorem. Nec ullomodo ex capite vigesimo Genesis ubi hæc historia narratur, Regem illum peccasse licet concludere, quin potius oppositum expresse habeatur. Dicente Domino eo loci, *& ego scio quod simpliei corde feceris: & ideo custodivi te ne peccares in me, & non dimisi ut tangeres eam:* quod illius innocentiam ac justitiam manifestat. Idque

que ita verum est, ut ipse Deum alloquens se ex hoc capite justum prædicet, & in hoc commendet Divus Augustinus justitiam Abimelech in lege naturæ custodienda. Nec obstat quod Abraham alloquens dixerit, *quid fecisti nobis, quia induxisti super me, & super populum meum peccatum grande?* Peccati nomine intelligit Abimelech plagam qua flagellaverat eum Deus, universamque domum ejus, quam in mente Regis, cum esset pœnæ, peccatum supponebat, cujus reum se non agnoscebat, quod testantur verba, quæ Abrahæ loquebatur dicens, *quid peccavimus in te? quæ non debuisti facere fecisti nobis.* Quod vero Regi Geraræ mortem minatus fuerit Deus, & omnibus quæ illius erant, nisi Saram Abrahæ redderet, illum peccasse exinde non sequitur, sed potius ne peccaret a Deo minas intentatas ex misericordia fuisse monitum, qui tunc vere peccasset, si Deo monenti per gratiam, non respondisset per obedientiam, & Abrahæ uxorem quam ex invincibili ignorantia sororem antea judicabat, nunc sibi cognitam adhuc retinuisset. Nihil aliud ex hujus historiæ serie erui potest, nisi Deum qui saluti prophetæ sui aperte invigilabat, noluisse quod aliquid molesti accideret ei aut uxori ejus, quapropter Regem Abimelech a qualibet erga eum injustitia etiam involuntaria præservavit. Quod indicat etiam, hunc Regem non minus erga homines justum fuisse, quam vere religiosum erga Deum. Hæc omnia quæ soluta jam difficultate exponenda judicavi, tam circa hunc Sacræ Scripturæ locum, quam circa Celestii capitulum, prout agitur de peccato, dicta velim pace eorum, quibus aliter sentiendi inest quædam ratio, quam probarem forsitan si me penitus non lateret. Nec eis displiceat, si opinionem, quæ omni destitui fundamento mihi videtur, nedum non amplecti, sed etiam, data occasione, impugnare posse jure crediderim. Ubi enim fides aut ratio convincens non loquuntur, unusquisque abundat in suo sensu.

3 *Objectio.* Juxta doctrinam Divi Augustini, epist. 105 quæ est ad Sixtum Presbyterum, tam culpabiles sunt, & eamdem incurrunt damnationem Deo judicante, qui facienda ignorant quam qui scientes, & audientes facere recusant, & quamvis se excusari putent, non tamen excusantur, sed juste damnantur. Unde concludit illud esse humanæ superbiæ immerito excusatam se putantis, quando ignorantiæ non voluntatis videtur esse quod peccat: ergo, inquit Jansenius, juxta Augustinum juris naturalis ignorantia, licet invincibilis, hominem a peccato non excusat.

Resp. Inanis prorsus & falsa est consequentia Jansenii, quæ ex antecedente minime sequitur, cum nec unum verbum de jure naturali ibi habeat Augustinus, neque affirmet ignorantiam de qua loquitur esse peccatum. Ipsum non de naturali jure, sed de positivo agere nullus est qui possit non fateri, cum de ignorantia evangelii loquatur, ut ex ipsa epistola fit manifestum. In ostendendo gratuitatem gratiæ, quæ independenter a quocumque merito datur, quæve cum nulli debeatur, illi cui vult Deus, datur, eo loci totus est Sanctus Doctor. Hinc est quod recurrat ad altitudinem & profunditatem judiciorum Dei, juxta quæ unus potius liberatur quam alter. Dum autem dicit illos de quibus loquitur, non excusari sed juste damnari, duo distinguit genera hominum quos dicit inexcusabiles, unum est eorum qui

 no-

noluerunt intelligere ut bene agerent, alterum eorum qui intellexerant & non obedierunt: illi autem excusationem non merentur, vel quia noluerunt evangelium audire, vel quia illud audientes ipsi obedire recusarunt. Sicque certum est de ignorantia evangelii qua laborant illi, quibus annuntiatum non fuit loqui Augustinum, quare omnis solvitur quæstio. Nec magis dicit ignorantiam de qua agit, esse peccatum: si quidem cum dicit ignorantes inexcusabiles esse, ostendit eos qui evangelium non audierunt, justum Dei judicium non vitaturos, quia si ipsa eorum ignorantia peccatum non est, ex eo quod intelligere non potuerant, est tamen peccati (scilicet originalis) pœna. Unde etiam si non crediderint quia non audierunt, eamdem tamen incurrent damnationem, licet non ratione ignorantiæ eorum, quam non esse peccatum declarat Augustinus, dum de illa loquens utitur his Christi verbis, Joan. cap. 15. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Præterea etiam si diceret Sanctus Doctor, ignorantiam eorum esse peccatum, nihil præsenti assertioni oppositum exinde sequeretur, cum hæc vinci potuisset gratiæ auxilio, cum sufficienter fuerit promulgatum Christi Evangelium, ita ut nullus ob ignorantiam possit excusari, dicente post Psalmistam Apostolo Roman. cap. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Nec validius in nos argumentatur Jansenius ex divisione peccatorum quam statuit Augustinus, docens omnia peccata partim ab infirmitate, partim ab ignorantia nasci, quod pluribus docet. Etenim loca omnia quæ ex hoc capite afferri possent non sunt ad propositum, ut omni rem exacte scrutanti fit manifestum, cum non dicat ipsam ignorantiam esse peccatum, nisi de voluntaria ignorantia loquatur, sed hanc esse peccati pœnam. Illudque probat intentum Augustini disputantis contra Pelagianos contendentes ignorantiam sicut & concupiscentiam, quibuscum nascimur, naturales esse defectus, non vero mala aut peccati pœnas: unde ad illos refellendos debuit ostendere peccata partim procedere ex ignorantia, quæ licet peccatum non sit, nisi reddatur voluntaria, est vere peccati pœna. Quod ita verum est ut eodem modo loquatur Sanctus Doctor de ignorantia ac de concupiscentia, quæ in eo sensu solum mala est, quod sit peccatorum causa scelerumque origo, non eo sensu quod ipsa sit peccatum, utpote quæ remaneat in baptizatis, in quibus per baptismum delentur omnia peccata, dicente Apostolo ad Rom. cap. 8. *Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Cæterum etiam si Augustinus, ignorantiam peccatum simpliciter diceret, Jansenio non faveret, quia nec invincibilis est, nec est juris naturalis, de illa autem quæstio hic movetur.

Nec gloriosiores de nobis triumphos reportabit Iprensis ex iis Sancti Doctoris textibus quos in nos congerit, cum neque unus afferatur, in quo de juris naturæ ignorantia invincibili vel minima quidem mentio habeatur. Nonne gratis & in vanum nobis opponitur, quod ad Publicolam ep. 154. scribit Hipponensis his verbis: *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, hoc putando utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignoran-*

rantiæ, quando quisque bene fieri putat quod male fit? Qua ratione enim diceretur ibi de invincibili ignorantia sermonem esse? Nec ullum de illa eo loci reperitur vestigium: & aliunde est absque dubio hanc ignorantiam esse facti, cum ambigeretur utrum caro quædam fuisset idolis immolata necne, ut ex prima epistolæ lectione innotescit.

4. *Objectio.* Juxta Divum Thomam quodl. 8. art. 13. illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam. Unde docet a peccato non excusari discipulos, dum sequuntur erroneas Magistrorum opiniones, etsi illas erroneas esse nesciant; in talibus enim inquit quodl. 3. art. 10. ignorantia non excusat, alioquin immunes a peccato fuissent qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum hæresiarcharum. Nec potest aliquis excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam sequantur. Ex quo concludi potest juxta illum ignorantiam nullam excusare.

Resp. Ex laudatis Doctoris Angelici verbis recte concluditur nullam ignorantiam voluntariam aut vincibilem a peccato excusare, bene vero illam quæ vinci non potest. Sic generaliter loquens S. Thomas, ad vincibilem & voluntariam ignorantiam attendit, ut aperte satis indicant ea quæ loquitur. Etenim quæ sunt contra Dei legem homo scire potest & tenetur. Unde si illa ignoret, volens ignorat, ideoque legem transgrediens peccat, licet non agat contra conscientiam. Nec excusari aliquis potest qui magistri opinionem erroneam sequitur nesciens, eo quod errorem quem a magistro errante ebibit, non difficile detegere possit, ac debeat. Hoc est quod eodem loco dicat, quod ille qui assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. Hæc enim sunt media, quibus si utatur, errorem brevi deteget ac abjiciet. Hanc autem esse mentem Angelici Doctoris, præter ea quæ in probationem assertionis ex ipso retulimus, declarant ea quæ scribit quæst. 76. art. 2. his verbis: *Non imputatur homini ad negligentiam* (hoc est ad peccatum) *si nesciat ea quæ scire non potest: unde hujusmodi ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia, cum sit involuntaria, eo quod non est in nostra potestate, eam repellere, non est peccatum. Ex quo patet quod nulla ignorantia invincibilis est peccatum.* Hæc ille, quæ adeo clara sunt, ut ipsis aliquid addidisse, deterpsisse esset. Et juxta hanc expositionem, omnibus, quæ ex aliis Doctoribus possent objici, est respondendum.

5. *Objectio.* Ideo a peccato excusaret ignorantiæ invincibilis pœnæ naturæ, quia supponeretur involuntaria. Falsum tamen est illam in nobis esse involuntariam, quin potius: etenim non minus in nobis est voluntaria, quam in Adamo, cujus peccatum nostrum factum est: hanc autem in protoparente fuisse voluntariam quis non concederet? Peccatum quod ut pœna subsecuta est ignorantia, vere fuit in capite nostro voluntarium: ignorantia igitur quæ peccati est effectus, fuit in illo voluntaria, quia qui vult causam, velle dicendus est effectum. Ideo peccat ebrius hominem occidens, licet homicidium non sit in se voluntarium, quia in sua causa est voluntarium. Ita a pari etsi invincibilis igno-

ignorantia juris naturæ in se absolute loquendo sit involuntaria, cum in sua causa, in peccato nempe originali, sit voluntaria, per illam nequit homo excusari a peccato.

Resp. Peccatum primi hominis vere factum fuisse nostrum, cum in illius voluntate omnium ipsius posterorum tamquam in capite voluntates continerentur, fides Catholica docet: sicut in Adamo illud peccatum fuit voluntarium, in nobis etiam aliquo modo fuisse voluntarium non diffitemur: verum quid inde circa ignorantiam? 1. Enim ignorantia illa quæ est peccati pœna, peccatum ipsa non non est, unde etiam si in protoparente fuisset voluntaria, minime sequeretur illam in filiis illius fuisse voluntariam. Et quamvis illa in se peccatum esset, nihil ex illo concluderetur. Nam si demptur peccatum originale, quod ex Adamo contraximus omnes, quodve ex ipsius voluntate sola in nobis est voluntarium, nullum aliud est peccatum nisi sit volitum ab ipso cui imputatur, voluntate propria: quare totum ex hac parte ruit argumentum. 2. Falsum est ignorantiam quam diximus peccati primitivi pœnam, in Adamo fuisse voluntariam, licet peccatum illud vere fuerit voluntarium. Etenim pœna propter peccatum inflicta, nullo modo censeri valet voluntaria in peccante, ex eo quod a Deo infligatur præter delinquentis intentionem. Alioquin dicendum esset mortem, omnesque miserias quibus subjacemus, quæque sunt primævi peccati effectus ac pœna a protoparente fuisse volitas, quod eo difficilius aliquis concederet, quo verisimilius est illum harum calamitatum necnon & ignorantiæ nullam habuisse ideam. Unde cum nihil sit volitum quin præcognitum, ex hoc etiam capite nulla redditur argumentatio. Nec valet paritas ex homicidio in ebrietate facto, est enim vere peccatum & voluntarium propria illud committentis voluntate, saltem in sua causa, scilicet in ebrietate, quæ vere fuit in illo voluntaria. Et si casu aliquis in ebrietatem incideret, vel per alterius fraudem, ita ut inculpata vere passet esse in illo, si aliquid hujusmodi ebrius committeret, a peccato immunis esset, ratione involuntarii quod in illum nullatenus refunderetur. Ignorantia vero de qua quæstio procedit, nec in se, nec in sua causa, ut jam dictum est, haberi potest voluntaria, unde ex ipsa agens excusatur a peccato.

Solet a quibusdam contra præsentem assertionem opponi una regula juris quæ dicit, facti ignorantiam non juris excusare: sed in solvenda argumentatione ex ea minime immorabor, cum hæc juris regula obtineat in foro externo, non autem in foro interno. In judiciis enim humanis sæpe facti ignorantia excusatur a judicibus, non vero juris vel legis ignorantia. Sic excusatur homo qui putans feram occidere, hominem interficit, excusatur, inquam, ob ignorantiam, sed non excusaretur si diceret se ignorasse homicidium esse prohibitum. At in conscientiæ foro excusatur legis ignorantia dum vere est invincibilis.

Nec ast quod responsum demus ineptiis eorum qui dicunt, quod si vere inculpabilis esset invincibilis ignorantia, exoptanda foret talis ignorantia, & legem scientibus illam nescientes essent anteponendi, hæc enim delirantis mentis ratiocinatione, si posset audiri, probaretur quamcumque ignorantiam, positivi etiam juris, desiderabilem esse, cum hæc quoque

juxta

juxta adversarios excuset a peccato, sicque melior esset conditio eorum, quibus non fuit annuntiatum evangelium, quam eorum qui illud audierunt, quod cum non minus absurdum sit quam impium, absurdum sit necesse est illud ex quo sequitur hæc illatio.

ASSERTIO SECUNDA.

Juris positivi, divini aut humani, tum Ecclesiastici, tum Civilis, sicut & facti ignorantia, modo sit invincibilis, ignorantem a peccato excusat.

Licet ex jam dictis sufficienter probata maneat præsens assertio, cum de qualibet invincibili ignorantia in præcedenti quæstio moveretur, quæ ad pleniorem intelligentiam dicenda superessent breviter attingemus, non investigantes, an circa jus divinum possit dari invincibilis ignorantia in his qui de Evangelio nihil audierunt, cum ad tractatum de Divina gratia talis quæstio pertineat, sed illud cum omnibus Theologis supponentes.

Ac 1. quidem per ignorantiam juris divini, modo sit invincibilis, hominem a peccato liberum reddi, aperte ostendit Christus Dominus, de Judæis apud Joannem cap. 15 hæc dicens: *Si non venissem & locutus fuissem eis peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo . . . Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* In quæ Christi Salvatoris verba sic loquitur S. Augustinus tract. 89. in Joan. *Quid est ergo si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent? Numquid sine peccato erant Judæi ante quam Christus ad eos in carne venisset? quis hoc vel stultissimus dixerit? sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quod sub generali nomine voluit intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata; quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata: hoc est autem quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent . . . Sed quod adjunxit, atque ait: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, potest movere quærentes, utrum hi ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo? si enim non habent, cur dictum est, propterea istos non habere, quia venit & locutus est eis? ad hoc inquisitu pro meo captu Domino donante respondeo, illos habere excusationem, non de omni peccato suo sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit & quibus non est locutus . . . Restat inquirere utrum hi qui priusquam Christus veniret in Ecclesiam ad gentes & priusquam Evangelium ejus audirent vitæ hujus fine præventi sunt, seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem? possunt plane, sed non ideo possunt effugere damnationem.* Ab illa expositione præsentem assertionem non obscure firmante non recedit Hipponensis Epist. 194. hæc scribens: *Dicit etiam ipse Dominus in Evangelio, si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, non utique peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis multisque peccatis, sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo cum audissent eum, non crediderunt in eum.* Ex quibus Divi Augustini verbis, expositione non indigentibus, sic licet argumentari. Inter præcipua juris divini positivi capita primum locum

cum tenet fides in Christum. Sed fides in Christum ignorantia invincibilis ex ipsa Christi doctrina, interprete Augustino, excusat a peccato. Ergo juris divini invincibilis ignorantia excusat a peccato, nec ignorantibus vitio verti potest.

Ab hac Doctrina tanti Doctoris minime recedit Sanctus Thomas, dum de infidelitate sic loquitur 2. 2. quæst. 10. art. 1. in corp. *Si accipiatur (infidelitas) secundum negationem puram sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit* Joan. 15. *si non venissem & locutus eis fuissem*, &c.

Nec est quod adversus nostram assertionem afferatur a nonnullis illud Divi Pauli ad Rom. cap. 10. qui postquam dixit non posse tudiri Evangelium nisi prædicetur, sic prosequitur: *Sed dico numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Unde posse concludi existimant nullam divini juris positivi invincibilem ignorantiam a peccato liberum reddere. Non valet enim illorum consequentia, in poste quæ ex antecedente non sequatur. Juxta logicæ regulas concludendum esset, non dari invincibilem Evangelii ignorantiam, ex quo lustri emel promulgatum est, quod juxta quorumdam Theologorum sententiam est concedendum. Quod vero ignorantia invincibilis veritatum Evangelicarum, ex supposito quod detur, a peccato non excuset, hæc non fuit mens Apostoli alia examinantis. Cæterum ipsius verba eo loci literaliter non esse accipienda quis ignorat? neque enim Romanis significare volebat nullam esse tunc temporis gentem, cui Evangelium non fuisset annunciatum, quod sequentibus sæculis eventurum sciebat, sed factum minime adhuc erat. Apud varias nationes gratiam Evangelii esse diffusam, & in majori parte orbis Romani cognitam fidem Christianam jam fuisse disseminatam, illos non latere volebat Paulus, ut illos in fide firmos & stabiles redderet. Hunc que Apostoli locum eo sensu accepisse videntur Origenes & Augustinus in variis locis. Alia quæ fieri possent argumenta non magis concludunt, eo enim tendunt, ut probent non dari juris divini ignorantiam invincibilem, quod generaliter loquendo, probabilissimum existimamus.

2. De juris humani, tum Ecclesiastici, tum Civilis, ignorantia, quod, dum vinci nequit, ignorantem a peccato reddat immunem, ex eo patet, quod ex præcedentibus sit absque dubio, hujusmodi ignorantiam, si circa jus naturale aut divinum versetur, a peccato excusare: non est autem potior ratio pro uno quam pro altero. Præterea leges humanæ, tum Ecclesiasticæ, tum Civiles, sicut & leges Divinæ, non obligant nisi in quantum cognitæ: quoties ergo quædam erunt leges quæ cognosci non poterunt, toties ad earum adimpletionem non tenebimur. Cum ergo leges quæ invincibiliter ignorantur, nequeant cognosci, illarum ignorantiam a peccato ignorantem reddere liberum necesse est.

3. De ignorantia facti idem esse sentiendum ostenditur ex Sancto Augustino epist. 48. quæ est ad Vincentium quemdam, de hæreticis per vim corrigendis. *Certe*, inquit, *nullus crimen maculat nescientem. Quomodo fideles toto orbe diffusi*

cri

crimen traditorum cognoscere potuerunt, quod accusatores etiam si noverant, tamen eis ostendere non valebant? hos ergo ab hoc crimine innocentes esse nempe ipsa ignorantia facillime ostendit. Cur ergo innocentes falsis criminibus accusantur, quia crimina aliena, seu falsa, sive vera nescierunt? quibus latius innocentia reservatur, si crimen est proprium nescire crimen alienum? porro si tot gentium populos ipsa ignorantia, sicut dictum est, innocentes ostendit, quam magnum crimen est ab istorum innocentium communione separari. Illud docet adhuc Sanctus Doctor lib. 2. contr. Cresconium cap. 26. his verbis: *Si tamen ex latrocinio nesciens vestiretur, ex eo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit, & ipse iniquus, nisi abjecerit. Et qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter, ex quo cognoverit, nisi destiterit.* Ob illam rationem a crimine liberum ostendit qui baptizatus est a malo ministro, quem malum esse ignorabat. Sententiam eamdem tenet Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 76. art. 3. in corp. docens, a parricidii malitia omnimode excusari eum, qui patrem suum occidit nesciens, alium hominem se existimans interficere, licet non sit ab homicidii peccato liber, cum illum hominem, quem non occidisset, si hunc pro patre agnovisset, volens interfecerit.

ASSERTIO TERTIA

Nulla vincibilis ignorantia tollit voluntarium, unde a peccato non excusat: affectata peccatum auget: crassa & supina peccati malitiam minuit.

Ignorantiam vincibilem voluntarium non tollere ex eo patet, quod ipsi ignorantia sit voluntaria: etenim ut ait Doctor, illud est proprie voluntarium quod est in potestate voluntatis: ignorantiam autem illam vincere in voluntatis est potestate, cum ab illa pendeat hanc adhibere debitam diligentiam qua superari potest talis ignorantia, quæ si non adhibeatur diligentia, illud oritur, juxta Magistrum, causaliter a voluntate, quæ diligentiam hujusmodi elicere vel imperare deberet: unde rationem voluntarietatis omnem habet prædicta ignorantia, consequenter est culpabilis, nec a peccato potest excusare, ex eo quod, ut supponitur, & est revera, sit eorum quæ scire potest homo & tenetur scire. Illudque ulterius confirmari potest rationibus ex contrario, quibus ostendimus invincibilem ignorantiam tollere voluntarium, ideoque operantem ex ipsa immunem esse a peccato: in quantum enim invincibili favent ignorantiæ, in tantum vincibili adversantur. Observandum tamen minus peccare illum qui legem transgreditur ex ignorantia simpliciter vincibili, id est non affectata, illo qui transgreditur legem quam cognoscit, cum in isto sit plus voluntarietatis, quam in illo.

Quod vero vincibilis ignorantia si est affectata, peccatum augeat, quis iret inficias? hæc enim directe est ab ignorante volita, qui studiose legem vult nescire, ut liberius cupiditati indulgeat: veritatis lucem odio habet, ignorantiæ tenebras amat & quærit, ut absque ullo conscientiæ remordentis stimulo obscuratis cordis motibus obtemperet. Ex hac autem prava ignorantis dispositione peccati gravitatem exaggerari quis non videt? Eo magis augetur peccatum, quo plus augetur voluntarium; eo magis augetur voluntarium, quo plus intenditur conatus voluntatis; eo magis voluntatis conatus intenditur, quo di-

ligentius removetur illud, quo retardari fortius posset prædictus voluntatis conatus. Illud ergo cum præstet affectata ignorantia, quod nemo negabit, peccatum augere dicatur necesse est. Quod expresse docet Divus Thomas his verbis: *Cum aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberius peccet, talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum, ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*. Et tenetur etiam a Divo Bonaventura in 2. dist. 22. quæst. ultima, peccatum, dicente, majus & gravius, non solum extensive & conjunctim, sed etiam intensive, quam si ipsum peccatum fieret scienter, quia licet ratione ignorantiæ sit minus grave, utpote minus voluntarium, & cum minore contemptu, tamen ex alia parte voluntatis ipsius, est magis voluntarium, habetque magis de contemptu, ideo dicitur quod aggravat culpam peccati, ex eo quod illud considerandum sit simul cum prædicta ignorantia affectata, seu cum volitione ignorandi a qua procedit, & cum qua manet actualiter. Præterea qui peccat ex malitia legem prohibentem sciens, vult semel male agere, qui vero peccat ex ignorantia affectata vult male operari dupliciter. Primo quidem virtualiter, quando vult se ignorare ad male agendum. Secundo vero formaliter, quando agit actum, peccat scilicet omnino debitum & ita privat se lege, id est cognitione legis & voluntate & actu legis: peccans autem scienter ex malitia privat se solum actu legis, non autem lege nec voluntate legis. Sic sentiunt inter alios Doctores Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Alexander Alensis, tenentes affectatam ignorantiam addere peccato, in quantum ex perversa operantis dispositione plus in eo est de voluntario extensive.

Ignorantiam crassam & supinam non excusare a peccato, bene vero malitiam ejus minuere docet Angelicus Doctor, dicens ignorantiam vocari indirecte consequentem, *sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id per quod a peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam & peccatum, dummodo sit eorum quæ quis scire tenetur & potest*. Diminuit tamen peccati malitiam hujusmodi ignorantia, *puta cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem: vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate, ex quo sequitur eum inebriari, & discretione carere, talis ignorantia diminuit voluntarium & per consequens peccatum. Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici quod voluntas directe, & per se feratur in peccatum, sed per accidens: unde est ibi minor contemptus, & per consequens minus peccatum*. Ignorantiam igitur crassam & supinam, licet non excuset in toto, excusare in parte, culpamque simpliciter allaviare certum est, quia ratione præfatæ ignorantiæ est minor contemptus quam si scienter fieret, minorque conatus & libido: nam cæteris paribus minor conatus, minorque libido est in omissione in qua est voluntarium interpretativum, quam in commissione, in qua est voluntarium formaliter. & quamvis sit minus peccatum extensive, quia sunt duo peccata, unum, omissio culpabilis sciendi, aliud, peccatum inde sequens, tamen quia peccatum illud inde sequens, non habet tantam gravitatem intensive, quantam haberet si scienter fieret, ideo absolute & simpliciter, minus grave

judicatur. Quare legitime concluditur, ex hac ignorantia, licet ex se culpabili, peccati malitiam alleviari.

Ex dictis huc usque de ignorantia colligitur, ignorantiam, si antecedat actum voluntatis, ideoque vinci non possit, causare involuntarium simpliciter, cum hæc nullo modo sit volita, & tamen sit causa aliquid faciendi, quod nullatenus a voluntate imperaretur, si sciret illud esse vetitum, proindeque totaliter a peccato excusare. Ignorantiam vero, si sit concomitans, & mere accidentaliter se habeat, per se non influens in actum, quia sic voluntas est comparata, ut sive scientia adesset, sive abesset, eodem plane modo se gereret, nec ab illo opere abstineret, tunc causare voluntarium negativum, seu non voluntarium, illamque de se nec excusare nec accusare operantem, neque vincibilem præcise aut invincibilem dici posse. Si autem voluntatis actum consequatur expresse & directe, vel implicite & indirecte, ideoque vinci possit, causare voluntarium simpliciter, quia sicut ignorantia illa est voluntaria, ita & effectus ex illa sequens: causare tamen hujusmodi ignorantiam involuntarium secundum quid, quatenus sic ignorans sæpe non produceret effectum, si scientia adesset.

QUÆSITUM TERTIUM.

An Jus naturale possit invincibiliter ignorari.

In 3 dist. 37 qu. 1.

JUS naturale, quod a Doctore Subtili definitur, verum illud practicum, quod de se est notum omni naturæ rationali independenter ab omni institutione positiva, considerari potest secundum prima & universalissima principia ex terminis nota, & per se, ut ait Scotus, nec non secundum conclusiones proxime, & demonstrative ex illis principiis descendentes, vel secundum principia minus universalia, minusque nota, sed primis & universalissimis principiis evidenter consona, atque secundum conclusiones, quæ ex talibus primis principiis non nisi remote ac difficile emanant. Neque enim idem fere judicium de jure naturæ sub hoc duplici respectu considerato, æquum videtur. Utrum in illud cadere possit invincibilis ignorantia, ita ut qui illud violant possint a peccato aliquando excusari, nunc occurrit examinandum, nonnullis volentibus jus naturale generaliter sumptum posse invincibiliter ignorari, aliis pronuntiantibus sic non posse ignorari quidquid ad legem naturalem pertinet. Media inter utramque partem nimis universalem incedendum via existimamus.

ASSERTIO PRIMA.

Jus naturale secundum prima, & universalissima principia consideratum, & secundum conclusiones ex ipsis proxime, & evidenter fluentes, nequit invincibiliter ignorari: unde illud in aliquo violantes minime a peccato excusantur.

HÆC assertio ipsa divi Pauli ad Romanos scribentis doctrina esse videtur, cap. 2. his verbis expressa: *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem* (nempe scriptam) *non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Cum ergo juxta Apostolum in cordibus

hominum lex naturalis scripta sit, illam aliquem invincibiliter ignorare possibile non est. Ad quod attendens Augustinus dicebat lib. 2. confess. cap. 4. *Lex naturalis scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.* Unde legitur in Canone *Turbatur*, quod ignorantia juris naturalis in omnibus adultis damnabilis est. Quod saltem locum habere debet pro primis, & universalissimis principiis, nec non pro conclusionibus ex ipsis proxime ac evidenter fluentibus. Et in hoc sensu prælaudatum Apostoli textum glossa explicat, dum de gentibus dicit, quod si non habent legem scriptam, habent tamen lege naturalem, qua quilibet intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid malum.

In eundem sensum Divus Thomas 1. 2. quæst. 91. art. 2. in corp. exponit hæc Davidis verba psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Loquens enim de lege naturali, quæ omnibus inest, quæque nihil aliud est quam participatio legis æternæ, secundum quam bonum, & malum discernimus, hæc habet: *Participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur. Unde cum dixisset, sacrificate sacrificium justitiæ, quasi quibusdam quærentibus quæ sunt opera justitiæ subjungit, multi dicunt, quis ostendit nobis bona? cui quæstioni respondens dicit, signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit quam impressio divini luminis in nobis.* Quæ cum ita sint, ut nemo sensatus unquam diffitebitur, lex naturalis, vel quod idem sonat, jus naturale, non potest invincibiliter ignorari.

Id uno ore, voceque incessabili proclamant omnes Ecclesiæ Patres, Sanctique Doctores, quos in re adeo facili, & ex se nota, cum longius esset audire, unum, & alterum laudabo duntaxat Ambrosium & Augustinum. *Illa lex* (naturalis nimirum) inquit Præsul Mediolanensis in quadam epistola, *non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* Quomodo autem posset invincibiliter ignorari quod est in omnibus a natura expressum?

Sanctum Augustinum enarrat. in Psal. 57. loquentem audiant adversarii, in hæc verba: " Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum. Cui enim iniquo nondum facile est loqui justitiam? aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facile respondeat quid sit justum? quando quidem manu formatoris nostri, in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, *quod tibi non vis fieri, ne facias alteri.* Hoc, & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur etiam hi quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse viderentur, scriptum est in tabulis quod in cordibus non legebant, non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est. Data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis? Redite prævaricatores ad cor. Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? quis te docuit nolle tibi furtum fieri?

" quia

„ quis te docuit nolle injuriam pati, & quidquid aliud vel universaliter, vel particulariter dici potest? multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines clara voce respondeant nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? nonne in societate vivis generis humani? qui tecum factus est, socius tuus est.... Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere. Judicas enim malum esse in eo quod pati non vis, & hoc te cogit nosse lex intima in ipso tuo corde conscripta ... Furtum bonum est? non. Interrogo: Adulterium bonum est? & omnes clamant, non. Homicidium bonum est? omnes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? non, vox omnium est. .... Omnes ergo de his rebus interrogati, clamant hæc bona non esse." Non solum de iis quæ sunt vitanda, sed etiam de iis quæ sunt facienda id vult intelligi Augustinus sic immediate prosequens: „ Rursus de beneficiis non solum de non nocendo, verum etiam de præstando atque tribuendo interrogantur omnis anima esuriens, famem pateris? Alius habet panem, & redundat ei ultra sufficientiam, novit te egere, non dat, displicet tibi esurienti, displiceat & satiato, cum alterum esurire cognoveris. Peregrinus tecto indigens venit in patriam tuam, non suscipitur ille: tunc clamat inhumanam esse illam civitatem, facile apud Barbaros sibi esse potuisse refugium.... sentit iniquitatem quia patitur, tu forte non sentis. Sed oportet ut & te cogites peregrinum, & videas quomodo tibi possit displicere qui tibi non præstiterit, quod tu in patria tua non vis peregrino præstare. Interrogo omnes vera sunt hæc? Justa". Ex his autem Sancti Augustini verbis quæ sunt sole clariora, sic licet argumentari. In jus illud cadere non potest invincibilis ignorantia, quod in cordibus hominum veritas scripsit, quodque nullus permittitur ignorare ut habeat unde judicetur: quod tandem lege intimo in corde conscripta homines omnes nosse coguntur. Sed tale est jus naturale, vel lex naturalis, ex relatis Augustini verbis. Jus ergo naturale invincibiliter nequit ignorari, nec illud in aliquo violantes valent a peccato excusari.

Assertionem nostram expresse defendit Sanctus Thomas 1. 2 quæst 94. art 6 his verbis: *Ad legem naturalem pertinent primo quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali.* Exinde necessario sequitur talium principiorum, talisque legis aut juris violatores, non posse ex ignorantia a peccato excusari. Nec deest ratio ad veritatis istius confirmationem. Quæcumque sunt per se nota, & cuilibet naturæ rationali ut tali necessario manifestantur, nequeunt invincibiliter ignorari ab ullo individuo illius naturæ rationalis. Prius enim in tali supposito, desineret esse illud individuum, quam posset ignorare illa principia universalissima, quorum cognitio, ac manifestatio est in illa natura inamissibilis ac inextinguibilis. Talia ergo cum sint principia universalia juris naturæ, sicut & conclusiones, seu practicæ veritates ex ipsis proxime illatæ ac evidenter deducibiles, unde nam eorum

jus

jus naturæ strictè sumptum, neu-pe juxta illa principia, illatque veritates aut conclusiones, unum esse potest inter omnes homines & apud omnes gentes, ut revera est? Nec ulla potest alia asseri ratio probabilis illius universalissimæ contentionis: sequitur quod jus naturæ in sensu assertionis, non possit invincibiliter ignorari.

Nec dicatur quod si ex hac universalissima hominum contentione ubique gentium, infertur unitas juris naturæ apud omnes populos, sequetur inde jus naturale & jus gentium esse unum & idem, cum illud ultimum sit inter cunctas gentes unicum ex unanimi illarum consensu. Id dici nequit, stante enim hac generali nationum consensione, qua fit jus gentium esse ubique idem, magnum tamen inter utrumque remanet discrimen. Jus naturale est independens ab omni hominum institutione, tum expressa, tum tacita. Id nihil aliud est quam vox interna naturæ matris unius in omnibus hominibus univoce loquentis: dictamen quoddam secretum & generale, quod nullus hominum in semetipso negare potest, & cui non obtemperare licuit nusquam aut licebit. Jus vero gentium quod tacito vel positivo nationum consensu introductum est, a primitiva populorum institutione dependet, nec a sola natura originem habet, sed ab unanimi, vel quasi unanimi hominum conventione ex majori parte oritur. Ad jus naturale pertinet omne præceptum quod recta ratio ex lumine & instinctu naturæ, non constitutione aliqua positiva servandum judicat ab homine secundum se spectato. Ad jus autem gentium pertinent illa omnia, quæ pro tuenda civili societate populis generaliter bona visa sunt, eorumque consensu constituta, & usu firmata. Unde facile videtur in quo conveniat utrumque jus illud, & in quo differat. Cæterum nihil veritatis habet superior illatio: neque enim ex universalissima gentium contentione ex qua infertur unitas juris naturæ apud omnes nationes, sequitur jus naturale esse unum & idem cum jure gentium, cum exinde solummodo sit concludendum, illud quod est de jure naturæ pro quibusdam populis equidem esse juris apud omnes nationes, etiam barbaras & incultas, & vicissim, quidquid apud quemdam populum ad jus naturæ non spectat, neque apud alias gentes posse ad illud pertinere, quod verissimum est & indubitatum.

ASSERTIO SECUNDA.

Jus naturale secundum conclusiones quæ nonnisi remote & difficulter e primis principiis eruuntur, potest aliquando invincibiliter ignorari.

HÆc assertio traditur a pluribus atque præstantibus Theologis, nec immerito. Quot enim sunt conclusiones ad jus naturæ spectantes, quæ ita sunt a primis, & universalissimis principiis remotæ, ut nonnisi per varios discursus, & veluti continuam ratiocinationum seriem innotescere possint? Quot principia equidem juris secundaria non levem expostulant attentionem, priusquam explicari possint, quæque proinde ab aliquibus saltem ad tempus, invincibiliter possunt ignorari?

Ergo, inquiunt nonnulli, quædam legis naturalis præcepta erunt aliquando impossibilia, si cognosci nequeant. Transeat: sed quid inde? Verum non est quod præcepta sint possibilia tunc vel impossibilia, & de hoc non agitur. Dicendum erat illa præcepta in tali casu

casu ignorantia invincibili laborantes non obligare, illorumque transgressionem ad culpam illis non imputari, cum nulla lex vim obligandi habeat nisi sit cognita, aut cognoscenda, & ignorata invincibiliter, violata non judicatur, cumque laborantibus ignorantia lex posita non existimetur, uti nullus potest diffiteri. Sed ex hoc capite quid contra assertionem?

Adeo levia sunt quæ fieri possent in illam argumenta, vel potius ita evidenter sunt extra rem, ut in illis immorari supervacaneum esset. Hinc pariter est quod in solvendis illis, quæ in præcedentem assertionem tum ex Scriptura tum ex Patribus a quibusdam afferri solent, non sumus immorati. Quod dixerit Apostolus Rom. cap. 7. se peccatum non cognovisse nisi per legem, quid inde concludi potest contra propositionem affirmantem jus naturale quantum ad prima & universalissima principia non posse invincibiliter ignorari? Nihil certe. Gratis etiam objeceruntur Sanctus Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 3 lib. 2 de Abraham cap. 4. lib. de paradiso cap. 8. Sanctus Augustinus serm. 153. de verbis Apostoli, lib. 22. contra Faustum cap. 37. & Sanctus Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum cap. 6. horum Sanctorum Patrum testimonia cuilibet legenti a proposito omnimode aliena videbuntur. Quæritur, utrum Deus possit invincibiliter ignorari?

Resp. A nullo sanæ mentis Deus invincibiliter ignorari potest, dicente D. Paulo epist. ad Rom. cap. 1. *Invisibilia ipsius* (Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles* (gentiles) *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Hinc est quod vanos seu insensatos vocaverat Salomon Sap. cap. 13. homines illos, in quibus non subest scientia Dei. Nisi enim rationis usum non habentes, non poterunt de his, quæ videntur bona, non intelligere eum, qui est, ex eo quod a magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter possit creator horum videri. Ad quod attendentes Sancti Patres, nemini rationem utenti Deum ignotum esse consensu unanimi prædicarunt. Sic Chrysostomus homil. 19. ad pop. Const. *Tacet cœlum*, inquit, *sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens, hic enim sensus a natura est certior & manifestior... Scytha, & Barbarus, & Ægyptius, & Indus, & omnis homo super terram incedens hanc vocem audiet... non est gens, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non possit*. Sic Augustinus in Psalm. 74. *Deus*, ait, *ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare*. Unde concludunt Tertullianus Apolog. cap. 17. & Cyprianus lib. de vanit. Idol. hanc summam esse delicti hominum nolentium recognoscere quem ignorare non possunt. Sed hæc tibi satis pro præsenti, cum huic quæsito fusius satisfacere ad illos pertineat qui de Deo uno tractant, ubi de illius agitur existentia.

Quæritur, quænam sint illa universalissima primaque Juris naturalis principia, & quæ conclusiones ex ipsis proxime fluentes ac evidenter, quæ non possunt invincibiliter ignorari.

Resp. Inter universalissima primaque legis naturalis principia, primum hæc duo obtinent locum: Nullo a semetipso existente, supremum numen a quo cunctæ res creatæ existentiam participent, est neces-

necessarium agnoscendum. Nemini quod sibi fieri non vult alteri facere licet; ex quo principio lumine naturali unusquisque absque labore ullo deducere potest non esse furandum, non mentiendum, non occidendum, nullamque cuique injuriam esse faciendam, ex eo quod nullus sit qui velit ab alio pati injuriam. Unde dicebat Divus Augustinus enarrat. in Psal. 118. conc. 25. *Nullus est qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare.* Quam legem in cordibus hominum ab ævo natura distante scriptam præ oculis semper ut haberet junior Tobias, sic a Patre suo monebatur, Tob. cap. 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et ex hoc principio naturaliter eruitur aliud ipsi coexistens quod neminem lædere potest, nempe, quod tibi vis fieri, alteri feceris. Similiter ex eo quod cognoscatur necessario ab omnibus unum esse Deum omnium rerum conditorem, facile ab omnibus concluditur luminis naturalis ductu illum esse adorandum atque colendum, seque supremum ipsius dominium esse confitendum. Ex eo quod omnia quæ sunt, creaverit, illum omnia pariter conservare natura docet. Ex eo quod Deum esse unicum omnibus naturaliter innotescat, facile deducitur non esse habendos Deos alienos, nec in vanum esse assumendum Dei nomen. Hæc omnia neminem latere possunt, utpote quæ sint stricte de jure naturæ, & circa illa ob eam rationem Deum ipsum dispensare non posse communiter tenetur. Cætera quæ ad illa aliaque prima & universalissima juris naturalis principia spectant, qui in semetipso expertus non fuerit, videat auctores qui fuse tractent de legibus, & quæcumque sunt de lege naturali investigent. Satis sint pro munere nostro quæ breviter circa illum exposuimus.

QUÆSITUM QUARTUM.

Utrum metu ac concupiscentia tollatur voluntarium?

MEtus, quem mentis ob imminens periculum trepidationem juvat describere, alius est gravis & cadens in constantem virum, alius levis & cadens in virum non constantem. Prior est ille quo ab homine prudente & cordato sapienter ut grave timetur, quod revera ut grave malum est timendum, ut mors, carcer, infamia, servitus, exilium, fortunæ ac conditionis amissio, aliaque hujusmodi, quæ ut turpia, indecora, & vere nociva ab hominibus probis ac sensatis communiter habentur, quæque in quibusdam circumstantiis potius homo probabiliter vitare aut fugere non potest. Posterior ille est quo homo levis ut grave malum formidat, quod revera grave malum non est, illius mali gravitate pro majori parte ex animi infirmitate pensata. Unde imminens malum, metusque gravitatem ex persona potius, cui infertur, repetere licet, quam ex natura damni incurrendi, cum homines omnes non æqualiter moveri sit certissimum.

Nomine concupiscentiæ hic intelligitur, motus quidam vehemens appetitus sensitivi voluntatem moventis, illamque ad bonum vel malum excitantis. Ille autem motus alius est repentinus adeoque vehemens, ut totum penitus obruat rationis judicium & absorbeat, qui cum omnimode indeliberatus sit, usumque cognitionis impediat, ac liberum tollat, in homine reperitur quasi sine ipso.

Alius

Alius est frænatus magis, lumen intellectus, judiciumque rationis minuens quidem, sed non excludens, ita ut sufficientem in agente admittat cognitionem, qua ad opus quod exercet reflectat, & in objectum quod prosequitur libere feratur. De concupiscentia juxta hunc motum minus vehementem, magisque frænatum, considerata præsens quæstio procedit, cum de motibus repentinis, qui vulgo dicuntur motus primo primi, non controvertatur, utpote qui, generaliter loquendo, involuntarii reputentur. Quomodo ergo metus & concupiscentia se habeant ad voluntarium hic resolvendum occurrit. Unde

ASSERTIO PRIMA.

Metus gravis, etsi liberum aliquatenus minuat, non causat involuntarium simpliciter, sed secundum quid. Unde quæ fiunt ex tali metu, sunt voluntaria simpliciter, & secundum quid involuntaria.

Fundamentum istius propositionis desumitur ex ipsa voluntarii definitione, quam in præcedentibus attulimus, qua semel admissa, sic procedere juvat. Actus illi sunt voluntarii simpliciter qui a voluntate eliciuntur aut imperantur, & ab homine singula cognoscente, perpensis circumstantiis, producuntur & exercentur, atque a principio intrinseco vere & realiter proficiscuntur. Tales autem esse qui ex gravi metu ortum habent quis posset non conteri? Verum est hominem tali ductum timore, velle & facere quod nec faceret nec vellet illius metus cessante motivo: nihilominus timoris ratione urgente facit quod vult, quodque in iis circumstantiis faciendum & volendum prudentia ratioque dictant. Mercator lucri cupidus copiosas secum merces deferens, ingruente tempestate, quas magno pretio comparavit, navim alleviandi causa, submersionis ut vitet instans periculum, ne cum illis pereat, timore perculsus projicit in mare, illasque projicit volens, cum naufragii periculum aliter non posse vitari cernat; has tamen nollet projicere, & revera non projiceret metu illius gravis (cum de vitæ periculo agatur) causa cessante. Profecto igitur mercium, gravi metu non obstante ex parte mercatoris est voluntaria simpliciter, quandoquidem illas non projicere, naufragii periculo durante, in ipsius esset potestate. Unde sequitur metum gravem non causare involuntarium, proindeque voluntaria simpliciter dicenda sunt ea quæ fiunt ex tali metu. Quod si verum esset metum gravem, ut est mortis imminens periculum, causare involuntarium, a peccato excusarentur illi omnes, vel qui tormentis cessere coram tyrannis Christum negantes, vel qui lapsu consimili ab iis se redemerunt, cum non sit peccatum nisi sit voluntarium. Illud autem prædicare quis auderet? dicente Christo Luc. cap. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.*

Sententiam nostram expresse tenet Doctor Subtilis in 4. dist. 29. sic loquens: *Actio voluntatis, quæ est proprie humana, non potest esse coacta nisi secundum quid, metu scilicet majoris mali, quam sit ille actus, & est ista coactio possibilis in homine virtuoso, quando non levi æstimatione, sed certitudinaliter, sit malum sibi inferendum, quod majus est inconveniens sibi..., utpote mors vel carcer, vel captivitas. Cum ergo sit Dominus voluntatis suæ, potest & velle aliquid, quod alias nollet, & impera-*

Exercit. Theol. M re

ut actum alias nolitum antequam incurrat ipsa mala. Quod secundum certam rationem esse affirmat. Et mercatore de quo supra, adducto in exemplum sic prosequitur. *Metus inducit non tantum ad actum exteriorem projectionis, sed etiam ad actum interiorem, scilicet ad velle projicere. Uterque actus . . . , est simpliciter voluntarius; secundum quid tamen involuntarius, &c.* Involuntarius quidem, ex eo quod si metu gravi non duceretur mercator, nec projiceret, nec vellet projicere, & quasi se invito ad talem actum se determinat, qui ex hac parte, aliquo modo videtur illius voluntati repugnare: est tamen in alio sensu voluntarius, quia illud vere vult, quod illi convenit volendum instante periculo, & si aliter se gereret, ut mente captus haberetur.

Sunt ergo absolute ac simpliciter voluntaria quæ fiunt ex metu gravi, cum posset homo quæ facit timore ductus non facere, immo & oppositum velle posset & facere; involuntaria vero secundum quid, nempe juxta illud, in quo, ut loquitur Doctor, actio voluntatis potest esse coacta, etiam in homine virtuoso & constanti. Ex hac autem parte actionem *mercatoris* merces suas in mare projicientis esse involuntariam ex eo ostenditur, quod talem actum non imperat voluntas nisi cum maxima repugnantia, gravique animi tristitia ex amissione mercium, quas non projicit, nisi eo momento temporis quo evidens est nullam sibi aliam esse salutem. Illa vero tristitia hominis merces suas summo affectu plangentis, vere denotat esse quasi contra voluntatem quod agit, illudque veluti coacte & non libenter facere, neque cessante periculo esse facturum, ideoque ejus actio est indirecte conditionata, nutume vero absoluta, cum semper etiam post actum, remaneat in illo hæc mentis dispositio, de non projiciendis mercibus, si salutem via diversa sperare potuisset. Unde merito dictum est, per metum gravem aliquatenus minui liberum. Etenim eo magis in homine minuitur liberum dum aliquid operatur, quo magis adimitur de indifferentia ad oppositum, cum, ut mox dicemus, ad veram libertatem requiratur in voluntate indifferentia activa ad utrumlibet oppositorum; multum autem de hujusmodi indifferentia adimi in tali homine evidenter cognoscente, se vitam propriam conservare non posse, nisi merces suas in mare projiciendo, unusquisque in semetipso experitur, dum hominem tali expositum periculo attente considerat, & fatetur se in eadem circumstantia, quod fecit mercator, non libenter nec spontanee facturum: facturum tamen, & voluntate imperante facturum, sed necessitate quadam ipsimet, si dici potest, voluntati imperante, videlicet naufragii imminente periculo, quod hac solummodo via evadendum est absque dubio. Vere ergo metus ille liberum minuit, etsi non causet involuntarium simpliciter, ut dictum est.

Præsentem sententiam impugnare sibi blandiuntur nonnulli, probare existimantes quæ fiunt ex metu gravi non esse voluntaria simpliciter, & secundum quid involuntaria, ex eo quod rescindatur contractus ex tali metu initus, ac irritentur vota illo movente facta, & aliunde ex hoc sequeretur, dolorem de peccato commisso ex metu gehennæ conceptum, habere quid involuntarii, sicque non esse verum & utilem dolorem, nec Spiritus Sancti donum, quod directe est contra doctrinam Concilii Tridentini loquentis de attritio-

tritione sess 14. cap. 4 & can. 5. Verum hæc omnia gratis & absque fundamento opponi facile ostenditur.

Primo quidem ad contractum ex gravi metu initum, ut est matrimonium, quod attinet, talem contractum esse rescindendum, illudque matrimonium dissolvendum, vel potius pro nullo habendum, est absque dubio, ex eo quod metus ille gravis, qui supponendus est injuste incussus, & voluntati a principio extrinseco veniens, causet involuntarium, ut certum est ex iis quæ supra de voluntario & involuntario dicta sunt, proindeque libertate, saltem sufficienti, careat contrahens, & Reipublicæ interest omnes contractus, præsertim cum de matrimonio agitur, cum libertate perfecta iniri: qua læsa, & læsione probata, a legibus humanis constanter rescinduntur & invalidantur. Sed in tali casu nihil est ad propositum. Si autem metus gravis esset ab intrinseco, ut in homine qui ad mortem justa de causa damnatus, ad mortem fugiendam cum muliere aliunde inhonesta consentiente, matrimonium contraheret, legitimum esset matrimonium, validusque, & indissolubilis contractus, qui esset simpliciter voluntarius, cum ad illum ineundum non compelleretur nisi ex amore vitæ, quam tali medio mavult conservare, etsi indecoro & esset involuntarius secundum quid, cum verisimiliter tali contractui & matrimonio minime esset consensurus, si supplicium fugere, mortemque vitare alia via posset, quod assertionem confirmat.

Secundo, quid mirum si vota ob metum gravem injuste incussum emissa, tum a judice Ecclesiastico tam a judice laico irritentur, sufficienti libertate carente illo a quo emittuntur, atque consensum quem dare videtur, & actum quem externus exercet in corde mentiente? quid enim voluntarii in tali votorum emissione reperiri potest? hinc est quod Deo displicere sacrificia quæ involuntarie, & quasi coacte ipsi offeruntur, agnoscens Ecclesia, Religiosis, quod non raro evenit, præsertim in monasteriis monialium, ex metu professis, facultatem concedat infra quinquennium reclamandi, & jus suum tali medio repetendi, quod etiam in sæcularibus tribunalibus locum habet, volentibus cum laicis tum ecclesiasticis Principibus, & merito, involuntarios reputari, subindeque irritos esse contractus omnes, qui non fuerint a metu quolibet alieni, sicut & promissiones, juramenta, donationes & pacta quæcumque metu extorta, invalida esse voluerant, ex defectu conditionum quæ a jure, vel consuetudine requiruntur. Verum circa vota emissa ex metu gravi, sed a principio intrinseco venienti, ut sunt ea quæ ab ægrotis sanitatem recuperandi gratia fiunt, & ab aliis ad grave quoddam ingruens periculum fugiendum, ut viatoribus, præsertim navigantibus sæpe sæpius accidit, aliud ferendum est judicium. Ad ea adimplenda tenetur homo, tam jure naturali, quam jure positivo, ex eo quod ea sint voluntaria simpliciter, & quod in ipsis adverteretur involuntarii, ea nulla aut invalida reddere nequeat, cum libere, & non coacte talia vota fuerint emissa. Unde a perjurio immunes censeri non possunt, qui sine gravi causa in iis dispensantur, aut nisi aliunde ex levitate, aut animi perturbatione, ea statuissent facienda ac vovissent, quæ in sua non erant potestate, in iis enim, hac facta hypothesi, ligari minime potuerunt. Sed his omnibus non infirmatur assertum.

Tertio, ad quid in exemplum

M afe-

afferatur dolor conceptus ex timore inferni, quo perculsus peccator Deum quærere & delictorum pœnitere incipit, dicant qui talia objiciunt.

2. Falsum est dolorem illum quid involuntarii habere: si enim hoc verum esset, cum ex hac involuntarietate remaneret sic dispositus peccator, ut si abessent æternæ pœnæ in scelerum vindictam, delicti sui illum non pœniteret, quæ animi præparatio peccandi voluntatem non excludit sed potius supponit, dolor ipsius certe Spiritus sancti donum non esset, nec alicujus utilitatis censeri posset, cum ille dolor nihil aliud esset quam naturalis effectus timoris serviliter servilis, ut dicitur in tractatu de Sacramento pœnitentiæ, qui hominem ad justificationem in Sacramento nullo modo disponeret, unde de illo sermonem non faciunt patres Tridentini, qui contritionem imperfectam seu attritionem, voluntariam totaliter esse supposuerunt, illamque Spiritus Sancti impulsum dixerunt, non quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat, modo peccandi voluntatem excludat, cum spe veniæ, qui motus, quive impulsus, principium habet supernaturale, quod debet participare prætereus dolor ut fiat salutaris. Quo posito advertendum 2. metum illum non esse unicam causam doloris quo movetur peccator ad delicti detestationem, immo illum esse motivum minus principale, & aliud quoddam nobilius esse, Dei videlicet miserentis considerationem, cui reconciliari sibi falso blandiretur peccator solo timore pœnarum inferni ductus, & nisi habens Deum sibi propter Christum propitium fore, illum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, ut habet sacrosanctum Concilium sess. 6. cap. 6. unde contritionem sive perfectam sive imperfectam, liberam & voluntariam, non extortam, non coactam contra hæreticos declaravit sess. 14. cap. 4. Cum ergo metus gravis, ut est revera timor gehennæ, involuntarium nequeat causare, etiam secundum quid, nisi in quantum est causa unica actus, vel saltem principalius ad illum movens, ex illo in nos argumentantes nullum remanet fundamentum. Præterea in homine tali metu ducto nihil in ipsius dolore ac pœnitentia esse involuntarii ex eo ostenditur, quod tunc solum metus causet involuntarium, quando actus exercendus est rationi aut naturæ disconveniens, & ex se malus; si vero objectum sit secundum se & absolute bonum, ac semper rationi conveniens, tunc quod ex tali metu agitur est omnimode voluntarium, & nullatenus involuntarium. Quis autem diceret dolorem de peccato Deum offendente, licet ad illud detestandum gravi metu peccator moveatur, non esse quid secundum se & absolute bonum, aut pœnitentiam ex eo provenientem non esse semper rationi convenientem? igitur actus hominis pœnitentis ex metu de quo loquuntur patres Tridentini, est ex omni parte voluntarius. His ita expositis facile concluditur assertionem nostram hoc triplici capite minime impeti, & gratis ab adversariis fingi, illam hujuscemodi argumentis efficaciter impugnari.

ASSERTIO SECUNDA.

Voluntarium concupiscentia non tollitur, sed augetur: liberum tamen ab illa minuitur.

VOluntarium non tolli per concupiscentiam probatur ratio-

tione generali petita ex ipsa voluntarii definitione. In homine operante ex motu concupiscentiæ totum est a principio intrinseco, cum cognitione finis & omnium in quibus actio consistit. Etenim trahitur delectatione ad eliciendum actum, ad quem inclinat, & eo attentius objectum ad quod fertur ut sibi placens, considerat, quo intensior est concupiscentiæ motus: agit ex propensione, agit ex complacentia, ut sibi bonum prosequitur objectum, nihil in illius prosecutione est indeliberatum. Nihil ergo in illo actu est involuntarii. Quod si voluntarium tolleret concupiscentia nusquam peccaret qui illa ductus ageret contra legem, utpote cum juxta generale principium non sit peccatum nisi sit voluntarium: peccare autem sæpe sæpius illum qui concupiscentiæ dictamen sequitur, ejusque motibus consentit, quis ambigeret? dicente Apostolo Jacobo, *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*.

Non solum voluntarium non tollit concupiscentia, quin potius illud auget. Spontaneitatem enim & inclinationem voluntatis nequit augere concupiscentia quin augeat & voluntarium, cum unum ex alio sequatur. Experientia autem perpetua constat spontaneitatem & voluntatis inclinationem augeri per concupiscentiam: ardentiori impetu fertur in objectum voluntas, illudque libentius prosequitur dum ad illud concupiscentia movet, quam dum ad illud non excitatur voluntas per passiones appetitus sensitivi. Cum ergo illud esse non possit, nisi actus prosecutionis fiat magis voluntarius per concupiscentiam, dicendum est voluntarium per concupiscentiam augeri. Et eo plus voluntarium augere dicenda est, quo plus liberum minuit, cum liberi diminutio ex accretione voluntarii oriatur, minor est tunc in voluntate indifferentia, ad unam partem fortius fertur quam ad oppositam, magis voluntarie prosequitur illud ad quod est minus indifferens: auget igitur concupiscentia voluntarium. Uno verbo in actibus ex concupiscentia, magis actus est a voluntate quæ fortius agit, & cum minori resistentia majorique complacentia: & in hoc præcise ratio intrinseca voluntarii consistit.

Quod vero per concupiscentiam, ut dictum est, liberum minuatur, ex eo patet, quod urgente concupiscentia delectabilius agit voluntas cujus augetur inclinatio, sicque propensio fortior in se ipsa majorem ad oppositum experitur renitentiam: & licet objectum ipsi placens vere possit non prosequi, ad ipsius prosecutionem magis inclinatur, sicque cum de illius indifferentia tollatur, tantum de libero in eo minuitur. Et si res non sic se haberet, quomodo dicerent Theologi minus gravia esse peccata cum violentior est pressio seu motus concupiscentiæ, quam illa quæ ex malitia committuntur? illud verum non est, nisi in quantum vi concupiscentiæ & passionis æstu, aliquatenus perturbatur rationis judicium, minus distincte finis & circumstantiæ cognoscuntur, sicque minus libere agit homo. Præterea si concupiscentia liberum non minueretur, quare ipsius impulsibus resistens homo magnam aliquando in se ipso experitur difficultatem? quare ad concupiscentiam vincendam multum ipsi aliquando esset laborandum, ipsique in variis circumstantiis potiro ad obtinendam victoriam magna, ut loquitur Augustinus, gratia opus esset? si vere per concupiscentiam liberum non minuitur, absque causa dicit Paulus Apostolus Rom. cap. 7. *non quod volo bonum, hoc fa-*

facto, sed quod nolo malum, hoc ago. Non est ergo quod quæratur, se in membris suis legem videre legi mentis suæ repugnantem, ipsumque captivantem in lege peccati. Nec jure dicet ad Galatas scribens cap. 5 *Caro concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis.* Quæ autem de seipso dicebat Paulus, quis non experitur?

Nec tamen est quod exinde sibi blandiantur peccatores, quasi de peccato suo excusationem essent aliquando habituri. Dum concupiscentiæ servientes legem transgrediuntur, voluntate peccant, & libere perrant. Minuitur quidem passionis æstu, sed non tollitur liberum, non coacte, non necessario malum operantur: allicit concupiscentia, invitat, movet, non vero compellit, vim non infert. Ipsi ergo, ne vincantur concupiscentia, est perpetuo pugnandum: pugnantibus adest Deus victricis gratiæ suæ auxilium præbens, illamque petentibus ut opportet, infallibiliter præbens, & simul donans victoriam per Jesum Christum.

Argumenta quæ possent fieri in contrarium supersedeo, cum nullius sint momenti, & nihil aliunde ex iis directe concludatur, ex eo quod de motibus adeo vehementibus, ut totum obruant rationis judicium, quæstio non procedat, ut monuimus in principio.

Cæterum, de involuntario quod esse potest a coactione, tractare esset superfluum, cum ea quæ ad illud spectare possunt, ex jam dictis soluta videantur, aut ex dicendis circa libertatem sequenti sectione solventur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Quam olim pro suis ignorantiis Divinam exorabat Psaltes Regius clementiam, quis hominum non est imploraturus? delicta enim quæ Domino abscondi nequeunt, quis intelligit? non illas ignorantias dico, quas vitare non est in hominis potestate, quæque proinde inculpabiles non esse non possunt, cum nullomodo a voluntate procedant: non enim durus aut injustus est Deus, ut quæ homo facit invitus, ipsi ad peccatum imputentur. De illis loquor quæ ex levitate, inadvertentia, aut præcipitatione oriuntur, hominibus, cum nimis, cum cupiditate, inconsulte nimis, incaute, ac præpropere, sæpe sæpius agentibus. Pro hujuscemodi ignorantiis, quæ vere reatum culpæ habent, cum eveniant secundum voluntatem merito lumus omnes rogaturi. Si enim voluerimus cum Deo contendere, ut loquitur Job, non poterimus ei respondere unum pro mille: qui etiam si justum quippiam haberemus non essemus responsuri, sed nostrum judicem deprecaturi. De iis omnibus quæ ex vincibili ignorantia contra legem committimus rationem aliquando reddemus, hæcque plene voluntaria reputabuntur. Ille ergo est frequenter orandus qui omnia illuminat, ut oculos mentis nostræ dignetur revelare, ut de lege ipsius mirabilia attente considerantes, nihil eorum quæ scire tenemur nos ignorare permittat. Errores nostros ignorantiæ tenebris aliquando celandos non existimemus, ille novit abscondita cordis nostri, cuncta in judicio suo denudaturus, væ nobis, si respicientes in insanias falsas, declinaremus in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Cum autem a voluntate perversa

fiunt

sint omnia peccata, miseram hanc voluntatem quæ nobis est principium delinquendi, ut mutet Deus in bonam, quæ opitulante gratia Dei per Jesum Christum, ad omne opus bonum valeat, omni mentis affectu continuo deprecemur. Non simus fidentes in nobis, qui de nostro, ut ait Concilium Arausicanum ex Augustino, non habemus nisi mendacium, & peccatum, sed in Deo, ex quo est sufficientia nostra.

Con. 2. tract. 3. in Joan.

SECTIO QUARTA.

De libero hominis arbitrio.

CUM dicente Philosopho æquivoca prius sint dividenda quam definienda, & nomen libertatis, ut optime observat noster Alphonsus de Castro, lib. 9. adversus hæreses, tit. *libertas*, sit in Sacris litteris æquivocum, ne exinde errandi nobis præbeatur occasio, præcipua vocis illius significata ostendamus oportet. Libertatis nomine aliquando significatur gratia justificationis per quam liberamur a servitute peccati ipsi opposita; & de hac loquitur Paulus Rom. cap. 6. dicens, *liberati a peccato, servi facti estis justitiæ ..... nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem.* 2. Corinth. cap. 3. *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* De hujusmodi libertate quæstionem in præsenti non moveri evidens est, cum illa careant peccato servientes. Alia est libertas quæ ad æternam spectat Beatitudinem, estque gloriæ cælestis appendix, vel etiam ipsamet Cœli gloria, & de hac loquens idem Apostolus Rom. cap. 8. dicit, *quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Neque ista ad propositum nostrum pertinet. Alia adhuc est libertas quæ coactioni opponitur ac necessitati, & de hac in moralibus agitur loquendo de libero hominis arbitrio: ita ut ea ratione dicatur esse homo liber, quatenus in ipsius est potestate agere vel non agere, & utrumque ab ejus libera voluntate totaliter pendet. De hac triplici libertate disertis verbis loquens Divus Bernardus lib. de grat. & libero arbit. cap. 3. hæc scribebat. *Triplex nobis proposita est libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ, in prima restauramur a gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ.* Circa libertatem a necessitate, sine qua nec meritum est nec demeritum, quæ adversus hæreticos dicenda occurrunt, pertractabimus, libertatem indifferentiæ contra ipsos cum Ecclesia Catholica defensuri.

QUÆSITUM PRIMUM.

An in præsenti naturæ statu admittendum sit in homine liberum arbitrium, ac primo a quibus illud fuerit impugnatum.

IN statu naturæ innocentis hominem libertate fuisse plena donatum nullus est, ut arbitror, qui contradicat. Verum in homine lapso liberum remansisse arbitrium plures tum ex antiquis tum e novatoribus negaverunt, hominem in multis, si non in omnibus, necessario agere prædicantes. Sed quam immerito id ipsis visum fuerit ostendemus, dogma catholicum contra illos stabilientes, si prius quos in hac parte habeamus adversarios intellexerimus.

A S-

ASSERTIO PRIMA.

Inter alios quamplures qui liberum ab homine tollere arbitrium conati sunt, Stoicos & Manichæos, Priscillianum, Lutherum & Calvinum, eorumque asseclas merito numeramus.

Stoicos liberum arbitrium ab homine sustulisse quis ambigere poterit, si illa quæ de Tullio, quem de Stoicorum classe fuisse neminem fallit, scribit Divus Augustinus, legere, lib. 5 de Civit. cap. 9. *In has angustias coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate aut esse præscientiam futurorum, quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmatur, alterum tolli. Si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium. Si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus liberum elegit voluntatis arbitrium; quod ut confirmaretur negavit præscientiam futurorum, atque ita dum vult facere liberos, facit sacrilegos.* Superius autem dixerat Sanctus Doctor, Ciceronem assensisse Lucilio Balbo partes Stoicorum defendenti. Et aliunde sequens caput ex multoties adversus Stoicos affirmat nullam ex Dei præscientia humanis voluntatibus inesse necessitatem; quod gratis & sine causa affirmaret ac probaret Augustinus, si circa liberum arbitrium non errassent Stoici, hominem illo privare tentantes.

De libero hominis arbitrio prave sensisse Manichæos noverint quicumque eorum absurda systemata intellexerint. Hinc est quod Divus Augustinus, quem Manichæorum doctrinam fatuisse nemo seorsum judicabit, utpote qui erroris illius discipulus fuisse, Deo permittente, duntaxat videatur, ut ipsius fieret impugnator acerrimus, ac validissimus debellator, eoque certiores ac gloriosiores de Manichæismo reportaret triumphos, quo illius sincere magis fuerat aliquando defensor, sanctus, inquam, Augustinus, sæpe sæpius contra ipsos agens, liberum in homine arbitrium in statu præsenti vere admittendum esse demonstrat, quod incassum probare tentasset, Manichæis hominem vere liberum esse aliunde consentientibus. Illum ergo, lib. 2 adversus Manichæos cap. 1. Evodium sic alloquentem audiamus: *Si homo aliquod bonum est, & non posset nisi cum vellet recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset.... Satis ergo causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illa homo non potest recte vivere. Ad hoc autem datum vel hinc intelligi potest, quia si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. Quod injuste fieret, si non solum ut recte viveretur, sed etiam ut peccaretur, libera esset voluntas. Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid videtur sibi aliud dicere, nisi, cur non ad eam rem usus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est ad recte faciendum?... per hoc & pœna injusta esset & præmium, si homo non haberet voluntatem liberam.* Eadem ratione ductus Hipponensis ipsos impugnans, affirmat Catholicos in hoc a Manichæis discrepare, quod ab ipsis longe sentientes Catholici hominem non dicant, ut Manichæis placet, facto alicui qui ad bonum aut ad malum feratur. *Et nos*, inquit lib. 2 cont. Faustum Manichæum cap. 5. *Sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis quo vel bene vel male vivitur, propter justum judicium*

cium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemur. Et tandem lib. de duabus animabus cap. 12 contra eosdem, docet S. Doctor animas non posse peccare nisi libero donentur arbitrio, quo ad bonum aut malum se vertant. Totus ergo contra Manichæos videtur in probando Augustinus liberum in homine extare arbitrium, ipsis contendentibus peccata nullo pacto posse vitari, sed ea ex mala anima oriri, juxta perversum eorum principium quo fingebant duplicem in unoquoque homine animam, bonam unam, malam alteram, quas perpetuo in conflictu inter se somniabantur, ita ut vincente bona, ad bonum necessario determinaretur homo, & ex opposito ad malum, si mala vinceret. Quos ut directe refelleret faustus episcopus, libertatem in homine totis viribus defendere debuit, Manichæorum hæresis circa ipsam testis æternum futurus.

Priscillianum ab illorum placitis minime recessisse animas & corpora fatalibus stellis subjicientem, & ex hoc fato ineluctabilem esse in homine necessitatem agendi, sicut alii plures hæretici, concludentem, colligitur ex Concilio Bracarensi primo, cap. 9. Sic in ipsum pronunciante: *Si quis animas & corpora fatalibus stellis credit adstringi, sicut pagani & Priscillianus dixerunt, Anathema sit.* & rursum cap. 10. *Si quis duodecim signa, id est Signa quæ Mathematici observare solent, per singula animæ seu corporis membra dissipata credunt, & nominibus patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, Anathema sit.*

Ad Lutherum vero quod spectat, illum libertatem arbitrii ab homine penitus tollere affirmat Concilium Senonense anni 1528. de illo in præfatione expresse dicens, Lutherum eo nomine venire in suspicionem Manichæismi, quod aperte negat liberum arbitrium: ideoque dicit Concilium in decretis fidei cap. 15. quod cum passim obvium sit in Scriptura Sacra, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium asseveret, satis esse visum est sacro provinciali Concilio libertatis ejusmodi vires & metus exponere. Verum testimoniis alienis quid opus habemus, cum errori suo ipse Lutherus & gloriatur testimonium in suis operibus multifariæ perhibeat. Etenim in assert. articulorum suorum ad summum Pontificem Leonem X. in lib. de servo arbitrio docuit, liberum arbitrium post Adæ peccatum suisse in hominibus extinctum, vel amissum, ita ut manserit res de solo titulo, vel titulus sine re. Et operatione in psalmum quintum, & alibi eadem habens addit nec per gratiam posse hominem lapsum divina servare præcepta, & Deum nobis impossibilia præcipere. Quod blasphemum asserit Lutherus in responsione ad Dialogum Silvestri, & in Confutatione Rationis Latomianæ. Multos suæ impietatis reliquit discipulos, humanæ libertatis hostes infensissimos, quos referre cum longius esset, ad ipsorum opera remittimus.

Calvinum non magis libero favisse arbitrio ex eo liquet, quod mentem suam aperiens de præsenti materia lib. 2. instit. cap. 2. n. 4. multum debacchatur in latinos Patres, quod semper apud ipsos exstiterit liberi arbitrii nomen, quasi adhuc, ait, integer staret homo, quod vocabulum græcos, inquit, non puduit multo arrogantius usurpare. Et cap. 3. num. 10. dicit quod voluntatem humanam movet Deus, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis Divinæ motioni obtemperare aut refragari. Lib. 5. de libero arbitrio cap. 304.

gratiam reponit in affectu delectationis tam impresio, ut spontaneè tantum moveatur voluntas, sine ulla libertate, & ad instar brutorum. Cum ergo juxta Calvini doctrinam nullam habeat humana voluntas boni aut mali electionem, nec suæ optionis sit acceptæ Dei gratiæ obedire vel renuere, sequitur ex illa ipsum ab homine liberum arbitrium totaliter sustulisse. Contra Calvinum & Lutherum aliosque de libero arbitrio hominis erronee sentientes, ad omnem eliminandam de ea re hæresim sententiam tulit sacrosanctum Tridentinum Concilium, quam in sequentis assertionis probationem afferemus.

ASSERTIO SECUNDA.

Liberum arbitrium tum in civilibus, tum in moralibus operibus, etiam post Adami peccatum, in homine est admittendum.

Hanc veritatem quam docet catholica fides, multiplici demonstrare argumentorum genere haud difficile erit. Ut autem juxta Theologorum morem in quæstionibus fidei procedamus, ab auctoritate Divina sumetur exordium. In libro Genesis cap. 4. Deus sic alloquitur Cain, *quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Cum ergo homo appetitus concupiscentiæ non dominetur nisi in quantum ea quæ dictat libero arbitrio facere valet aut vitare, ipsum tali arbitrio donari in præsenti statu oportet. Sicque falsum est, quod dixit Manichæus, hominem vitare non posse peccata, quæ ab appetitu proficiscuntur. Præcitati Sacræ Scripturæ textus vim declinare conantur Calvinistæ grammaticalibus quibusdam expositionibus, quas idiomati primigenio conformes fingunt. Sed ipsos in vanum laborare, & abunde, & si verum esset quod dicunt, comparatis inter se variis sacrorum librorum versionibus, nihil illos in contrarium posse concludere demonstrarunt eruditi, qui linguas orientales ac primitivas noverunt: unde in ipsis diutius immorari superfluum. Hoc unum juvat observare quod dicente Deo, *si bene egeris, recipies, sin autem male*, &c. legitime concluditur, utrumque esse in Caini potestate, illudque a libero ejus pendere arbitrio, quo si non donaretur, vana videretur hæc Dei admonitio. Exodi cap. 35. Moyses sic populum Israel alloquitur: *Separate apud vos primitias Domino: omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino.* Et peractis iis quæ ordinata fuerant, sic legitur: *omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt donaria .... Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt.* Si voluntaria Domino dedicaverunt, ut præceperat Moyses, ea non dedicare in ipsorum erat potestate, & ad utrumque liberi erant. In Deuteronomio sic eumdem populum alloquitur Moyses cap. 30. *Testes invoco hodie cœlum & terram quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum.* Igitur electione supponente libertatem arbitrii in eligente, cum juxta allata verba Israelitis detur electio, sequitur necessario illis inesse liberum arbitrium, quo ad unum aut ad aliud se vertere possint. Magis expressa adhuc videntur quæ huic populo locutus est Josue, cap. 24. *Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfecto corde atque verissimo, & auferte Deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto, ac*

ser-

servite Domino. Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur. Eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis. Verum ad quid ille loquendi modus? Cur hæc cum populo Israel stipulatio, si potestatem optionis, electionis, ac plenissimæ libertatis non habuisset Deo Abraham, cur Diis Amorrhæorum serviendi? Ecclesi. Cap. 15. habetur, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu Consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata servare conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignem ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hoc Sacræ Scripturæ contextu liberi in homine arbitrii existentia tam efficaciter commendatur, ut eorum verborum vim aliter declinare nequiverint heterodoxi quam dicendo Ecclesiastici librum non esse Canonicum, & aliunde ea quæ de ipso allegavimus, de primo tantum homine esse intelligenda. Verum in refutandis hujusmodi deliriis non est cur immoremur. Vero huic effugio quid respondendum habeamus quis catholicorum litteratus non videt? Innumera alia veteris testamenti librorum loca assertionem nostram comprobantia missa facere admonet brevitas cui consulere jam promisimus, eamdem veritatem ex novi testamenti libris confirmaturi.

Christum Dominum Magistrum nostrum atque Doctorem, Matth. c. 23. pro nobis pugnantem audient ol. versati *Jerusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Ecce Deo volente homines nolunt, sed illud non velle unde habent, si ex libero arbitrio non oritur hæc voluntas humana Divinæ voluntati contraria? falsum ergo est quod dicunt Dei operatione libertatem tolli humanam. Apertum est Joannis in Evangelio Testimonium cap. 1. *quot quot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quæ verba sic exponit Divus Augustinus tract. in Joan. *Audiamus Evangelistam dicentem dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. Verum tamen in utroque beneficia illius cognoscimus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas: & orandum ne succumbat infirmitas.* Et Sanctus Hilarius lib. 6. de Trin. dicit quod *esse filios Dei, opus est voluntatis, non necessitatis: quia proposito universis Dei munere, non per naturam gignentium adfertur ea filiatio, sed voluntas præmium consequitur.* Audiamus & Paulum 1. Corinth. cap. 7. dicentem, *qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo.* Adverte paulum voluntati nostræ aperte tribuere potestatem, quam ab illa tollere audaster & falso hæretici non formidant. Jam superius dixerat cap. 3. *unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, Dei enim sumus adjutores.* Ex quo convincitur nos pro nostro arbitrio operari, alioquin labor non diceretur noster. Et ne legitime posset Pelagianus totum posse nostro adscribi arbitrio, addidit, *Dei enim sumus adjutores.* Liberum ergo arbitrium in homine admittendum esse in statu præsenti testantur libri Sacri.

Idem fidei catholicæ dogma perpetuo ab ecclesia creditum contra hæreticos ausu temerario illud de novo impugnantes ultimis temporibus definivit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 5 his verbis.

Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, Anathema sit. Sed de hac Concilii definitione adhuc quæstione sequenti.

Catholicam veritatem ex perpetua Patrum Traditione confirmare laboriosum non esset, si illos singulatim loquentes audire per tempus liceret. Quosdam ex eis audiamus. Sic inter Græcos Sanctus Irenæus specialem de re hac disputationem faciens lib. 4. adversus hæreses cap. 71. hæc habet: *Aliud autem quod est quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, & non coactum a Deo, vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus: posuit autem in homine potestatem electionis quemadmodum & in Angelis.* Sequitur, inquit cap. 72, *non in nobis esset facere hæc aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multo prius ipse Dominus consilium dare, quæ quidem facere, a quibus vero abstinere?* Origenes lib. 2. contra Celsum sic illum impugnans ait. *Celsus putat quod ab aliquo præsciens prædixit. Ideo fieri, quia prædictum est: nos vero hoc non concedentes, dicimus non prædictorem causam esse futuri, sed futurum illud quod omnino eventurum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam prædicendi dedisse, totum enim in præcognitione vatis est, cum alterutrum fieri possit, fore hoc alterum, non dicimus præcognitorem adimere possibilitatem, ut vel fiat, vel non.* Et lib. 3 Periarchon cap. 1, multimode probat Origenes hominem esse libero arbitrio donatum, & oppositum tenentium argumentis respondet.

Sanctus Basilius Serm. de libero arbitrio hæc scribit: *quod in hominis potestate situm est liberum arbitrium, in eligendo, & non eligendo situm est.*

Sanctus Joannes Chrysostomus hom. 22. in Genesim: *Nonne inquit manifestum est suo quemque voluntate vel virtutem vel malitiam eligere? nec nisi ita esset, & naturæ nostræ potestas, eligendi, insita esset, neque illos puniri, neque ipsos virtutum retributionis accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.*

S. Cyrillus lib. 3. contra Julianum Apostatam sic loquitur: *Voluntaria operandi facultate conveniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis libera declarari fructum in bonis operibus dexteritatem.* Et lib. 6. ait: *valde autem puerile est quod dicit non potuisse eum amicorum suorum proposita mutare. Oblitus enim mihi videtur, tametsi sæpius audierit, quod homo sit sui juris, voluntarie vadens ad quodcumque sibi placuerit: ita bene habere gloriam universorum opificis, ut & qui bene operari voluerint, laudandi sint: & qui diversum inierint viam, vituperandi juste ab omnibus.* Lib. 4. in Joan. cap. 7. *Non possumus, ait, secundum ecclesiæ, veritatisque dogmata liberam potestatem hominis, quod liberum arbitrium appellatur, ullomodo negare.*

S. Joannes Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 25. idem tenet his verbis: *Relinquitur igitur hominem ipsum agentem & facientem, principem esse propriorum operum, & potestate arbitrioque liberum.* Et cap. 26.

cap. 26. *in nobis sunt ea, quorum facimus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere.*

S. Epiphanius Hæres. 64. hæc loquitur: *Quomodo liberum arbitrium in hoc mandat tu nobis siquidem situm est credere, & non credere: ubi autem credere, & non credere in nobis situm est: consequens, ut recte agere, & peccare, bonum facere, & malum nostri quoque sit juris.* Adeo præcisa sunt hæc Epiphanii verba, aliaque ex aliis græcis Patribus laudata, sicut ae æquum quos adhuc possemus laudare, ut nihil habens quod ipsis respondeat Calvinus, magnum quid facere sibi videatur si illos irrideat verbisque contumeliosis lacessat, sicuti hæc pro responsis aut argumentorum solutione aliquando haberentur. Latinos Patres, etsi ipsis magis non assentiantur hæretici, ad plenam veritatis confirmationem intexgemus, illos a græcorum Patrum placitis minime recedentes, ac catholicæ veritati unanimi consensu testimonium reddentes agnoscemus. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem hæc scribit. *Nec boni, nec mali merces jure pensaretur et qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntarie, in hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda, ita in utrum que exitum libertas patuit arbitrii.*

S. Cyprianus lib. 1. Ep. epist. 3. quæ est ad Cornelium Summum Pontificem dicit. *Nec præpositam servum deferi a quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia magna facientem, & virtutes factorum suorum Dei Patris testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerunt, & tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est, sed magis conversus ad Apostolos suos dixit, numquid, & vos vultis abire? Servans scilicet legem qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem.*

S. Hilarius eidem subscribit veritati in Psal. 118. his verbis: *alios gloriam sæculi eligentibus, aliis venerationem elementorum ac dæmonum expetentibus, aliis terrenas opes expetentibus, Sanctus ipse mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate sed voluntate pietatis, quia unicuique ad id quod vult via est proposita vivendi, & appetendi, atque agendi permissa libertas, & ob id uniuscujusque aut pœna aut præmiis afficitur electio.* S. Ambrosius lib. 1. de Jacob, & vita beata cap. 1. *Non enim,* inquit, *servili ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitrii, sive ad virtutem propendimus, sive ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat rationem secuta.*

S. Hieronymus epist. ad Helvidiam hæc habet. *Deus autem æqualt cunctos sorte genuerunt, & dedit arbitrii libertatem, ut faciat unusquisque quod vult, sive bonum, sive malum.* Et epist. ad Damasum Papam: *liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio, & tam illos errare qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illi qui cum Joviniano asserunt hominem non posse peccare: uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamus esse arbitrii.* Observatione digna sunt quæ habet epistola ultima ad Ctesiphontem. *Frustra blasphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnet.*

S. Au-

S. Augustinus, cujus patrocinio audacter gloriantur hæretici, quandum movetur quæstio de libero arbitrio ad hominem dumtaxat in statu innocentiæ attinente, aut juxta propriam opinionem pro statu præsenti minime locutus fuerit, præ aliis de hac re paulo attentius est audiendus, ut impune mentiri adversarios has manifestum. Sic in libris quos scripsit nondum exortis Pelagianis ipsum libertatem arbitrii in humana natura propugnantem videbimus. Legitur enim in libro de quantitate animæ cap. 36. *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana, atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.* Lib. 3 de lib. arbit. cap. 23. *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene. Quæcumque ista causa est voluntati, si non ei potest resisti sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, ergo caveri potest.* Antea dixerat Evodium alloquens lib. 2 cap. 1. hominem non peccaturum si liberum non haberet arbitrium, proindeque injuste puniendum: *illud bonum*, inquit, *quo commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis, recteque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio?* Ex eo quod homo modo bonam modo malam partem ex deliberatione animi amplectatur, duabus animabus illum constare exinde concludentibus Manichæis, libero donari illum arbitrio exinde colligendum docet Augustinus lib. de duabus animabus cap. 13 num. 29 his verbis. *Cur non magis hoc signum est unius animæ quæ libera illa voluntate huc & huc ferri, hinc atque hinc referri potest?*

Magni ponderis est in præsenti controversia quod scribit S. Doctor in actis cum Felice Manichæo lib. 2 cap. 3. & 4. *Esse liberum arbitrium*, inquit, *& inde peccare quemque si velit, non peccare, si nolit, non solum in Divinis scripturis, quas non intelligitis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi tibi probo.... Audi ergo de libero arbitrio, primo ipsum Dominum ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti: audi, dicentem, aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite: potestatem indicat non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest: sed habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud, ostendit esse in potestate quid facerent.* Adeo clara sunt quæ dixit Augustinus pro asserendo adversus Manichæos libero arbitrio, ut expositione non indigeant. Utrum obscurius agens contra Pelagianos loquatur, examinemus.

Gratiæ necessitatem negantibus Pelagianis, viresque hominis naturales plus æquo jactantibus, quasi per semetipsum ex solo arbitrio absque supernaturali adjutorio bonum posset operari homo quibusdam male sentiatis libertatem humanam infirmare visus est; sed quam immerito, sequentia demonstrabunt. Sic epist. 46. ait: *Credite divinis eloquiis, quia liberum est hominis arbitrium.* Epist. 47. *Quantum potuimus egimus cum istis vestris, & nostris fratribus, ut in fide*

de sana, catholicaque perseverarent, quae neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia valeat aliquid. Lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 1. ita loquitur. *Quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram caritatem, Valentine frater, curavi.* Lib. 2. de nuptiis, & concup. cap. 3. sic Pelagianum alloquitur. *Non est ita ut loqueris, multum falleris, vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium.* Et iterum: *liberum in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium. Conditorem utrique dicimus, non hinc estis Caelestiani, & Pelagiani.* Lib. 4. cont. Julianum, cap. 8. ait: *Multo minus dicerem quod me dixisse mentiris, negari liberum arbitrium si gratia commendetur, & negari gratiam si liberum commendetur arbitrium.* Epist. 46. *Si non est gratia Dei, inquit, quomodo salvat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* ... *Nisi libero arbitrio intelligeremus, atque saperemus, non nobis praeciperetur dicente Scriptura, intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* Epist. 89. quaest. 2. *Valet liberum arbitrium ad bona opera si divinitus adjuvetur ... neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur quia non tollitur.* Lib. de nat. & grat. cap. 65. citatis his verbis Hieronymi libri secundi contra Jovinianum, quae ipsi a Pelagio fuerant objecta: *liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, neque corona, neque damnatio est.* Statim subjungit Pelagio respondens Augustinus: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia est libertas charitatis.* Tot, & tanta pro defendendo libero hominis arbitrio, tum contra Manichaeos, tum adversus Pelagianos scripsit Hipponensis, ut si ea omnia laudare vellemus, nusquam foret dicendi finis ex iis quae ex ipso retulimus, quam in hac materia constans fuerit, & apertus, cuilibet videre non renuenti brevi innotescet.

Caeteros ut omittam Patres idem de hac re sentientes unum laudabo Bernardum lib. de grat. & lib. arbitr. sic loquentem. *Caeterum sive Dei famuli, sive diaboli, non tamen similiter definimus esse & nostri. Manet quippe utrobique libertas arbitrii per quam maneat & causa meriti quatenus merito vel punimur mali, quod tamquam liberi ex propria voluntate efficimur; vel glorificamur boni, quod nisi aeque voluntarii esse non possumus.* Et infra: *Si ergo liberum arbitrium ita sequitur voluntatem ubique, ut nisi illa penitus esse desinat, ipso non careat: voluntas vero sicut in bono, ita etiam in malo aeque perdurat, aeque profecto & liberum arbitrium tam in malo quam in bono integrum perseverat.* Quibus verbis nihil lucidius afferri potest. Omnes consulet Ecclesiae Patres curiosus lector, & apud latinos sicuti apud graecos nullum ex iis inveniet ab hac doctrina recessisse, quorum cuilibet illustrium virorum plus est tribuendum, ut egregie scribit Alphonsus de Castro, quam mille Vvicleffis aut Lutheris.

Multiplici ratione Theologica, si opus esset adhuc posset confirmari propositio nostra, quam soli haeretici valent nos impugnare aut negare. *Si enim non existeret in homine lapso liberum voluntatis* arbi-

arbitrium, unde raperi virtutis meritum aut peccare demeritum posset? Si mandata non custodit justus auxiliante Dei gratia, ex voluntatis arbitrio, eo sensu quod ea transgredi in ipsius sit potestate, cur ei ad justitiam reputatur divinæ legis observatio? Si ex opposito legem transgrediens peccator, illam non transgreditur ex electione, eo sensu quod illam non transgredi non pendeat ab ipsius voluntate, quare hæc legis violatio illi a Deo imputatur ad culpam? Qui culpandus erit in eo quod non potuit non facere peccator? Et qui laudandus justus cui a justitia deflectere liberum non fuit dicant adversarii, & aliquid præter verba respondeant. Adeo tritum est & alitatum hoc Augustini verbum, non est peccatum nisi sit voluntarium, unde concluditur neminem peccare in eo quod necessitate agit, & a contrario pariter concludendum, neminem laudabiliter operari in eo quod necessitate operatur, ut ibi diutius immorari superfluum omnimode sit. Hoc a pastoribus in montibus decantatur, a poetis in theatris, ab indoctis in circulis, a doctis in bibliothecis, a magistris in scholis, a Pontificibus in templis, a genere humano in orbe terrarum, ut in libro de duabus animabus observat idem Augustinus.

Præterea si quæcumque operatur homo non fiunt ex arbitrio voluntatis unum præ alio eligentis, quare hominibus leges sunt positæ, quare præmia bonum facienti decernuntur, & operanti malum supplicia? Quare in Republicæ mandatis non obtemperantes insurgunt magistratus & principes, ac exquisitis tormentis in sceleстos sæviunt? Ad quid consilia, exhortationes, aliaque id genus quibus a recto tramite non deflectere continuo monemur? Nonne si libertate caremus, hæc omnia superflua censenda sunt & puerilia? Ad semetipsos redeant qui nobis non consentiunt, & si serio loqui velint, se innumeris in casibus plena libertate gaudere, qua unum præ alio eligant, ad istud potius quam ad illud ex libera electione se determinent, quasi inviti fatebuntur, & dum nobis adversari non verecundantur, contra propriam mentem, sensumque intimum, ac perpetuam experientiam se loqui, & ore tenus solummodo, in corde probabunt. Felices nimirum si naturam loquentem audirent, ad Catholicæ veritatis confessionem aliquando adducerentur! Nos autem veræ Christi Ecclesiæ filii, *ipsum liberum arbitrium in hominibus esse certa fide credimus, & prædicamus indubitanter: illud quisquis negaverit catholicus non est*, ut ait Sanctus Augustinus lib. 3. Hypognosticon. Contra illud catholicum dogma quid opponant heterodoxi videbimus & solvemus cum de essentia liberi arbitrii quæstione sequenti dixerimus.

ASSERTIO TERTIA.

Ex eo quod detur in homine liberum voluntatis arbitrium sequitur falsum esse quod inepte docet Lutherus, hominem post deperditam Divinam gratiam, non posse aliud facere quam peccatum.

VEritas hujus assertionis quæ est nostri Alphonsi da Castro lib. 3. adv. hæreses, tit. *libertas*, hær. 2. ex omnibus quæ in præcedenti diximus fit manifesta. Etenim si de fide tenendum est, ut plus quam satis probatum est, in præsenti naturæ statu hominem libero voluntatis arbitrio esse dotatum, non minus erit te-

nen-

nendum de fide illum, etiam gratia justificationis amissa, aliud posse facere quam peccatum. Unum enim ex alio sequitur. Et si res aliter se haberet, dicendum esset hominem necessitate peccare cum aliud facere in ipsius non esset potestate, quod non minus absurdum est quam haereticum. Si homo ex sua conditione naturali est liber, per quodcumque adveniens peccatum, libertatem suam nequit amittere, & exinde etiam cum in peccato fuerit, sicut potest peccare, ita & peccatum vitare, & bonum opus, gratia adjuvante, licet non meritorium, operari. Illud autem specialiter ostendunt quaedam Sacrae Scripturae testimonia, ut est illud jam citatum ex evangelio Joannis cap. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Haec vero potestas, ait idem Alphonsus, non solis justis data est, quoniam hi cum justi sunt, jam in filiorum numerum sunt redacti, quare non opus erat eis nova potestate qua fierent filii Dei cum jam essent. Peccatoribus ergo haec potestas est collata, qua per gratiam in adoptionem filiorum Dei recipiantur. Et illud Apocal. cap 2., ubi de Jezabele quae se dicit propheten, & Dei Servos seducit, ait Dominus *Dedi illi tempus ut poenitentiam ageret*. Ad quid autem ad poenitendum daretur illi tempus, si homo sub peccato constitutus non potest non peccare, ut placet Luthero? Insuper ut paulo superius fuit observatum, si non peccare non est in potestate peccatoris, quo tendunt quae frequentissime habentur in sacris paginis monitiones, quibus ad praeteritorum poenitentiam Deus hortatur peccatores? Sic apud Ezechielem cap. 18 *Convertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Quae ad poenitentiam exhortationes pluribi repetiuntur: quapropter Sancti Ecclesiae Patres atque Pastores ab increpandis peccatoribus ut revertantur a via sua mala & convertantur ad Dominum, nusquam cessarunt. Verum qua ratione, quo fine, si libero arbitrio utens homo, Deo auxiliante, deperditam gratiam recuperare non potest, ita ut juxta haereticorum sensum liberum ejus arbitrium nonnisi ad peccandum absolute valeat? Errat ergo Lutherus & delirat tam in consequentibus quam in antecedentibus.

Dixi falsum esse quod dicit Lutherus. Haeretici illius dogmatis est auctor ac defensor, dum inlatiens asserit quod arbitrium hominis destitutum gratia Dei, scilicet justificante, quanto magis ortitur, tanto gravius peccat. Haec de ipso refert Alphonsus de Castro.

ASSERTIO QUARTA

Falsum pariter est liberum arbitrium post receptam baptismalis gratiam non posse amplius ad peccata se vertere, ut Joviniano ac Pelagio placuit.

EO iterum recurrunt quaecumque adduximus momenta ad probandam existentiam liberi arbitrii in homine. Si enim est homo constanter in sui potestate arbitrii, unum prae alio eligere valens, consequens est ut baptizatus in peccata prolabi queat, & ad hanc pertinet haec propositio, quam breviter & ab exemplo confirmabimus. Primus homo in statu innocentiae a Deo creatus & justitia originali ornatus, in peccatum lapsus est: cur ergo post salutaris lavacri gratiam, libero arbitrio male utens homo, ab hac gratia per peccatum decidere non posset?

 Non

Non est potior ratio pro uno quam pro altero, quin potius baptizatus facilius in peccatum prolabitur quam Adam, qui in integritate naturæ constitutus vegetior erat ad perseverandum in bono, non premente concupiscentia, ut accidit in statu naturæ lapsæ, etsi reparatæ, in quo homo, libero ipsius arbitrio per praecedens peccatum debilitato, & exinde ad malum procliviori, fortius ad peccatum propriis cupiditatibus ad id illum moventibus fertur. Si igitur Adam in justitia habituali creatus, & nulla cupiditate ipsum ad malum inclinante, ratione liberi voluntatis arbitrii, quo nonnisi ad perseverandum in illo felici innocentiæ statu debebat uti, ad peccatum se vertit, quanto magis nos infelices nimium in hoc corpore mortis, etsi in Christo regenerati per Sanctum Baptisma, poterimus nos vertere ad peccata. Et quem nostrum ad peccatum valere liberum arbitrium quo donamur, si ad illud vitandum gratiæ supernaturalis auxilio continuo non gaudeamus, quotidiana non docet experientia? Insuper si baptizatus in Christo, reo propriæ libertatis abusu non posset ad peccata se vertere, ut, mentiente sibi iniquitate, stulte somniarunt Jovinianus & Pelagius, quare quotidie clamaret Ecclesia, docente Christo, *dimitte nobis debita nostra* . . . *& ne nos inducas in tentationem, libera nos a malo?* Nonne frustranea esset hæc oratio? Hoc semel admisso quod Jovinianus docet, hominem plena fide baptizatum non posse a dæmone subverti, illi non erit amplius timendi locus, illum tentatio nulla apprehendet, sicque baptizatus in æternum non commovebitur. O stulta ingenii delirantis præsumptio! Ut quid homini infirmo tantam securitatem promittere audetis, o hæretici? Cecidit homo innocens in Paradiso terrestri, ex liberi sui arbitrii flexibilitate ac inconstantia, & nos semel in Christo justificati, multo plus inconstantes & leves, in hocce tentationum loco amplius non posse peccare ausu temerario confideremus? Posse non peccare, auxiliante gratia, libertas est viæ; non posse peccare, libertas est patriæ, ut aliquando cum Augustino narrabimus.

Jovinianum autem ac Pelagium naturæ viribus plus æquo tribuentes, hominemque plena fide in Christo baptizatum in statu impeccabilitatis constituentes, liberum arbitrium evertisse, sicque Lutheranis & Calvinistis ex parte præivisse testantur Hieronymus ac Augustinus. De primo enim lib. 2. cont. Jovin. num. 8. dicit S. Hieronymus, quod *illo nititur approbare eos qui plena fide in baptismate renati sunt a diabolo non posse subverti*. Et S. Augustinus lib. de hæres. ad *Quod vult Deum* num. 82. de Joviniano quodam monacho agens hæc habet, *Hic omnia peccata sicut Stoici philosophi paria esse dicebat, nec posse hominem peccare lavacro regenerationis accepto*. De Pelagio idem Hieronymus epist. ad Ctesiphontem a quo rogatus Pelagii dogma refellit, hæc scribit, *Joviniani secunda quæstio, tui ingenii disciplina est*. Hæc autem secunda quæstio, ut habetur ad scholia illius Epistolæ, est illa qua dixit *Semel in Christo vere baptizatum celebri in peccatum non posse*. Idipsum habetur & Augustino lib. citato num. 88. de Pelagianis sic scribente. *In id etiam progrediuntur ut dicant, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto*

terrarum orbe clamat ad Deum, dimitte nobis debita nostra. Hæc vero, si de libero voluntatis arbitrio in homine recte sensissent Jovinianus & Pelagius, nullo modo proferre potuissent.

Nec fortasse deerant Sacras Scripturas in pravum sensum detorquentes, qui Joviniano & Pelagio assentiantur dicentes, eorum sententiam probari ab Apostolo Joanne dicente 1. Joan. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. Quod verum non esset, inquiunt, si qui per baptismi gratiam natus est ex Deo posset ad peccata se vertere. Sed quam talia concludentes a veritate aberrent, quis ex ipso contextu Joannis non videt? Cap. 1. dixerat, *si dixerimus quoniam peccatum non habemus* (& baptizatorum nomine ipse baptizatus Apostolus & Evangelista loquebatur) *ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Unde de eo quod postea scribit statuamus cum D. Bernardo Tract. de gratia & libero arbitrio, *hoc dictum esse de prædestinatis ad vitam non quod omnino non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate absconditur*. Et in hoc prædictis hæreticis nullatenus favet allatus Divi Joannis locus, qui, si ad Sancti Augustini expositionem attendamus, nullo modo est ad propositum. Ibi totus est Sanctus Joannes, ut fuse ostendit Hipponensis Tract. 5. in epist. Joan. in commendanda charitate erga proximum, quam dicit esse speciale Christi mandatum, dicente ipso Salvatore Joan. cap. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* [...] *hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Illud præceptum attinet observat qui verus est Christi discipulus, illud minime transgreditur, circa illud non facit peccatum, quia natus est ex Deo, videlicet per doctrinæ Christianæ professionem, cui se conformare promisit ex quo per baptisma Christum induit, imo natus ex Deo non potest peccare circa tale mandatum, quoniam semen ipsius in eo manet, quia scilicet verbum Christi præcipientis, quod est verum semen, non potest ignorare, & natus ex Deo cujus filius factus est per baptismi gratiam, mandatum illud de dilectione non potest non observare, tunc enim ab hac divina origine & filiatione decideret, & ab amore proximi cessans filius diaboli efficeretur. Unde ex mente Apostoli Joannis loquens Augustinus dicit, quod dilectione hac discernuntur filii Dei a filiis diaboli. Quod si insisteretur in hæc verba *non potest peccare*, respondetur, hæc in sensu morali accipienda esse, sicuti quotidie dicitur hominem probum non posse scelus committere non quod ad illud arbitrio voluntatis suæ non possit se vertere, hoc enim falsum esset, sed quia non potest, si tale scelus perpetraret, a probitate non decidere, ideoque in quantum probus illud non potest committere, similiter Christianus in quantum natus ex Deo peccare non potest, id est, a proximo diligendo non potest desistere. Dicant nunc Jovinianus & Pelagius, hac audita ex Augustino verborum Joannis expositione, quid ex iis pro sui erroris patrocinio possint concludere.

Cur ergo, inquiunt, si baptizatus, semel accepta gratia habituali, quam necessario comitatur charitas, ex suo libero voluntatis arbitrio potest iterum se vertere ad peccatum, cur dicit Apostolus 1. Corinth. cap. 13. *Charitas numquam excidit?* Siccine Sacræ Scri-

pturæ textibus abutuntur qui talia nobis objiciunt? Verba laudata non esse ad propositum evincitur ex intento Divi Pauli hæc scribentis. Charitatis necessitatem, ipsius officia, perpetuitatem ac præstantiam supra fidem & spem, reliquaque Dei dona ostendere volens, sine ipsa cæteras omnes virtutes esse imperfectas, ac pro nihilo a Deo reputari declarat, charitatem perfectam omnia tempora, æternitatemque complecti significans. Et revera aliis virtutibus præstare charitatem ex eo patet, quod illæ sint sæculi præsentis, & in futuro locum non habent. Nobis enim in patria videntibus & possidentibus quæ nunc credimus ac speramus, fides cessabit & spes: charitas vero quæ est virtus patriæ, & in cælo duntaxat consummationem est habitura, in sæculo præsenti solummodo inchoata, nunquam cessabit. Quod a fidelibus Ecclesiæ, quæ erat Corinthi, sciri volens Apostolus dicit: *Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur . . . Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* Verum in tota hac charitatis descriptione, nec ullum verbum est, ex quo possit concludi hominem justificatum, quandiu in præsenti vita peregrinatur a Domino, non posse a charitate habituali deficere, & in ipsius non esse potestate ad peccata se vertere: ex ipso Apostolo oppositum probare esset facillimum. Sensus igitur loco allati, ut brevi concludamus, iste est, quod charitas in qua ad finem usque perseveraverit justus, æternum est duratura, & ex illa, justitiæ suæ consummationem & coronam ille est accepturus.

QUÆSITUM SECUNDUM.

In quo consistat liberum voluntatis arbitrium, quæve sit ejus essentia.

UT in præsenti haud levis difficultatis materia non parum intricata tuto ac prudenter procedamus, & ne aliquibus nos insimulandi, ut aliquando contigit, occasio præbeatur, quædam ad dicendorum intelligentiam utilia juvat prænotare, quibus semel observatis, adversariorum placita confutare, eorumque argumenta solvere non erit difficile. Libertas igitur, ut a Doctoris Subtilis principiis non recedamus, alia est essentialis, alia est contingentiæ. Prior quæ sequitur naturam voluntatis, quæque dici potest libertas dominii, ea est qua agens ita dominus est sui actus, ut ad illum se se determinet, licet ab illo non possit nec velit abstinere, & in illum tamen fertur ex delectatione, & ex complacentia. Hac libertate ad opera ad intra Deus liber est. Et hæc in illo non excludit libertatem contingentiæ qua fertus ad opera, ut dicitur, ad extra, nulla ductus necessitate. Posterior quæ est secundum electionem voluntatis in eo est posita, quod actus ita sit in potestate agentis, ut, positis omnibus ad illum requisitis, ab eo totaliter pendeat actum ponere vel non ponere, vel etiam in oppositum tendere.

Hæc libertas contingentiæ, quæ a Sancto Bernardo, ut vidimus, dicitur libertas naturæ, alia est libertas a coactione quæ soli violentiæ opponitur, illamque excludit, & extare potest cum necessitate. Eo sensu libera dicuntur quæ licet necessario fiant nec possint non fieri, tamen sponte, voluntate,

carie, ac libenter fiunt, & tunc liberum idem est ac voluntarium. Alia est libertas a necessitate quæ nedum violentiam, sed qualiber simpliciter necessitatem excludit. Eo sensu liberi sumus cum aliquid pro arbitrio & ad nostrum beneplacitum possumus velle & non velle, facere aut non facere, ut quando laboramus, possumus non laborare.

Rursus hæc libertas contingentiæ quæ est a necessitate, communiter dividitur in scholis in libertatem contradictionis & exercitii, qua homo potest actum ponere vel non ponere, ut amare vel non amare, & hæc positive contraria non respicit: & in libertatem contrarietatis seu specificationis, quæ est ad actus contrarios & positive oppositos, ut amare vel odio habere, bonum facere vel malum operari. Quænam autem ad libertatis essentiam pertineat postea declarabimus. Hanc libertatem a necessitate qua gaudet homo ex conditione naturæ solent vocare Theologi indifferentiam seu vim activam sese determinandi ad unum aut ad alterum, positis omnibus ad agendum prærequisitis.

Activam illam arbitrii indifferentiam ab homine ademerunt Lutherus & Calvinus quibus præiverat Vvicleffus, volentes coactionem libertati esse oppositam, non vero necessitatem. Unde dicebat Bucerus, pacem Catholicos inter & Lutheranos esse, si sola coactio libertati repugnet. Et Calvinus scribebat se fateri & constanter asseverare liberum esse arbitrium, si coactioni opponitur libertas, ac pro hæretico habiturum qui aliter sentit. Sic lib. 2 in Pighium. Ab hac doctrina non recedens synodus Dordrectana definiebat, libertatem non pugnare cum omni determinatione ac necessitate, pugnare quidem cum determinatione violentiæ, seu cum necessitate coactionis, sed optime convenire cum necessitate infallibilitatis. Juxta hunc sensum dicebant Lutherani, & Calvinistæ voluntatem se habere mere passive in negotio justificationis, in quantum Deo illam moventi per gratiam non posset resistere, licet cum ipsa operetur. Prædictis hæreticis favere nimium videntur Bajus & Jansenius libertatem cum necessitate componentes, eo modo quo ad actum meritorie vel demeritorie exercendum sufficiat libertas a coactione, ita ut necessario ad malum ferente delectatione terrena, & ad bonum necessario determinante delectatione cœlesti, homo consensum ipsi denegare impotens, liber nihilominus ad merendum vel demerendum remaneat, quod reprobavit ecclesia, eorum respective propositiones summis Pontificibus damnantibus. Quid per illam necessitatem cum libertate componibilem, de qua in terris ex quinque famosis propositionibus ab Ecclesia proscriptis, intellexerit Jansenius, determinare satis est difficile. Calvinistis ac Lutheranis a Sacrosancto Tridentino Concilio recenter damnatis adhæsisse Iprensem Episcopum, aliunde ab hæreticorum placitis valde alienum, non est verisimile. Si tamen ex his quæ scripsit, & pro ut verba sonant, de ejus doctrina feramus judicium, quomodo ab illorum erroribus posse vindicari non videtur, ut quid ergo dicebat omnem voluntatis indifferentiam in homine lapso periisse, solamque remansisse necessitatem, orientem vel ex concupiscentia dum malum operatur, vel ex efficacia gratiæ medicinalis dum bene agit? Unde merito ut hæretica ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnata est sequens ipsius propositio: *ad me-*

ren-

merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Libertatem ab omni necessitate immunem esse & active indifferentem passim fuit visum recentioribus quibusdam Theologis, qui doctrinæ omnium sæculorum addentes voluerunt libertatem hominis sitam esse in perfecto æquilibrio inter vires delectationis voluntatem ad consensum prohibendum inclinantis, & vires quas habet voluntas ad illum denegandum, & veram libertatis idæam ad illud reducendam esse æquilibrium existimarunt. Verum hæc sententia variis erroribus multum affinis minime in Scholis audita, proscribenda haud dubiè foret, si minus propugnaretur. His omnibus attentè perpensis quid sentiendum sit aperiamus.

ASSERTIO PRIMA.

Libertas quæ in præsenti naturæ statu ad meritum vel demeritum requiritur, nedum coactionem & violentiam, sed & simplicem necessitatem excludit, proindeque reponenda est in activa indifferentia tam specificationis quam exercitii.

HÆc propositio, quam catholicus quicumque tenetur admittere, etsi jam maneat ex parte probata per ea, quæ liberi arbitrii in homine lapso existentiam adversus hæreticos defendentes adduximus, ulterius est probanda variis argumentis quæ modo speciali pro activa indifferentia pugnent, & pro libertate specificationis seu contrarietatis loquantur, ne hanc gravi fundamento carere existiment minus catholice sentientes.

Præter ea quæ ibidem retulimus, quæ ostendunt in potestate hominis esse eligere unum præ alio, quod activam indifferentiam supponit ac demonstrat, habetur lib. 3. Reg. cap. 3. quod Deus apparuit Salomoni dicens ei quod postularet quod sibi dari vellet, postea additur *Dixit Dominus Salomoni: quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam*: utrum ergo aut alterum æqualiter erat in potestate Salomonis postulare, ex activa igitur indifferentia ad unum potius quam ad aliud se vertit. Celebris est locus iste Ecclesiastici cap. 31. ubi de homine justo dicitur, *qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit.* En expressis verbis libertatem contrarietatis quæ ad posse peccare sicuti ad non peccare se extendit. Isa. cap. 1. legitur. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Verum quis essent horum verborum sensus, quisve hujus sermonis tropus & finis, si vel ad bonum operandum Deo obediendo, vel ad malum faciendum non audiendo illum, ex activa indifferentia homines non se determinarent?

Hinc veritati consulentes Patres Arausicani definiebant can. 25. posse hominem baptizatum, si velit, bene vivere, quod supponit, etsi experientia non doceremur, illum etiam posse non bene vivere, malumque sinere & bonum operari. Docent patres Tridentini loquentes de necessitate præparationis ad justificationem in adultis, sess. 6. cap. 5. quod tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, potest homo inspirationem illam abjicere sicut & eidem gratiæ libere assentiri. Unde can. 4. sic loquuntur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque* va-

vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, Anathema sit. Quibus contra hæreticos declaratur liberum nostrum arbitrium, quod non est nisi facultas agendi, & non agendi, potentiam esse activam, non vero passivam, libereque & non necessario eligentem.

His accedunt Summorum Pontificum definitiones varias propositiones assertioni nostræ oppositas proscribentium. Sic Pius V. & Gregorius XIII hæreticas, erroneas & temerarias declaraverunt sequentes propositiones Michaelis Baji Doctoris Lovaniensis. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit. Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* Ex quarum propositionum damnatione sequitur nec meritum esse nec demeritum, ubi reperitur necessitas, hancque necessitatem simplicem tollere libertatem.

Ad præsentis veritatis confirmationem selecta quædam ex ecclesiæ Patribus & Doctoribus referamus. S. Athanasius serm. de passione & Cruce Domini, volentibus Dei præscientiam, & prophetarum prædictiones rebus futuris necessitatem inferre, sic respondet: *Non prophetia istarum rerum auctor est aut causa, sed ipsorum voluntas, quia potius ipsi in causa fuerunt, ut talia de ipsis prophetæ prædivinarent. Prophetæ proprium est futura prospicere, & non hallucinari, hominum autem est agere quod velint.*

S. Basilius Orat. quod Deus non sit auctor malorum, *cur anima*, inquit, *ad malum suscipiendum apta fuit? propter liberum arbitrium, quod maxime rationalem naturam decet. Soluta enim ab omni necessitate, & voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam a Conditore adepta per hoc ad imaginem Dei creata est.*

S. Gregorius Nyssenus lib. 7. de philos. cap. 3. sic loquitur: *Omnis qui consultat, quasi in ejus potestate existente electione de operabilibus consultat, ut quod per consilium decernitur eligat, & eligens faciat. Necesse igitur est eum qui consultat, dominum esse actionum. Si enim non fuerit dominus actionum, ex superfluo consultat, si vero hoc ex necessitate assistit ut rationali liberum arbitrium, aut enim non erit rationalis, aut dominum futurum actuum obtinebit; dominari autem actionum, omnino liberi arbitrii est.*

S. Joannes Chrysostomus serm. 2. de fato hæc habet: *Deus dicit, posui ante te vitam & mortem ad quod volueris extende manum. Dæmon dicit, non est in te quod extendas manum tuam, sed necessitate quadam & vi id agis, videntur ne tibi hæc fide digniora?* Omnem necessitatem ab arbitrii voluntate excludunt illi omnes, electionem eorum quæ placent homini concedentes. Ex quibus evidens est illos voluntatem humanam facultatem activam credidisse. Obscurius non loquitur S. Cyrillus lib. 9. in Joan. cap. 10. *Rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est, & suæ voluntatis habenas unicuique commisit, ut in eo sit, quid quid probaverit eligere.* Hæc ille disertis verbis activam indifferentiam voluntatis significans.

S. Hilarius in psal. 2. *Unicuique nostrum*, inquit, *libertatem vitæ sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens.*

S. Optatus Milevitanus lib. 7. cont. Parmenianum dicit, quod *voluntas habet pœnam, necessitas veniam. Homicida scelus potest facere, potest etiam non facere, & cætera*

hu-

hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.

S. Ambrosius lib. 2. de fide c. 3. *pro voluntatis arbitrio*, ait, *non pro necessitatis obsequio*. S. Augustinum audiamus loquentem lib. 5. de civ. cap. 10. quem eo loci oppositum nobis prædicant adversarii, „ Necesse est, *inquis*, ut homo quia „ quid vult libero velit arbitrio, „ & tamen non propterea liberum „ arbitrium ponitur sub necessitate tollente libertatem, nam illa „ necessitas, de qua dicimus necesse esse hominem libere velle, „ non solum non facit ut opera „ liberi arbitrii non sint libera, „ sed cogit ut sint libera, non enim cadit illa necessitas super „ opera, sed super modum, & est „ ex hypothesi non absoluta. Non „ enim necesse est absolute, ut homo hoc velit aut illud, sed est „ in ejus potestate velle hoc aut „ illud, & velle hoc, aut non velle, tamen posito quod velit, necesse est eum libere velle, quia „ talem modum operandi ejus natura postulat. "

Libertatem humanam necessitatem quamcumque excludere, ut merito sit locus in mente Augustini, demonstrant ea quæ scripsit eum lib. cont. Fortunatum, tum lib. de vera Religione his verbis: *Animæ rationali quæ est in homine, dedit Deus liberum arbitrium, sic enim posset habere meritum, si voluntate, non necessitate boni essemus. Cum ergo oporteat voluntate, non necessitate bonum esse, oportebat ut Deus daret homini liberum arbitrium. Tales servos suos Deus meliores judicavit, si ei servirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.* Quid fortius & expressius dici posset?

Sanctum Bernardum quem sibi favere gratulantur qui libertatem arbitrii simplici necessitate, scilicet alia a coactione, non destrui contendunt, paulo attentius audiamus pro nobis multoties lib. de grat. & libero arbit. pugnantem. „ Si ex „ necessitate & absque consensu, „ *inquit*, propter voluntatem mala „ bonave fieri possent, rationalis „ creatura aut misera profecto esse „ nulla ratione deberet, aut beata penitus esse non posset: cui „ nimirum in utravis parte id deesset, quod solum in ea miseriæ, „ sive Beatitudinis capax est, id „ est voluntas. ... Cujus voluntatis consensus (utique voluntarius non necessarius) dum aut „ justos probat, aut injustos, etiam merito beatos facit, vel miseros. ... Cæterum quod sui liberum non esse cognoscitur quo „ pacto vel bonum ei, vel malum „ imputatur? excusat nempe utrumque necessitas. Porro ubi necessitas ibi libertas non est: ubi „ libertas non est, nec meritum, „ ac per hoc judicium. " Nonne hæc sancti Abbatis Claravallensis ita quasi idem sonant ac assertio nostra? *Solo ergo voluntas, quoniam pro sui ingenita libertate, aut dissentire sibi aut præter se in aliquo consentire nulla vi, nullo cogitur necessitate, non immerito justum vel injustum, beatitudine seu miseria dignam ac capacem creaturam constituit, prout scilicet justitiæ injustitiæve consenserit.* Ex quibus sanctorum Patrum dictis sic disceptere licet: Libertas, qua homo actionum suarum vere est Dominus, & vi cujus unum eligere aut alterum ab ipso pendet, proindeque bonum facere vel non facere, operari malum vel illud non operari, & ad utrumque se ferre ex voluntaria determinatione, nulla adveniente homini necessitate, absolute dicit activam indifferentiam tam specificationis quam exercitii. Atqui libertas, quæ in præsenti naturæ statu ad meritum vel demeritum requi-

quiritur, ita absolute talis est juxta doctrinam prælaudatorum Patrum & aliorum omnium qui afferri possent, ut si hæc non adesset, bonum nec malum homini merito non posset imputari, ipseque nec præmio nec pœna dignus haberi posset. Restat ergo probatum, & absque contradictione, quod libertas, quæ in præsenti naturæ statu ad meritum vel demeritum requiritur, nedum coactionem & violentiam, sed & simplicem necessitatem excludit, ideoque reponenda est in activa indifferentia tam specificationis quam exercitii. Desinat igitur Præsul Iprensis, desinant & ipsius asseclæ, sanctos ecclesiæ patres sibi jactare patronos, quod non nisi ex eorum aliquot verbis parum intellectis, aut ex intento in pravum sensum detortis, aliquando possent concludere.

Veterum Scholasticorum, quos in suas Partes frustra trahere conantur qui libertatem cum necessitate conciliare posse putabant, auctoritate non caret præsens assertio, ut probare juvat ad obstruendum os falsa loquentium. Magister sententiarum Petrus Lombardus quem suum esse audacter mentitur Calvinus, indifferentiam activam ab omni necessitate immunem, de libertate agens, agnoscit his verbis, in secundo libro sententiarum dist. 25. *Potestas ipsa, quam supra diximus esse liberum arbitrium, libera est ad utrumlibet, quia libere potest moveri ad hoc, vel ad illud.* Quomodo autem libera ad utrumlibet reputaretur, si necessario ad unum aut ad alterum determinaretur, & si ex activo rationis judicio, ac omnimode libera voluntatis electione, ipsi innata facultate, ad unum ex duobus, juxta sui beneplacitum non se ferret? Hinc est quod sibi constans Magister, de triplici loquens libertate de qua Bernardus, ut supra observavimus, dicit expresse, libertatem a necessitate fuisse ante peccatum, (Adami scilicet) & remansisse etiam post peccatum: libertatem vero a peccato & a miseria fuisse ante peccatum, non postea. Talem arbitrii libertatem, quæ est potestas ad opposita in activa indifferentia radicata & fundata, admittit in Deo, qui licet peccare non possit, tamen non agit necessario quod agit, & illud non agere potuisset. *Unde si diligenter inspiciatur, inquit, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione, & necessitate valeat appetere, vel eligere quod ex ratione decreverit.*

S. Thomas quæst. 6. de malo, eamdem veritatem tenet his verbis. „ Respondeo dicendum, quod
„ quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum.
„ Nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur, non enim omne necessarium est violentum.
„ Hæc autem positio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus, non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium
„ quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. “
Et 1. 2. quæst. 13. art. 6. sic loquitur
„ Dicendum quod homo non ex necessitate eligit, & hoc ideo, quia
„ quod possibile est non esse, non necesse est esse: quod autem
„ possibile sit non eligere vel eligere, hujus ratio ex duplici hominis potestate accipi potest:
„ Potest enim homo velle & non velle, potest etiam velle hoc
„ aut illud. Et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit. “
Et tandem quæst. 24 de verit. artic. 1. sic concludit „ Homo non esset
„ liberi arbitrii, si vel ad bonum, vel ad malum ex necessitate impelleretur. Quod est inconveniens, & ex-

„ perimento, & philosophorum „ doctrinis, & etiam auctoritatibus probatur." Ad hæc & alia Doctoris Angelici testimonia non advertunt doctrinæ Jansenii defensores, dum Divum Thomam pro Iprensi præsule pugnare non verentur affirmare, quem potius ipsi ex diametro oppositum confitentur, quibus vera narrare non displiret.

Magistrum nostrum pro libertate ex activa indifferentia a qualibet necessitate aliena stare ostendamus, ipsumque contra quosdam semi Scotistas volentes, illum vix suum sensum aperuisse, aut in hac materia esse obscurissimum, ob contradictiones non tam facile solvendas, inquiunt, quas tamen non designant, fortasse ex industria, ne solutioni detur occasio, ipsum, inquam, vindicemus, mentemque suam diserte & expresse aperuisse demonstremus. Sic ergo loquitur Doctor Subtilis quodl. 18 num. 9. „ Actus est in sola potestate agentis, & licet ad istam „ potestatem concurrant Intelle„ ctus & voluntas, tamen illa in„ differentia, qua posset non fie„ ri illud quod fit, & posset fieri „ illud quod non fit, ista, in„ quam, indifferentia, seu inde„ terminatio in alteram partem, „ non potest complete reduci nisi „ ad ipsam voluntatem . . . Vo„ luntas sola habet indifferentiam „ ad contradictoria, & talem, qua „ ipsa sit sola sui determinativa „ ad alterum illorum. . . Pro„ pter hoc igitur quod actus ejus „ sic indifferenter est in ejus po„ testate, licet nonnisi supposita „ intellectione, ideo per se est im„ putabilis agenti". Et in 2. dist 7. quæst. unica num. 15 hæc habet „ Voluntas quidem respectu rectæ „ (*hic est meritoriæ*) volitionis est „ principium activum partiale. „ Sed illud principium non est „ totale, quia non sufficit sola „ voluntas ad meritorie volen„ dum, sed requiritur gratia tam„ quam principium cooperans." Et dist 24. quæst. unica num. 6. „ Passio, *inquit*, non est in pote„ state patientis, specialiter quan„ do est ab agente naturali. Sed „ si objectum est agens naturali„ ter volitionem & non voluntas, „ igitur & volitio non erit in pote„ state voluntatis, & si sic, tunc nec „ aliquis actus alius imperatus a „ voluntate erit in potestate vo„ luntatis & sic nec merebitur, „ nec demerebitur per volitionem. In 4. dist 49 quæst 6. paragrapho, *dico ergo*, hæc dicit. „ Non mi„ nus tollit indifferentiam volun„ tatis determinatio ejus a causa „ superiori quam a causa inferio„ ri. Ergo si ex ratione causali„ tatis suæ est indeterminata ad „ operationem, ita repugnat na„ turæ suæ quod illa indifferentia „ tollatur per causam superiorem „ sicut per inferiorem. Sicut ergo „ est contra naturam voluntatis „ quod habitus determinet eam „ necessario, ita est, quod Deus „ determinet". Dixerat autem Scotus loquens de bonis Angelis beatitudinem ex inclinatione naturali desiderantibus ante malorum Angelorum lapsum: *Utebantur voluntate secundum perfectam ejus rationem, quæ est libertas, agendo scilicet secundum voluntatem eo modo quo congruit agere libere in quantum liberum agit*. Hæc ille in 2. dist 6 quæst. 2. num 12. Ergo ne ambigua sunt & obscura hæc Doctoris Subtilis verba? Ergo ne cum de libertate agitur sibi est contrarius Scotus? Hæc dixerint Antiscotistæ, qui Doctoris Subtilis volumina velocius & ex præjudicata opinione pervolverint, quibusque illius doctrina almode non arridet, sustinebimus utique. Illi vero, qui se ipsius discipulos prædicant, quibus exinde familia-

ria

ris esse debet Scoti loquendi modus, difficilis quidem in multis, semper tamen intelligibilis, tali in medium proferant, institutiones suas Doctoris Subtilis scholastico nervo instructas jactantes, quis inter tanti magistri sectatores hæc non indignabundus audiret? E[illegible] ergo Scotistæ speciem exuant quibus ambigua erit vel obscura illius doctrina, vel fateri potius, se in quibusdam a Doctoris sententia recedere dicant: neque enim Theologum decet in rebus ad fidem directe non pertinentibus jurare in verba magistri, præsertim si a verisimili, aut a communiori opinione deflectere sibi videatur. Id autem in præsenti casu locum non habebit, cum quod tenet in hac materia Scotus, illud etiam tenuere Magister Sententiarum & Angelicus Doctor, ut vidimus, atque etiam Albertus Magnus in 2. dist. 24., noster Alexander Alensis in 2 parte qu. 72 ejusque auditor Sanctus Bonaventura in 2. dist. 25. aliique communiter.

Pro præsenti hac propositione militat duplex ratio theologica, qua superius probavimus in præsenti naturæ statu admittendum esse liberum voluntatis arbitrium; hoc unum dicam, quod sublata activa indifferentia, qua liber a qualibet necessitate legem violare homo possit, nihil erit quod usquam peccati rationem habere dicatur. Siquidem ut docet Augustinus peccatum definiens, tum lib. de duabus Animabus, cap. 11 num. 15 adversus Manichæos, tum contra Fortunatum disp. 2 num. 20. aliisque in locis, *peccatum est voluntas retinendi, aut consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*. Quomodo legitima erit aut vera hæc definitio, si peccans homo, necessitate, non coactionis dicam, sed simplici necessitate peccat? Quomodo ille, qui determinatione habente necessitatem agit, ab illo actu ad quem determinatur, liberum erit abstinere, & non operando malum, meritum poterit habere? Si enim, etsi necessitate ductus, liberum est determinationi necessitatem inferenti se subtrahere, falsum est quod necessitate ducatur, tunc enim, quod est impossibile, idem simul esset, & non esset, unde qui libertatem cum necessitate conciliare tentant, libertatem, inquam, ad meritum & demeritum sufficientem, se contradictoria defendere fateantur necesse est. Detur quod qui necessitate ductus, sive a delectatione cœlesti, sive a delectatione terrena sit talis necessitas, aliquid agit, voluntarie agat, numquam tamen libere agere dici poterit. Tollatur a voluntate activa indifferentia, qua unum aut aliud eligere valet, nullus remanet libertati locus, nihil proinde ex quo desumi possit meritum ac demeritum remanebit. Voluntas hominis, inquiunt, modo libertate a coactione gaudeat, vere libera dicenda est: illud verum sit, transeat, de libertate naturæ voluntas, ut alias diximus, circa actus licitos rogi non potest; de hac libertate quæstio non procedit. De essentia libertatis agitur, in quantum est potestas arbitrii deliberans, eligens, actuum suorum dominium habens, quæque ut a naturali voluntatis instinctu distinguatur, liberum arbitrium vocatur, cujus essentiam evertit nedum coactio aut violentia, sed etiam quæcumque necessitas.

Nec probari potest quorumdam inter recentiores Jansenii defensores effugium, dum dicunt necessitatem de qua loquitur Yprensis, non esse illam quæ a Calvini & aliorum Novatorum necessitate parum aut nihil discrepat, sed in

P a sensu

sensu vere Catholico illam esse intelligendam. A doctrina, inquiunt, Divi Augustini & Doctoris Angelici noluit recedere Jansenius. Novum Molinæ systema de concordia gratiæ & liberi arbitrii huc usque inauditum, juxta quod Divinæ gratiæ omnis efficacia ita pendet ab hominis voluntate, ut illius arbitrii veluti pedisequa, ejus tota virtus repetatur a voluntaria & libera hominis determinatione quam illa non operatur, ex quo sequi videtur in salutis negotio hominem supernaturali gratia adjutum, esse principale agens, gratiam vero in opere bono minorem partem habere, quod Semipelagianismo saltem, si non Pelagianismo, nimium affine non pauci propugnant: illud, ajunt, systema, quod ob sui novitatem in suspicionem erroris veniat, debellare voluit Episcopus Iprensis, ac funditus evertere tentavit. Hoc ut attingeret, naturales liberi arbitrii vires in statu naturæ lapsæ deprimere, ac divinæ gratiæ efficaciam extollere, aptum judicavit, ut quo magis Divino adjutorio ad bonum operandum indigeret creatura ex se ipsa omnis boni incapax, eo magis emicaret supremum Creatoris dominium, quod listemate recenter invecto lædi non mediocriter quamplures asserebant. Hinc gratiam per se & ab intrinseco efficacem, tum in sensu motionis moralis Augustinianorum, tum in sensu physicæ præmotionis Thomistarum, ad quodcumque opus bonum admittendam necessarium duxit. Hujus gratiæ quæ nedum prævenit consensum voluntatis, sed & illum ex se operatur infallibiliter, tanta est virtus, ut huic cælesti delectationi quæ est ipsa gratia, licet homo absolute possit non consentire, semper tamen illi consentiat. Infallibilitatem effectus qui gratiam efficacem inseparabiliter comitatur, necessitatis nomine indicari posse existimavit Jansenius, ut sæpe sæpius dicitur, illud quod semper ex aliqua causa & infallibiliter sequitur, ex ea necessario sequi; non autem quod voluerit gratiam voluntati quamdam inferre necessitatem proprie dictam, sed illam movere & allicere adeo suaviter voluntatem, eamque tam delectabiliter ad bonum inclinare, ut homo cum plena & perfecta potestate ad oppositum, semper ab illa delectatione volens vincatur. Illam ergo necessitatem in sensu mox exposito cum libertate ad merendum requisita vere componibilem judicavit Iprensis, qui Doctrinam Calvinistarum & aliorum a Tridentina Synodo nuperrime proscriptam optime doctus, nihil quod novitatem saperet statuit propugnare, sed potius antiquitati consulens, & pro illa decertans profanas vocum novitates totis viribus studuit debellare, in quo, disputationis impetu, ut non raro in iisdem circumstantiis accidit, minus exactum quid, proferre potuit, quod omne Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio humiliter subjecit. Quod de gratia per se efficaci, seu delectatione cœlesti, tuto dici posse putavit Jansenius, illud ex opposito dixit de concupiscentia, seu delectatione terrena, cujus in homine lapso tanta est virtus, ut ab ipsa abstractus & illectus infallibiliter vincatur, illumque ab ipsa suaviter trahente vinci delectet, nisi ex Dei misericordia, cœlestis delectatio relative superior det illi victoriam. Peccator igitur quem delectat concupiscentia superior, etsi habeat realiter omnia prærequisita ad illi non obediendum, illi tamen infallibiliter obediet, & necessario, in sensu jam exposito necessitatis, cum libertate ad demerendum requisita in mente Jansenii.

senii vere componibilis. Cum ergo hæc duplex necessitas quam admittit, non sit necessitas nisi improprie dicta, hæc minime humanæ libertati nocet, unde ipsius doctrina hæreticorum placitis nullomodo cohæret.

Effugium illud in gratiam Jansenii a quibusdam e suis ingeniose satis adinventum, ut jam dictum est, probari nequit. Esto quod Molinæ sistema, de quo judicium ferant qui voluerint, prosternere in mente habuerit Jansenius, seduique hac de causa cum primis suis fautoribus, ut fertur, interit, doctrinæ Divi Augustini, quam temere nimis recenti sistemate impugnari existimabant, consulendi gratia. Verum quid inde? nonne poterat, illæsa hominis libertate, ad salvandum supremum in creaturas Dei dominium sistema defendere gratiæ per se, & ab intrinseco efficacis? ex quo igitur moralis Augustiniana præmotio, & Physica Thomistarum prædeterminatio, si utraque recte intelligatur, libero hominis arbitrio contraria posset merito prædicari? quod insignes Theologi semper apud doctos victuri, gratiam per se efficacem secundum utrumque sistema totis viribus omni ævo defenderunt, & humanæ libertatis in omnibus jura servaverunt illæsa, & ut de veteribus taceam, inter recentiores, ex Augustiniana Schola, eminentissimus Norris, ac ipsi, nec ulli secundus doctissimus Joannes Laurentius Berti adhuc superstes: e Thomistica Schola, celeberrimus Antonius Massoulie, & qui paucis ab hinc annis ultimo fato functus est Eminentissimus Gotti, qui a quampluribus e suis non dissimiles, ob suum in defendenda Augustini, & Thomæ doctrina studium indefessum perpetuo prædicabuntur, non nisi, vel apud indoctum Theologorum vulgus, vel apud peritos quosdam ietero morbo insanabiliter laborantes, simile aliquando audituri. Sistema itaque toleratum esti non approbatum quod impugnaverit Jansenius, hinc forte laudandus: sed quod in tuenda doctrina tot titulis commendanda longius progrediens minus catholice scripserit, hinc certe culpandus. *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Ultra quos citraque nequit consistere rectum.* Quod ab Augustini, & Thomæ placitis nullomodo voluerit, ut inquiunt, recedere, hoc probandum incumberet. Sit de illo non judicavit Ecclesia, cui parum catholica ipsius doctrina visa est, & in eam ut hæreticam, sententiam tulit Innocentius X. cujus judicium, post multas etsi difficultates, amplexa est tota Christi Ecclesia. Quid necessitatis cum libertate componibilis nomine intellexerit Jansenius, parum interest. Hoc unum scire satis est, ipsum in libero humanæ voluntatis arbitrio activam indifferentiam, quam ad merendum vel demerendum requisitam prædicamus, non agnovisse, quasi sufficiat libertati a coactione, ut docebant Lutherani, & Calvinistæ. Hinc est quod lib. 6. de gratia Christi cap. 8. libertatem hominis viatoris sub cælesti delectatione victrice comparat voluntati Beatorum Deum amantium, sublata omni indifferentia, & contrarietatis, & contradictionis, adducens cap. 9. exemplum Christi, qui liber promeruit, quamvis indifferentia ad non perrandum non remanserit in illo. Unde juxta principia Jansenii de dupliri delectatione, qui bene agit & meritum habet, necessario abripiatur oportet a superiore delectatione cælesti, qui econtra male agit, & demeretur, necessario succumbit sub premente cupiditate, sicque meritum, & demeritum ea ratione solum dicitur liberum

berum, quia voluntarium, quod a veritate catholica est alienum & veris principiis, tum Augustinianorum, tum Thomistarum, de gratia efficaci, a nullo Theologicarum quæstionum sciente vere informato, cohærere dicetur. Cæterum quod ad totale Jansenii systema spectat, fusius habetur in tractatibus de Divina Gratia, ad quam referuntur singulariter quinque ipsius famosæ propositiones sufficiant ad nostrum propositum quæ de eo occasione liberi arbitrii diximus. Ad solutionem eorum quæ adversus propositionem præcedentem opponuntur progrediamur.

SOLUTIO

Objectionum.

1. Objectio Multa conglomerant hæretici Sacræ Scripturæ testimonia quibus liberum hominis arbitrium efficaciter impugnari credere fingunt. Illorum est consuetudo quibuslibet fere hæreticis communis, ut Sacras Scripturas cum Catholica Ecclesia optime intelligentes, eas ex industria in pravum sensum detorqueant, illas errori suo patrocinari simulantes. Ex libris sacris, inquiunt, evidens est Deum omnia in nobis operari, electionem autem in nostra non esse potestate. Unde ait David Psal 118. *Inclina cor meum in testimonia tua.* Isaiæ cap 26 dicitur, *omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* Jerem. cap. 10 *Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.* Proverb. cap 20. *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam?* Ezech cap. 36 dicit Deus Judæos alloquens, *dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri* ... *& faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Epist. ad Philip. cap 2 dicit Apostolus *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere* ex quibus & aliis locis concludunt hominem in manu Domini esse velut instrumentum, illiusque liberum arbitrium esse titulum sine re.

Resp. Contra humanam libertatem non militant hæc sacrorum librorum testimonia, & mirum videri debet quod iis ad tollendum liberum voluntatis arbitrium usi fuerint Lutherus, & Calvinus, qui ex nihil adversus dogma catholicum probare optime noverant. Ex iis, & similibus quid est concludendum, nisi hominem nihil boni posse absque divinæ gratiæ adjutorio, Deumque per gratiam suam hominem inclinando ad opus bonum, esse agens principale, quod fides catholica docet non autem quod homo ex arbitrii libertate nihil agat, aut gratia adjutus pro voluntate sua unum aut aliud non possit eligere. Hinc est quod David qui gratiam expostulaverat, quæ cor ejus ad bonum inchoaret, subdit postea *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Locus ex Isaia juxta expositores est intelligendus vel de flagellis quæ a Deo recedentes Judæi passi sunt, sic S. Hieronymus vel de prodigiis quæ pro iis sæpissime operatus est Deus, ac de beneficiis quæ contulit ipsis, sic S. Cyrillus & utraque hæc expositio, iis quæ præcedunt, & sequuntur optime cohæret. Dum dicitur hominem non dirigere viam suam aut gressus suos, sed a Deo dirigi, ex hoc nihil aliud debet intelligi, nisi quod homo ex se ipso, & absque gratia, viam suam, & gressus suos in bonum non possit dirigere, sed hæc directio recta a Deo per gratiam veniat. Ex verbis patriæ Ezechielis ostenditur necessitas gratiæ ad servanda divina mandata, ab illa.

illa enim principium habent opera bona, & ex illa perficiuntur, sed non absque humanæ libertatis cooperatione. Deus enim, & homo sunt cooperatores, Deus adjuvando, & præveniendo, homo consentiendo, & operando, unde verum est Deum facere in nobis cor novum, ipsumque, ut opponitur ex Apostolo, operari in nobis velle, & perficere, sanctam delectationem inspirando, sed nihil in nobis operatur Deus sine nobis. Utrumque ergo eo loci demonstratur, & Dei auxilium sine quo nihil boni ageremus, & obedientiam nostram, cum gratia exercari volumus bonum, & illud perficimus. Et hæc est expositio verborum Ezechielis per Augustinum lib. de prædest. sanct. cap. 11 hæc scribentem: *Ideo enim hæc, & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod, & nos eadem faciamus, & Deus facit ut illa faciamus sicut per Prophetam Ezechielem apertissime dicitur, ego faciam, ut faciatis. Locum ipsum Scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa Deum promittere se facturum ut faciant, quæ jubet ut fiant.* Dum dicunt hæretici hominem in manu Dei velut instrumentum esse, si non addidissent, inanime, ipsis consentiremus: omnes enim creaturæ sunt supremi opificis instrumenta omnem motum ab illo habentia, sed quælibet juxta naturæ suæ modum. Creaturas necessarias sive determinatas movet Deus necessario ac determinate, quæ autem liberæ sunt, ab ipso libere moventur. Deus igitur per Divinam suam motionem nullam libero voluntatis arbitrio infert necessitatem, sed potius nostram adjuvat infirmitatem, sed sic illam adjuvans, ut minime abnuentes nostra libertate ipsius faciamus voluntatem, unde tantum abest quod ut inanime aliquid computari possimus, quin potius tantum non operemur cum gratia, eo tempore quo totum gratia operatur nobiscum.

2. *Objectio*. Hominem ad bonum & malum non esse indifferentem in præsenti statu probare putat Jansenius ex Augustino, tum lib. 2 de Nupt. cap. 3 tum lib. 3 ad Bonif. cap. 8. cum lib. de spiritu, & littera cap. 30. alisque in locis, dicente arbitrium hominis servum esse peccati, cum ille sit servus illius a quo fuit devictus, illudque proinde nisi ad peccatum valere, non autem ad justitiam nisi sit divinitus liberatum, ficque de libero arbitrio injuste superbire homines cum nullas antequam liberentur habeant vires. Unde si indifferentia ad utrumque oppositorum est requisita ut homo pollere libero voluntatis arbitrio dicatur, illum ea carere libertate fatendum est.

Resp. 1 verbis Divi Augustini locis laudatis falso putaret Jansenius activam indifferentiam, quam dicimus necessario pertinere ad liberum arbitrium nostrum in præsenti naturæ statu efficaciter impugnari, cum de hac libertatis specie sermonem non faciat S. Doctor, qui loquitur de libertate a peccato, quæ opponitur subjectioni, & captivitati quæ per peccatum contrahitur, & cum libertate a necessitate subsistere potest, eaque subsistit. Ex quo peccavit Adam, peccati, & concupiscentiæ, quæ est effectus illius ac pœna, vinculis tenetur genus humanum, & juxta hunc sensum homo est vere captivus, & libertate quæ ei opponitur servituti, non gaudebit quamdiu erit in hoc corpore mortis. Verumtamen quantumvis in eo regnet peccatum, ipse non peccat necessario, est enim vere liber a necessitate, & in ipsius est potestate cum auxilio gratiæ, motibus concupiscentiæ urgentibus

resi-

resistere si velit, sicuti ab ipso pendet præsente illo gratiæ auxilio ut motibus non resistere, cum hæc gratia libertati indifferentiæ nullatenus noceat. Etenim licet gratia efficax infallibiliter trahat voluntatem juxta principia Sancti Augustini, illam tamen non lædit libertatem, quia delectatione trahitur non necessitate. Ait enim tract. 26. in Joan. *Noli cogitare te invitum trahi .... parum est voluntate, etiam voluptate traheris ..... trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio.* Quod autem S. Doctor locis citatis agat de libertate a peccato ex eo patet quod plunes dicat, liberam non esse voluntatem cui dominatur iniquitas; illam tanto liberiorem esse, quanto saniorem, tanto autem saniorem, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectiorem, liberumque non fuisse arbitrium quando erat sub potestate tenebrarum, quod sexcenties in suis operibus dicit Augustinus.

Resp. 2. Dum verbis præcitatis, sed a mente Augustini longe alienis pro se opponuntur, arbitrii indifferentiam solide impugnari opinatur Jansenius, advertere debuisset se eadem objicere quæ jam hæretici eadem occasione opposuerant dicentes, saltem peccatores servos esse peccati juxta hæc verba Joannis cap. 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, & hæc Pauli 2. ad Tim. cap. 2. *resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur*, unde concludebant peccatorem non remanere sub peccato sui juris, nec dominium suorum actuum, a qua hæreticorum consequentia Augustinum sic objiciens Jansenius parum recedit. Peccatores ea ratione qua peccatum libere faciunt in servitutem redigi, captivosque diaboli laqueis irretitos teneri quis inficiatur? neque enim vilior excogitari potest servitus, & quæ magis hominem ac Christianum dedeceat, illa quæ per peccatum contrahitur, nihilque illi adeo debet esse in desiderio, quam ab illa per gratiam Christi liberari. Verum quantumvis dura sit illa servitus, remanet tamen in peccatore indifferentia judicii, ex qua potest peccare libere, atque etiam peccatum non facere, imo cum cælesti adjutorio reverti a sua via mala, & resipiscere. Unde inquit Augustinus lib. de gratia Christi cap. 20. *Non solum potest homo habere charitatem qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem qua sit arbor mala.* Nulla in homine sub lege peccati constituto ponitur peccandi necessitas, neque per diabolum qui ei dominatur, ad malum indeclinabili necessitate impellitur, & si quædam peccatori videretur peccandi necessitas inesse, hæc nihil aliud esse potest præter pravam ipsius voluntatem qua libere in peccatum ruit. De hujusmodi necessitate conquerebatur Augustinus lib. 8. conf. cap. 5. his verbis. *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & catenam mihi fecerat, & constrinxerat me.* Hæcque necessitas ex propria peccatoris voluntate originem trahit, ut ibidem dicit S. Doctor. *Ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Desinant ergo peccatoris servitutem exaggerare ac illam peccandi necessitatem quæ nihil est aliud quam difficultas bonum faciendi, & facilitas delinquendi, quæ utraque divina gratia voluntatem adjuvante vinci potest.

3. *Objectio*. Multoties insinuat S. Augustinus in statu naturæ lapsæ hominem libero carere arbitrio.

erio. Quidenam aliud indicare possunt illius verba dum dicit, cadente voluntate, caruisse libertate naturam: libero arbitrio male utentem hominem se perdidisse & ipsum: nos primi peccati grandi tate liberum arbitrium ad Deum diligendum perdidisse, quæ, & similia habet, cum lib. de perfectione justitiæ, cap. 4. cum Enchiridi cap 30. cum lib. de correpc. & grat. cap. 12. cum Epist. 217. cum lib. 14. de civit. cap 11. cum lib 3. de lib. arbit. cap 18. & alibi.

Resp. Quid est quod Augustinum in suas partes trahere fiste conantur adversarii, quem sibi in hac parte oppositum non ignorant? Quid mirum si respondens Pelagianis præsentes naturæ vires nimium extollentibus, illosque refellens ut Divinæ gratiæ necessitatem ad omne opus bonum adstruat, liberum arbitrium videatur deprimere, & quasi de medio tollere? Sed quid inde quod adversariis faveat? nihil certe. Eo etenim sensu in doctrina S. Augustini perditum est liberum hominis arbitrium per protoparentis peccatum, quod in præsenti statu non ita perfectum sit, & liberum, ut in homine innocente, ab impedimentis, quibus prior minuitur indifferentia durante innocentia, absque difficultate bonum operabatur homo, & a malo, nullo concupiscentiæ pondere impulsus, abstinebat. Nunc vero amissa illa perfectione, fuit per peccatum vulnerata natura, vires amisit, aucta est difficultas, in peccata proprio pondere ferimur, & ab ipsis, etsi gratia adjuti, non nisi per varios magnosque conatus abstinemus. Sic in ipsis naturalibus vulneratus est homo, & aliquatenus libertatem deperditam prædicat Augustinus. Hinc est quod a Pelagianis accusatus quod dixisset per peccatum Adæ periisse liberum hominis arbitrium, sic mentem suam ipsis respondens aperit lib. 1. cont. duas epist. Pelagian. cap. 2. *Quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam ... num liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod eos libet .... liberi ergo non sunt a justitia, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem a peccato non fiunt nisi gratia Salvatoris.* Quapropter lib. de natur. & grat. cap. 43. comparat liberum arbitrium nostrum ex peccato Adami debilitatum homini descendenti de Jericho quem gravibus sauciatum confossumque vulneribus semivivum latrones in via reliquerunt. Et inde patet responsio ad omnia loca quæ opponi possent ex scriptis S. Augustini contra Pelagianos, quibus freti adversarii in præsentem assertionem gratis insurgerent.

4. *Objectio.* Saltem Augustinus liberum arbitrium eo sensu quo illud defendunt catholici e medio tulit, lib. 83. quæst. qu. 66. Enchir. cap. 118. exponens quædam verba Apostoli ad Romanos, lib. 6. contra Julia. cap. 23. lib. 1. ad Bonif. cap. 8. lib. 1. ad Simplic. quæst. 1. quadruplicem humani generis statum distinguit, ante legem vel sine lege, sub lege, sub gratia, in pace vel in patria. Juxta hunc sanctum Doctorem in primis duobus non erat libertas ad concupiscentiæ resistendum bonumque faciendum, cum eo tempore nondum esset homo per gratiam redemptoria a concupiscentiarum suarum damnatione liberatus, sicque ut bonum operaretur nullo modo libera erat voluntas, sed sub concupis-

cupiscentiæ lege captiva teneba-tur. Peccatores autem quasi fiut in duplici hoc statu quamdiu iniquitas eis dominatur, judicandi sunt, proindeque libertate qua bonum possint operari, & malo resistere illos carere dicendum est.

Resp. Quam longe recedunt a Sancti Doctoris sententia, qui existimant citatis locis illum aliquid proferre, quod liberi in homine arbitrii existentiæ adversetur, cum ex opposito illud in homine vel demonstret vel supponat. Si enim per gratiam Christi illud perficitur, & ex infirmo, ut factum erat per peccatum, vegetius redditur ad bonum quod per se non potest, illud esse in homine evidenter supponit, cum prius sit aliquid esse quam perfici, viresque acquirere. Quid igitur intendat Augustinus diligenter advertamus. Tam liberum non fuisse gratiam ante Verbi incarnationem quam postea, significat. Unde cum tanta non foret Divinorum auxiliorum abundantia, minus resistebatur concupiscentiæ qua ad malum hominum voluntates fortius propellebantur, & sub illius imperio captivus magis homo tenebatur. Non tamen in eo perierat libertas qua posset bene aut male agere, alioquin ante gratiam quæ per Jesum Christum facta est, peccatum non fuisset in mundo. Neque enim, ut ostendimus ex Augustino, non imputatur ad peccatum quod vitari non potest. Quomodo vero peccatum vitare in homini fuisset potestate, qui libertate ad non peccandum requisita caruisset? Nec obstat quod dicat Hipponensis lib. 2. ad Bonif. cap. 3. aliisque locis arbitrium hominis indigere gratiæ liberatricis, quæ illi ad bonum conferat libertatem. Hæc enim libertas est de qua ibi loquitur, qua aliquo modo carere dici potest, dum docet, quod liberum hominis arbitrium nisi gratia adjuvetur non nisi ad peccandum valet, quod si adsit adjuvans gratia, libertas accedit, qua ad bonum valeat. Nihilque ibi reperitur quod in omnibus fidem catholicam non sapiat. Quantumvis activa ind sufficientia donetur voluntas, propensior est ad malum homo quam ad bonum ob prementem undequaque concupiscentiam, & ad bonum potens redditur per Dei gratiam quæ vincit concupiscentiam, voluntatemque inclinat ad bonum, quod sic adjutus prosequitur & perficit homo ex libero voluntatis arbitrio.

Licet mox allata responsio sit ad propositum, & juxta vera Divi Augustini principia, alia nihilominus posset adhiberi, adhuc fortasse ab ipsius intento minus aliena potissimum si rationem propter quam de peccatoribus loquens quadruplicem hunc naturæ humanæ statum commemorat, perpendamus. Certum est ea quæ circa genus humanum operatus est Deus, prototypum esse eorum quæ quotidie operatur quoad peccatoris justificationem. Priusquam ad tertium statum qui est sub gratia perveniat peccator ad Deum redire sincero animo volens, duplicem statum ante legem, & sub lege percurrat oportet. In primis duobus non est libertas ad vincendam concupiscentiam bonumque faciendum, id est, adhuc infirmus peccator qui est sub lege peccati, etsi novam vitam inchoaverit, ad Deum reverti toto corde desiderans, non habet tamen sat virium ad totaliter domandam concupiscentiam, cujus ex nimia peccandi consuetudine, frequentiores sunt impetus & fortiores, unde adhuc, etsi rarius, in peccata relabitur, donec gratia in dies potentiori adjutus, liberetur tandem a peccato, vel a lege, & ad tertium statum, gratiæ scilicet, perveniat, in quo devicta concupiscen-

tia

na quæ a bono illum removebat, in pristina peccata non labitur, sed in Dei servens opere virtuti firmiter adhæret, ab illa Deo adjuvante, numquam recessurus, sicque feliciter ad statum pacis perventurus, in quo a miseria omnimode liberatus Deum possidebit cum illo sine fine victurus. Dominatum concupiscentiæ, ac difficultatem ad bonum quam experitur peccator ante legem & sub lege, libertatis privationem appellare placuit Augustino, qui nihil de libertate naturæ aut a necessitate eo loci cogitavit, nec de ea verbum ullum facere in mente habuit. Ut autem præsenti responsione nos scopum sancti Doctoris attigisse plene innotescat, quædam juvat afferre ex iis quæ habet in expositione quarumdam quæstionum, seu propositionum epistolæ ad Rom. num. 30. *Ante legem*, inquit, *sequimur concupiscentiam carnis . . . non pugnamus, quia non solum concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata . . . . . Sub lege pugnamus & vincimur: fatemur enim mala esse quæ facimus, & fatendo mala esse, utique nolumus facere, sed quia nondum est gratia, superamur. In isto ergo gradu ostenditur nobis quomodo jaceamus, & dum surgere volumus & cadimus, gravius affligimur. . . . . Tertia actio est quando jam firmissime credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis malæ . . . . pugnamus & vincimus. Quod cum fit, tametsi desideria quædam carnis, dum in hac vita sumus, adversus spiritum nostrum pugnent, ut eum ducant in peccatum, non tamen his desideriis consentiens spiritus, quoniam fixus est in gratia & charitate Dei, desinit peccare.* Hæc attento animo perpendat diligens lector, & in his Augustini verbis, quæ peccatorem sub lege pugnantem, etsi vincatur, ac mala quæ facit (non necessitate, sed libere) aliquo modo facere nolentem, atque volentem surgere, sed adhuc cadentem, inducunt, radios humanæ libertatis etiam ab omni necessitate immunis, undequaque diffusos agnoscet, sicque argumenta quæ ex illo iis in locis proponuntur, vix esse ad propositum nobiscum prædicabit.

Nec Jansenium existimamus audiendum, si dicat Augustinum Juliano contradicere, eo quod vellet Julianus in hoc statu esse hominis libertatem, quod in utramque contrarietatis partem, bonum nempe & malum, posset arbitrium indifferenter se flectere: omni enim caret probabilitate effugium illud, & oppositum ex ipso Augustino demonstratur. Inter ipsum & Julianum eo se vertebat disputatio, quod liberum arbitrium sibi ipsi sufficere ad bonum independenter a Divinæ gratiæ auxilio defenderet Julianus, non autem quod libertatem in activa indifferentia reponeret, quasi id aliquando negasset Hipponensis. Idque ita verum est ut inter utrumque non agatur nisi de gratiæ Christi necessitate. Sic enim disputationis statum exponit S. Doctor lib. de grat. Christi cap. 47. *Si consentit Pelagius etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus . . . . , nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Et cap. 29. Pelagio dicenti necessariam esse gratiam ad facilius, responderat Augustinus: *tolle facilius, & non solum plenus verum etiam sanus est sensus.* Variis in locis dicit S. Doctor, secum Pelagianis consentire in asserendo libero arbitrio. *Liberum in hominibus esse arbitrium*, inquit lib. 2. de nupt. cap. 3. *& Deum esse omatum*

Q 2 con-

conditorem utrique dicimus. Non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Hinc refellitur Jansenius dum sincere minus, præf. in lib. 6. de gratia Christi, ideam illam libertatis, quæ sit potestas agendi indifferenter & non agendi, dicit propendere in Pelagianorum & Semipelagianorum errores. Quid inter Augustinum & Pelagianos erat concertationis ostendimus. De viribus liberi arbitrii quod ad bonum valere absque gratia dicebat Pelagius, non de illius natura, requireretur ne indifferentia ad opposita vel non, agebatur. Unde post verba ultimo loco relata sic prosequitur Augustinus: *Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, & non erui parvulos a potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen, atque ut nefaria vocabula terreas imperitos?* Quare autem S. Doctor commune dixisset dogma, si cum Pelagianis de notione libertatis non convenisset? Evanescit ergo Jansenii commentum nullo nixum fundamento, & ipsius zelis sicut & hæreticorum frustra jactatis, inconcussa manet assertio. Nec adversus illam militat quod dicunt Pelagium damnatum fuisse a Patribus Diospolitanis & Arausicanis, eo quod diceret liberum arbitrium in nobis remansisse sicut in Adamo: & merito quidem fuit damnatus, non quia nos liberi esse arbitrii dicebat, sed ex eo quod volebat liberum arbitrium in nobis esse quale fuit in Adamo innocente, quod falsum est. Per peccatum enim Adæ liberum arbitrium debilitatum est, ut dicetur ubi de peccato Originali, attenuatum est, unde erronee docebat Pelagius peccatum primi hominis ipsi soli nocuisse, non autem ejus posteris.

5 *Objecta.* Tunc vere liberi sumus libertate sufficienti ad meritum vel demeritum, quando illud quod facimus vere est in nostra potestate, ita ut illud faciamus quia volumus: ubi autem est libertas a coactione, quod facimus ita est in potestate nostra, ut illud faciamus quia volumus: etenim juxta fere omnes sanctos Patres, veteresque Theologos, sola coactio opponitur voluntati, unde dicunt ea fieri libere quæ sponte fiunt, & ideo fere semper libertatem explicant per exemptionem coactionis & violentiæ, illudque liberum & voluntarium reputant quod vi & coactione caret, licet nulla sit in operante indifferentia ad oppositum. Gratis igitur talis indifferentia requiritur in præsenti statu ad merendum vel demerendum.

Resp. nullius esse ponderis quod opponitur, nihilque ex hac argumentatione in nos concludi ita evidens est, ut responsione vix locus sit. Ne autem difficultatem, si quædam esset, vitare videamur, dicendum quod propositio major est mera petitio principii: inde enim quæstio procedit, utrum ad meritum sufficiat voluntarium, vel utrum requiratur liberum simpliciter, id est seclusa quacumque necessitate. Quod facimus necessario, est in nostra potestate, si illud facimus: sed illud non facere, in nostra non est potestate. Illud facimus quia volumus, sed illud non velle, non est penes nostra potestate. Unde libertas a coactione liberum proprie dictum non constituit, ideoque ad meritum & demeritum est insufficiens. Nec aliquid roboris additur ex eo quod pletique Patres ac veteres Theologi dicant ea quæ sponte fiunt libere fieri: non enim distinguebant inter coactionem & necessitatem, & cum dicebant voluntatem non co-

cogi, non necessitari, volebant illam remanere indifferentem, & eligere unum aut alterum ab ipsa pendere, sicque actum in ipsius remanere potestate. Hinc mirum non est si libertatem explicent per exemptionem coactionis quæ in eorum mente omnem antecedentem necessitatem designabat, sive hæc esset ab extrinseco, ut est coactio, sive ab intrinseco, ut est necessitas. Probandum ergo esset illos omnes existimasse voluntatem liberam esse, licet electio in ipsius non esset potestate, & ad unum determinaretur tali modo ut determinationem sequi vel non sequi ab illa non penderet. Illud autem nunquam probari poterit; contrarium potius ex eorum verbis fit manifestum.

Quæcumque sit assertionis confirmationem, tam ex Patribus, quam ex Scripturis, adduximus aut adduci possent, nihil concludere videntur Jansenio pro activa indifferentia: in iis enim homo dicitur hypothetice tantum, non absolute posse agere, vel non agere, consentire, vel dissentire, si velit, ex quo non sequitur hominem vere & absolute loquendo indifferentem esse ad agendum aut non agendum, sed sensum esse, hominem si dissentiat posse dissentire, si velit, quia idem est, inquit, dissentire ac velle dissentire. Sed quam miserum sit illud effugium, est observatu inutile, illudque serio fuisse prolatum vix crediderim, & non nisi ad eludendas Scripturæ, Patrum ac conciliorum auctoritates videtur adinventum. Eo sensu accipienda sunt eorum verba, quod semper sit homini liberum operari vel non operari, & in sensu composito & in sensu diviso, ut vulgo satis loquuntur quamplures Theologi cum philosophis, ita ut homini bonum facienti, non facere sit liberum, & bonum non operanti, simpliciter & absolute bonum operari sit liberum. Aliunde inintelligibilis & frivolus est sensus ille qui Scripturæ, Patribus ac conciliis affingitur. Nonne revelatione & Ecclesiæ definitione opus erat, ut scirent fideles hominem posse præcepta Dei observare si ea observet, posseque illa transgredi si ea transgrediatur? Quid non est excogitandum homini contra veritatem invita ratione pugnare desideranti? Agnoscant ergo Jansenii defensores, si aliquot supersint, contra Scripturæ Sacræ auctoritatem, Ecclesiæ definitionem, Sanctorum Patrum ac Theologorum unanimem consensum sentire, quicumque ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ sufficere libertatem a coactione existimant, non vero requiri libertatem a necessitate, illosque inter Hæreticos esse annumerandos, sciant.

ASSERTIO SECUNDA.

Libertas contradictionis & exercitii pertinet ad essentiam libertatis, non ita est de libertate contrarietatis ac specificationis.

Contra præsentis assertionis veritatem qui reclamant satis non attendunt, quidquid ad libertatis essentiam pertinet, ad cujuscumque naturæ intellectualis voluntatem spectare, licet illud in Deo & in creaturis diversimode in aliquibus se possit habere. Hinc est quod indifferentia contrarietatis seu specificationis quæ est ad posse peccare, quæque proinde in creaturis non nisi defectus aut imperfectio libertatis dici debet, nec voluntati Divinæ, nec voluntati Beatorum convenire potest, qui perfecte liberi, nec peccare, nec velle peccare queunt, etsi indifferentia activa, qua actum ponere vel ab illo abstinere valent, revera donentur, unde liber-

bertate essentiali (ut Doctoris Subtilis mentem sequamur, quid quid in contrarium parum Scotistæ quidam dicere non vereantur) quæ quamcumque necessitatem non excludit, gaudent. Per indifferentiam ergo activam liberi arbitrii natura constituitur, ad quam non pertinet posse deficere, quod de essentia rerum esse nequit, sed est illarum imperfectio. Unde lib. 22. de civit. cap. 30. dicebat Augustinus: *Deus ipse numquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?*

Ut autem plenius innotescat præsentem sententiam gravissimo niti fundamento, illiusque veritatem minime posse in dubium revocari, audiatur idem S. Doctor illam expresse tenens lib. 2. operis imperf. con. Julian. cap. 100. his verbis: *Si liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum, liber Deus non est qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, verumque dixisti: Deus esse nisi justus non potest. Siccine Deum laudas ut ei auferas libertatem?* & cap. 102. *ergo nec in Deo est arbitrii libertas quia malum facere non potest, sicut negare seipsum non potest, qui & nobis summo præmio largitur est, ut non quidem ipsi Deo, sed tamen Angelis ejus æquales, nec nos peccare possimus.* Lib. 2. de lib. arb. cap. 1. de ratione agens propter quam homini libertas data est, hæc habet: *Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc Deum illam dedisse credendum est. Satis ergo causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illa homo non potest recte vivere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi potest, quia si quis eo usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. Quod injuste fieret si non solum ut recte viveretur, sed etiam ut peccaretur libera esset voluntas data.* Ut bonum operaretur homo, illudque libere operans meritum haberet, non vero ad malum perpetrandum, libertatem illi datam docens Augustinus, non obscure indicat illam peccandi potestatem, quæ est imperfectio ac defectus libertatis in quocumque statu consideretur, non esse de libertatis essentia, quæ per mediorum electionem, dominium ac indifferentiam constituitur. Et frustra in alium sensum prælaudata illius verba detorquerentur.

Libertatem a necessitate ad essentiam libertatis generaliter loquendo non pertinere adeo est juxta principia Doctoris Subtilis, ut teneat libertatem essentialem & dominii stare cum necessitate, soli que opponi coactioni, & solam libertatem contingentiæ opponi necessitati. Dicit enim quodl. 16. num. 10. cum necessitate ad volendum stare libertatem in voluntate, illudque probat ex D. Augustino: *Oportebat prius hominem fieri, ut posset bene velle & male, nec gratis, vel frustra, si bene, nec impune, si male ... postea vero sic erit, ut male velle non possit, nec ideo libero carebit arbitrio: multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato.* Quod confirmat ex S. Anselmo juxta quem voluntas Divina necessario vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera. Ejusque libertas in eo sita est, quod delectabiliter & eligibiliter elicit actum suum & in illo permanet. Et in hac sententia sibi constans Scotus, voluit libertatem in voluntate esse perfectionem simpliciter simplicem, non illi superadditam, sed ad ipsius naturam spectantem. Unde fit ut libertas non sit necessario ad posse peccare, quod potest ex imperfectione, quapropter dicit Anselmus lib. de lib. arb. c. 1. ut aliquid absque dubio *posse peccare non est libertas, nec pars libertatis.* Essentialem illam libertatem qui improbaut,

bane, Scoti principiis parum stant, ipsiusque mentem minime assequuntur. Neque enim ut falso existimant, certam libertatis speciem ipse excogitavit. De libertate loquens naturæ rationalis seu intellectualis, aliam vocat libertatem dominii & essentialem, aliam libertatem contingentiæ seu accidentalem. In eo consistit libertas essentialis, quod potentia libera ut est voluntas, sit domina actuum suorum, & ex se ipsa se determinet, aut possit se determinare ad actum, & ab alio agente superiori non determinetur ex præsupposita cognitione finis, qua præsupposita se determinat ad unam partem, vel contradictionis, vel contrarietatis. Hinc quando voluntas est per essentiam recta, & objectum infinite bonum, necessario se ipsam determinat ad illud amandum. Et in hoc differt ab agente naturali, quod sine electione præcedente determinatur ab alio superiori agente. Fundatur ergo præcise libertas essentialis, in indeterminatione dominii, cum scilicet agens habet dominium sui actus, seque determinat ad aliquid agendum, sive id necessario fiat, sive contingenter. Libertas vero accidentalis funditur in indifferentia contradictionis, & inseparabiliter connexa est cum contingentia. Componitur libertas essentialis cum necessitate nedum secundum quid & immutabilitatis, sed etiam simpliciter ac omnimodæ inevitabilitatis. De hac libertate essentiali loquitur in 1. dist. 10 & quodl. 16 Scotus, dum dicit necessitatem stare posse cum libertate, & talem esse libertatem qua Deus necessario se diligit, & Spiritus Sanctus spiratur. Et hæc libertas essentialis convenit omni prorsus voluntati, tam creatæ quam increatæ, ac respectu cujuscumque objecti, & libertatem accidentalem seu contingentiæ non excludit, imo illam in multis supponit.

Ex sic expositis circa libertatis essentiam Scoti principiis facile intelligitur, quomodo Christus, qui, supposito Dei præcepto de morte subeunda, non potuit non mori, liber tamen fuerit ad moriendum, dicente ipso, *nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso*. Absolutum circa ipsius mortem erat Dei decretum. Hinc non obtemperare penes Christum non erat, qui aliquid velle divinæ voluntati oppositum non poterat: libere nihilominus mortem Crucis Christus subiit, utpote qui suorum actuum vere dominus, non ab alio ad exequendum patris mandatum fuit determinatus, sed a se ipso, qui sponte & ex electione, ad mortem cui ex superiori decreto subjacebat, volens se obtulit juxta illud Isaiæ, *oblatus est quia ipse voluit*. Fictitium est, omnique carens fundamento, quod quidam excogitarunt dicentes, Christum circa mortem quam pro nobis tulit, fuisse liberum, eo sensu, quod se posset construere vel non, in talibus circumstantiis in quibus urgeret patris præceptum. Neque enim hoc supposito præcepto, non poterat se non constituere in illis circumstantiis, quæ quatenus dirigendæ per scientiam mediam, gratis in hac hypothesi finguntur. Siquidem hoc semel admisso, quod nusquam concedemus, obedientia Christi penderet a puris accidentibus, aut a rebus absolute contingentibus, ut sunt circumstantiæ loci, temporis, hominum injuste illum odio habentium ac persequentium, aliaque id genus, quæ in Judæorum aliorumque erant potestate, eorumque libero arbitrio subjacebant. Quæ si non occurrissent circumstantiæ, & absolute poterant non occurrere, cum ad illud Deicidium perpetran-

perrandum nimime fuerint Judæi ducti necessitate, Christus præceptum Patris circa mortem non observasset, quod nec potest excogitari. Deficit igitur omni ex parte fictitius ille Christi libertatem explicandi modus, difficultatem haud solvens, quæ facilior modo ac veriori solvitur, bene intellecta ad Scoti mentem hac libertate essentiali fundata in ipsa determinatione dominii, ratione cujus ad mortem Crucis ferendam libere se determinavit Christus in omnes actus suos dominium habens, liberæ ipsius determinationi non obstante absoluto patris mandato.

Attente nimis Doctorem Subtilem perlegerent oportet Pseudoscotistæ, qui, ipsi non adhærere libertatem essentialem admittentes, leviter nimis pronunciant, illamque ab ipsis tertiam vocari libertatem infulse dicunt. Se in doctrina illius parum versatos talia proferentes ostendunt, præsertim dum illos hac libertate Jansenio favere falso existimant. Scoti principiis male intellectis abutens Jansenius, de libertate arbitrii sufficiente ad meritum, quam voluntas in mediis eligendis exercet, quæque libertas contingentiæ est & accidentalis, homini viatori propria, interpretetur ea quæ dicit Doctor de libertate essentiali, quid inde? Sacræ Scripturæ verbis ac Sanctorum Patrum dictis sæpe sæpius abutuntur Hæretici, illa in suas partes trahere volentes: ergo ne librorum Sacrorum ac Patrum testimonia propterea missa faciemus? Num in illa errantium fraudem, hallucinationem, aut delirium aliquando refunderemus? Deum amene Beati, seque Deus amet necessario, libere tamen, nihil inde concluderetur. Hæc libertas est partiæ; sed cum de merendo agitur, de libertate viæ

quæstio procedit, & illam ab omni necessitate diximus immunem. Ad illam pertinet posse peccare, non ut natura est, sed ut imperfecta est, ut jam observavimus.

Ad naturam libertatis non pertinere indifferentiam contrariétatis Angelicus Doctor prius dixerat in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2. his verbis: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet ut indeterminate se habeat ad bonum vel ad malum, quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat nisi propter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum, cum non sit voluntas nisi electio nisi boni, aut apparentia boni. Et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium ibi in malum tendere non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut alterum aliquam facere, vel non facere possit: & hoc Deo convenit, bona enim quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest.* Ab hac doctrina non recedens hæc habet quæst. 22. de veritate, art. 6. *Velle malum nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum.*

Certissimum est voluntatem ad ea quæ habent rationem finis, esse naturaliter determinatam, & circa ea non esse liberam, sed circa ea quæ sunt ad finem, videlicet ad media. Illam autem in mediis eligendis posse a recto deflectere, sicque deflectendo posse peccare, ex imperfectione illud habere qui dubitarent, de perfectione libertatis prave sentirent, utpote qui illam imperfectionem sub ementito perfectionis nomine Deo adscriberent. Etenim est certo certius nullam esse in creaturis perfectionem quæ non sit in Deo vel formaliter, vel quæ virtualiter non emanet a Deo. Potentia ergo peccandi si quamdam speciem induit

per-

perfectionis in Deo est admittenda, vel si ab ipso eliminanda, perfectionem esse negetur.

Esto, dicet aliquis, quod potestas peccandi non sit perfectio libertatis absolute aut generice sumptæ, nihilominus libertatis viæ erit perfectio, ejusque pars. Sed contra: quia est potestas peccandi, nisi facultas abutendi perfectione arbitrii a Deo accepta, illa utendo ad malum contra Dei intentionem. Ex quo autem posse abuti perfectione pro perfectione reputari posset, cum ex opposito sit verus & realis perfectionis defectus? Insuper, quid est posse peccare, præter posse recedere a Deo? Sed omnis perfectio accedit ad Deum cujuslibet perfectionis fontem & oceanum. Cum itaque per peccatum libertas exerceatur deficiendo & deviando ab ordine debito, quod est summum imperfectionis genus, potestas peccandi in homine viatore maxima imperfectio dicatur necesse est; illudque a quo proficiscitur infelix illa potestas ad libertatis essentiam non pertinere ab omnibus concludatur, ne ipsis dicare possimus quod Juliano aliquando dicebat Augustinus sic illum alloquens lib. 5. operis imperf. cap. 38. *Putas ad naturam liberi arbitrii pertinere ut possit utramque, & peccare scilicet & non peccare, & in hoc existimas hominem factum ad imaginem Dei, cum Deus ipse non possit utramque. Neque enim vel demens quisquam dixerit Deum posse peccare, aut tu dicere audes Deum liberum arbitrium non habere . . . In ipso Deo summum est liberum arbitrium, qui peccare nullo modo potest.*

Cæterum, libertatem contradictionis pertinere ad essentiam libertatis ulterius probare esset superfluum ex eo, quod ostenderimus libertatem consistere in activa indifferentia necessitatem quamcumque excludente, saltem ad merendum in præsenti statu, & insuper probatum maneat libertatem contrarietatis non esse de natura libertatis, restat etiam probatum illam contradictionis libertatem esse absolute & essentialiter de ratione liberi arbitrii in quocumque statu.

ASSERTIO TERTIA.

Ex eo quod activa indifferentia sit de ratione essentiali liberi arbitrii non sequitur libertatem esse reponendam in æquilibrio inter vires delectationis voluntatem ad consensum præbendum inducentis, & vires quas habet voluntas ad illum negandum: nec potest absque temeritate vera libertatis idea ad illud reduci æquilibrium.

QUI æquilibrium illud ad libertatem veram necessarium judicant, quot conclusiones aut corollaria errori proxima ex tali systemate deducantur, fat non advertunt. Hoc semel admisso nullum erit fere discrimen inter justos & injustos: facilior non erit virtus homini ab adolescentia bonum operanti, quam homini ab adolescentia cupiditatibus dedito. Majorem non experietur difficultatem ad virtutem excolendam qui numquam a vitiis abstinuit, quam ille qui a piis operibus numquam cessavit. A sceleribus longius non distabit qui divinorum mandatorum viam semper cucurrit, illo qui nusquam in lege Domini meditatus in via peccatorum perpetuo stetit, eademque facilitate a recto tramite deflectere poterit vir religiosus ac timens Deum, ac ille qui ab iniquitate nusquam recessit. Utriusque enim libertate in æquilibrio constituta, ad unam partem potius quam ad aliam neuter feretur, sicque uni ex habentibus

bus vitiosis nihil utilitatis accedet, nihilque damni ex habitibus peccaminosis alteri adveniet. Quod quam sit rationi ac experientiæ adversum nullus est qui non videat. Rem autem sic se habere est ostendere facillimum. Tam in homine pio quam in illo qui pravitate caret, non obstantibus virtutum aut vitiorum habitibus, vires delectationis, sive cælestis, sive terrenæ, voluntatem, tum ad malum, tum ad bonum inducentis, sunt in ratione reciproca virium quas habet voluntas ad non consentiendum, alioquin libertate careret. Ergo neuter fortius feretur in unam partem quam in aliam. Neuter fortius inclinare valet in unam partem quam in oppositam, quin tollatur æquilibrium, quo sublato in illo sistemate tollitur & libertas. Si absurdum consequens, ut patet, idem erit de antecedente.

Insuper hoc admisso nusquam facilis improbando sistemate, nullum fere peccatum erit quod imputari possit justeque puniri. Etenim nullum est peccatum quod non sit voluntarium, & non potest reputari voluntarium ad demeritum quod non est liberum. Omne ergo peccatum quod a concupiscentia dominante & impellente originem habebit, nec puniri poterit aut imputari. Pugnantia defenderet qui vellet in homine fluctibus concupiscentiæ pressato libertatis æquilibrium remanere. Si igitur ubi non est æquilibrium non est libertas, homo premente graviter concupiscentia inculpate peccabit. Præterea illud sistema nequit defendi quin ad errores Pelagianorum aut Calvinistarum accedatur. Posito libertatis æquilibrio propriis viribus bonum homo faciat oportet, non expectato gratiæ adjutorio. Voluntas non potest a gratia efficaciter moveri quin tollatur libertatis æquilibrium. Quid enim in voluntate operatur efficax gratiæ motio? Illam allicit, illam inclinat, illius vincit resistentiam, cum ex nolentibus, ut loquitur Augustinus, faciat volentes, cordis duritiam auferendo. Illud suaviter, nullam necessitatem inferendo, gratia operatur verum est, sed quomodo illud, illæso tali libertatis æquilibrio, operetur gratia non videtur. Illa moraliter aut physice præmovente voluntatem, talem motionem infallibiliter sequitur voluntas, cum effectus sit ab illa motione inseparabilis, agitur enim de gratia per se efficaci. Tunc autem vel aliquid addit voluntati motio Divina, vel nihil addit. Si primum, libertatis tolletur æquilibrium. Eodem enim modo de potentiis moralibus respective ac de potentiis physicis ratiocinari licet. In physicis dum duobus ponderibus in æquilibrio positis aliquid uni eorum additur, æquilibrium necessario tollitur, sic in moralibus, voluntate in æquilibrio constitutæ ratione libertatis, aliquid addatur per Divinam motionem, tollitur necessario illud æquilibrium, sicque voluntas humana, sub motione gratiæ per se efficacis libera non remanebit. Quod ita verum est in sistemate æquilibrii de quo agitur, ut qui illud defendunt, vel illud tacitus supponunt, præmotionem physicam libertatem adimere plenis faucibus prædicare non desistant, de præmotione morali & omni gratia per se & ab intrinseco efficaci idem sentientes, licet voce demissiori illud loquantur quod utrumque nonnisi credulæ juventuti, aut hominibus leviter credentibus & ex præjudicata opinione, suadere aliquando potuerunt. Si voluntati humanæ nihil addit motio Divina, quomodo liberum arbitrium per gratiam ad bo-

bonum adjuvatur? Propria virtute bonum operabitur homo, proindeque non erit illi gratia absolute necessaria, quod excogitavit Pelagius cum fuit affectu de naturæ viribus nimium superbiens. Quod si concedant Divinum adjutorium aliquid addere voluntati, cum illud quod illi superadditur sit voluntati humanæ extrinsecum, per illud tolli æquilibrium concedant oportet, proindeque ex eorum principiis sequi gratiam efficacem voluntati humanæ inferre necessitatem, quod Calvinus volut, fateri tenebuntur.

Nec audiendi sunt si dicant nos ipsis consentire dum dicimur, per motionem Divinam in systemate gratiæ per se efficacis necessario tolli libertatis æquilibrium, unde sequi videtur per illud extrinsecum voluntati humanæ superadditum, & æquilibrii destructivum necessitatem voluntati inferri, ex qua necessario libertas arbitrii tollitur. Id enim gratis & sophistice diceretur. Magnum est discrimen inter tollere æquilibrium libertatis, & ipsam tollere libertatem. Primum certissime tollit gratia efficax, sicut & premens concupiscentia, cum utraque circa respectivum objectum voluntatem inclinet, & eo fortius quo potentior est aut gratia aut concupiscentia, hæc ad malum excitans, illa ad bonum movens. Alterum nec gratia nec cupiditas tollit. Sublato prædicto libertatis æquilibrio ad ipsius naturam minime pertinente, nullomodo perinde tollitur indifferentia activa libertatem constituens, ratione cujus voluntas humana fertur in electione in unam partem vel in alteram pro ut illi placet, & delectationi cœlesti non minus quam delectationi terrenæ proxime & complete potest non obedire, etiam eo tempore quo illis consentit. Unde & fictum illud libertatis æquilibrium rejecimus, & libertatem ipsam ut fidei dogma defendimus. Nihilque in nos concludetur, donec probatum fuerit libertatis æquilibrium, & activam indifferentiam quam admittendam ab omnibus catholicis ostendimus, esse unum & idem, ita ut defectus unius defectum alterius necessario importet, quod est probatu impossibile. Hinc merito assertum est, non posse absque temeritate veram libertatis ideam ad illud reduci æquilibrium. Nonne temerarium iis quæ ad fidem pertinent addere, cum nec Scriptura, nec Patres, nec Ecclesia illud addendi præbent occasionem, præsertim si ea quæ adducuntur, cum consectariis ad fidem conciliari nequeant, ut in casu præsenti? Cætera quæ fluunt ex æquilibrii systemate corollaria nimium a veritate aliena tacenda judicamus, ne vana & superflua tractare videamur. Unum duntaxat, ante quam præsenti sectioni finis imponatur, observandum occurrit.

Cardinalis Bellarminus in suo egregio opere de controversiis christianæ fidei tom. 4. tertiæ controversiæ generalis lib. 3 de grat. & lib. arbitr. cap. 4. recensitis Hæreticis qui recenter liberum arbitrium in statu præsenti impugnantes solam coactionem non autem simplicem necessitatem libertati oppositam prædicabant, dicit quod ad eamdem sententiam, videtur accessisse Alphonsus noster de Castro, lib. 9. ubi tractans de libertate hæc habet: *Est libertas quæ opponitur necessitati, vel ut verius dicam coactioni.* Verum, addit Bellarminus Alphonsum satis aperte indicare se per coactionem intelligere quamlibet determinationem ad unum, solumque illum videri in modo loquendi a communi sententia recessisse. Li-

cet

eet illum ex parte vindicate videatur Bellarminus, cum ex ipsius loquendi modo in suspicionem Alphonsus venire potuisset apud quosdam eam docti Cardinalis auctoritate ductos, mentem Alphonsi aperire non abs re erit, ut ipsum ab Hæreticorum placitis, etiam quantum ad libertatem fuisse omnimode alienum plene innotescat, nec non inutilem satis & absque fundamento esse illam Bellarmini observationem, Alphonsi intento e diametro oppositam.

1. Quidem ipsius intento evidenter contrarium Hæreticos circa libertatem hominis errantes impugnant Alphonsus, illosque convincere tentans, non ignorabat Lutheranos contra quos præcipue agebat, non negare liberum arbitrium si sola requireretur libertas a coactione, bene vero si de sola libertate a necessitate quæstio moveretur. Cum ergo adversus illos scribens libertatem quæ opponitur necessitati, aut verius coactioni videtur statuere, illud fecit ex industria, ob tria motiva. Unum, ut adversarii non existimarent illum per hanc necessitatem intelligere solummodo infallibilitatem, effectus qui, supposita Dei præscientia, etsi possit non sequi, absolute, attamen certissime sequitur, sublata quacumque necessitate saltem antecedenti, essentialiter in præsenti statu humanæ oppositæ libertati, cui non obstat infallibilitas futuri effectus ex Dei prævisione, cujus futuritio fundatur in libera voluntatis determinatione, sed illum loqui de vera necessitate, quæ licet rigorose loquendo non sit violentia aut coactio, aliquid tamen ex illa videtur habere quantum ad actum ex illa provenientem, quem necessario & non libere tunc homo exercet. Aliud motivum fuit ut omnem tolleret verborum ambiguitatem, ne de necessitate secundum quid, non vero de necessitate absoluta, Alphonsum esse intelligendum judicarent Lutherani, qui minime ignorabant Doctorem Subtilem a cujus doctrinæ Alphonsus non recedebat, quamdam admittere, ut superius observavimus, necessitatem cum libertate componibilem, quam libertati ad meritum requisitæ convenire posse, Alphonsum voluisse potuissent excogitare Lutherani. Tertium Alphonsi motivum reperitur ex libertate essentiali qua gaudent Beati in Cœlo Deum necessario, libere tamen diligentes, & qua Deus ipse bonitatem suam vult, & illam, licet non possit non velle, libere vult. Ut necessitatem quam libertati accidentali, ut loquitur Scotus, quam est hominis viatoris, non nocere novatores falso contendebant, illam se non intelligere in sensu libertatis essentialis agnoscerent Alphonsus, hanc nomine coactionis (improprie dictæ) voluit designare, ut se de vera necessitate cum humana libertate incomponibili in præsenti statu esse intelligendum omnibus redderet manifestum. Ad quod si attendisset Bellarminus non leviter adeo judicasset Alphonsum exacte minus fuisse locutum, quasi solum in modo loquendi etiam, recessisset a communi sententia, quam ipsum firmissime tenuisse cum evidens est quem quod magis,

2. Inutilem & absque fundamento Bellarmini observationem ostendunt ea omnia, quæ ad Lutheranos convincendos allegat eo loci Alphonsus, Scripturæ ac Patrum testimonia, ex quibus probat in homine extare arbitrii libertatem, tam contrarietatis, quam contradictionis, licet his vocibus non utatur. Hinc est quod hæc scribit quibusdam præmissis: *Quando ergo dicimus hominis arbitrium esse liberum, de hac libertate intelligimus: ita ut ea ratione dicamus eum esse libe-*

liberum quantum operatur potest non operari, & cum nihil operatur potest operari. Quod probat multiplici Scripturæ testimonio. Sic contra hæreticos explicat illud Deuter. *testes invoco Cœlum & terram ... elige ergo vitam*, &c. Electio non est nisi eorum quæ sunt in nostra potestate. Nullus enim proprie dicitur eligere id quod velit nolit erit futurum. Explicans locum quemdam libri sapientiæ ait: *Ecce apertum liberi arbitrii potestatem, ut ad quod voluerit converti possit.* Adducens vero exemplum Susannæ de qua apud Danielem, hæc habet: *Susannæ in angustiis positæ consultatio & electio apertissime ostendunt liberum hominis arbitrium, per quod præhabita consultatione quid de duobus sit eligendum, eligit quod sibi melius videtur reliquo rejecto. Cum a duobus senibus sollicitaretur ad turpia, cum gemitu ait, angustiæ sunt mihi undique, & quid eligam ignoro, si enim hoc egero mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus vestras. Huc usque ad consultationem pertinet. Audi deliberationem & electionem. Sed melius est mihi, inquit illa, incidere in manus vestras quam derelinquere legem Dei mei. Per hanc autem electionem elegit unam partem altera rejecta, quam potuisset amplecti. Ex quo facto satis manifeste convincitur liberum esse hominis arbitrium. Quoniam si non erat liberum illi alteram quam voluisset partem eligere frustra consultabat. Nullus enim est adeo fatuus ut de hoc consultet, an videlicet crastina succedet dies, an non: utrum igni consumet incendio materiam illi adjunctam, an non. Hæc enim sicut non subsunt nostræ potestati ut fiant vel non fiant, ita necessaria sunt, ut merito de illis quis consultare debeat.* Et tandem ut cæteris omnibus supersedeam, explicans hæc verba salvatoris Christi Luc. cap. 9. *Si quis vult post me venire*, sic loquitur: „ *Cum dic si quis vult*, nostram tuam libertatem, quibus subest posse & non velle cum nobis visum fuerit." His omnibus & cæteris locis Scripturæ & Patrum quibus utitur, adeo ad libertatem indicat Alphonsus pertinere activam indifferentiam excludentem quamcumque necessitatem, ut non possim non mirari, qua ratione & quomodo de illo quidam Bellarmino potuerit oriri suspicio, quasi hac in materia anceps videatur Alphonsus, quem in illius libris de hæresibus consulere poteris, quisquis de illius mente certior fieri volueris.

CONCLUSIO SECTIONIS.

TRiplicem libertatem a necessitate, a peccato, a miseria, id est arbitrii, consilii, complaciti, acceperunt in creatione protoparentes, inquit S. Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. illam in posteros feliciter transfundendam, si debitum Deo obsequium præstantes in justitia originali perseverassent. *Arbitrii libertatem, quæ est libertas a necessitate & æque & indifferenter Deo, universæque tum malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ quæ nec peccato, nec miseria amittitur vel minuitur, nec major in justo est quam in peccatore, nec plenior in Angelo quam in homine, habuit Adam, illamque tum post peccatum quam ante semper tenuit inconcussam: utriusque ulterius libertatis gradum, inferiorem simul cum plena libertate arbitrii homo in sua conditione acceperat, & de utroque corruit cum peccavit. Corruit unum de posse non peccare, in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate. Itemque de posse non turbari, in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad plenum libertas arbi-*

bi-

bitrii, per quam utique cæteras amisit, ipsum tamen amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem servus peccati factus merito perdidit libertatem consilii. Porro per peccatum factus debitor mortis quomodo jam libertatem valebat retinere complaciti? De tribus libertatibus quas acceperat, abutendo illa quæ dicitur arbitrii, reliquis sese privavit. In eo autem abusus est, quod illam cum accepisset ad gloriam, convertit ipse in contumeliam. Peccavit autem, quia liberum ei fuit. Nec aliunde profecto liberum, nisi ex libertate arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccavit ex posse quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia voluit. Quod in prima origine acceperamus, quid in secunda nobis supersit in his Bernardi verbis agnoscamus. Verum de iis quæ nobis supersunt, non in nostram ruinam abutamur, Deum perpetuo supplices exoremus, ut liberum nostrum arbitrium, etiam post peccatum, etsi miserum tamen integrum, quod ex se, ut loquitur Augustinus, *ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est nisi adjuvetur ab omnipotenti bono*, ipse adjuvet qui malum non potest velle, ut qui originali culpa nedum coinquinati, sed & collisi & confracti, & in omnibus viribus graviter vulnerati ex acervo illo lapidum super quem cecidimus omnes in Adamo, juxta Divi Bernardi verba „ Per summam Dei misericordiam, mediante omnipotentissima Christi gratia, in pristinum statum tandem restituti, transeamus ab ipso electi in consortium Angelorum & Beatorum, qui æternum Summo Deo necessario simul & libere adhærentes, ab Ipso non possunt deficere,

Lib. de corrept. & gr. c. 11.

ubi post innumeras hujus vitæ ærumnas, in qua quotidie experimur, quam liberum nobis sit ex arbitrio nostro non solum a coactione sed & a quacumque necessitate libero, nedum posse peccare sed & revera peccare, a misera peccati servitute soluti, plena & perfecta patriæ libertate, qua peccare & a bono deflectere in nostra non erit amplius potestate, totaliter gaudebimus, Dominum in ipsius domo habitantes in sæcula sæculorum laudaturi. "

SECTIO QUINTA.

De proprietatibus actuum humanorum.

Duplex est actuum humanorum proprietas, quæ cuilibet actui individualiter considerato ita competit, ut absque una ex duabus esse nequeat, bonitas videlicet & malitia. Indifferentia quæ alicui actui inesse potest quando in specie aut in genere consideratur, non dici debet actus illius proprietas, sed magis omnis proprietatis privatio & carentia. Duo præcipue in præsenti materia examinanda occurrunt. Unum, utrum bonitas vel malitia ita necessario humanis actibus conveniant, ut nullus ex illis esse possit indifferens. Alterum, unde sit repetenda illorum actuum bonitas & malitia. Quibus attente libratis concludentur quæcumque circa humanos actus susceperamus discutienda.

QUÆSITUM PRIMUM.

Utrum bonitas vel malitia actui humano in ordine morali considerato ita conveniat ut non sint admittendi actus indifferentes.

Quæstionem in moralibus maximi momenti hic suscepimus examinandam, brevius quam de-

deceret tractatum a nonnullis, qui in rebus minoris ponderis diutius immorantur. Ut autem in illius elucidatione omnis tollatur verborum ambiguitas, in memoriam revocetur, quod initio monuimus, dum ex utroque Doctore Angelico videlicet & Subtili diximus, ad actum humanum requiri rationem advertentem & voluntatem libere operantem, quæ duo si non adsint, actus est quidem hominis, sed non operantis ut homo est, non vero est actus humanus, qui procedit ab homine operante ut homo est, nimirum cum consilio & deliberatione, qua deliberatione seu advertentia, quove consilio actus hominis caret. Humanorum actuum quos morales dicimus, bonitatem aut malitiam, difformitatem aut rectitudinem, ex objecto, fine, & circumstantiis metiri debemus, quod est continuo observandum.

Duplici sub respectu actus humanus potest considerari, in genere nimirum seu in specie, & in individuo. Actus in specie aut in genere consideratur relative ad objectum a quo speciem desumit essentialem. Actus in individuo consideratus nedum relative ad objectum, sed & ad finem, & ad circumstancias. Unde actus deliberatus de quo duntaxat quæstio procedit, nequit poni in individuo, quin fiat ob aliquem finem, & cum aliquibus circumstantiis. Circa humanos actus sub duplici hoc respectu consideratos, quibus competunt bonitas vel malitia, magna movetur controversia, utrum scilicet actus humani, liberi nempe ac deliberati, ita necessario boni sint vel mali, ut inter actus bonos & malos nullum detur medium, eo sensu ut non dentur actus indifferentes. Fere apud omnes Theologos receptum est dari actus in genere aut in specie seu ex objecto indifferentes, quod minime negavit Doctor Subtilis, quid quid in contrarium fuerit dictum a nonnullis, qui, pace eorum dixerim, illum vel non legerunt vel non intellexerunt, cum de hac re apertissime loquatur. Quantum ad actus individualiter consideratos multum controvertitur, affirmantibus non paucis, negantibus quamplurimis. Primam partem qui amplectuntur, Scotum nostrum, dum affirmant dari actus indifferentes in individuo, existimant habere magistrum. Ipsis faveat ille an non, erit examinandum. Partem alteram, negativam nempe qui tenent, Divum Thomam ducem sequuntur. Hanc sententiam ut veriorem, vel potius ut solam veram amplectemur, etiam si a Magistro essemus hac in parte recessuri gravioribus ducti rationibus, ut ex sequentibus fiet manifestum.

ASSERTIO UNICA.

Dantur actus humani in specie seu ex objecto indifferentes: non vero dantur tales actus in individuo indifferentes, illis enim tam convenit bonitas moralis aut malitia, ut quilibet ex ipsis necessario bonus sit aut malus.

Actum humanum speciem essentialem habere ab objecto nullus est qui diffiteatur. Sicut ergo actus dicuntur ex sua specie boni quia tendunt in objectum de se bonum, & quidam dicuntur ex sua specie mali quia tendunt in objectum de se malum; ita illi appellantur indifferentes qui habent objectum de se nec bonum, & malum indifferens, seu secundum se neque consonum neque dissonum regulis rationis. Tales autem sunt plures actus voluntatis, ut ambulare, sedere, festucam levare, cupetere, qui ex objecto nec bo-

ni-

nitatem, nec malitiam habens, sed sunt ad utrumque indifferentes, illosque potest bonus finis honestare, aut malus vitiare. Quod vero tales actus dari voluerit Doctor Subtilis testantur ea quæ habet in 2 dist. 41 quæst. unica his verbis: *Sunt ergo multi actus indifferentes non tantum secundum esse quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse quod habent in esse morali, quia unum individuum potest esse tale, & aliud tale.* Ubi actus in individuo indifferentes si videatur admittere, de actibus in genere illud sine dubio admittendum supponit. Illud jam tenuerat Angelicus Doctor hæc habens 1. 2. qu. 92. art. 2. *Quidam sunt* (actus humani) *boni ex genere suo* ... *quidam autem sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vitiosi* ... *quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes.* Verum quidquid sit de actibus in specie, cum levis circa ipsos sit controversia, alteram assertionis partem firmare tentandum superest.

Non dari actus humanos in individuo indifferentes colligitur ex iis quæ scribit S. Augustinus, lib. 2 de peccat. merit. & remiss. cap. 18. *Mirum si potest voluntas*, inquit, *in medio quodam ita consistere, ut nec bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus & bona est, & si magis diligimus, magis bona; si minus, minus bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis vero dubitat dicere voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo* .... *Quo circa quod a Deo nos avertimus nostrum est, & hæc est voluntas mala. Quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.* Cum ergo nihil medium agnoscat S. Doctor inter voluntatem bonam & voluntatem malam, & aliunde quilibet actus oriatur a voluntate, sequitur quemlibet actum in ipsius sententia bonum esse aut malum, nullumque in individuo indifferentem esse admittendum. Eoque tendunt illa quæ habet epist. 82. quæ est ad Hieronymum, ubi de ceremoniis legalibus agens sic loquitur: *Cavendum est in hac disputatione, ne sicut Philosophi quædam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur: & urgeamur eo quod observare leges ceremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum aut malum, ut si bonum dixerimus, cogat nos quoque observare cogamur: si autem malum, non vere, sed simulate ab Apostolis observatas esse credamus.* Hæc Augustini verba quid directe opponantur videant adversarii.

Doctoris Angelici, quem sibi consentiunt esse oppositum, unum dumtaxat testimonium allegabimus desumptum ex quæstione 18 art. 9 ubi docens actum singularem & in individuo aliquam circumstantiam necessario habere per quam ad bonum aut malum trahatur saltem ex parte intentionis, illud sic probat. *Cum rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, & sic habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedente in individuo consideratum bonum esse vel malum.* Qui ab hac divi Thomæ doctrina recedentes actus in

individuo indifferenter dari contendunt, utrum se ipsos intelligant penitus ignoro.

Rationem sibi contrariam non possunt non agnoscere. Omne agens rationale agere propter finem, receptissimum est apud omnes. Finis autem quem sibi proponit homo ut homo est agens, vel bonus est vel malus, nec enim, quidquid dicere possint adversarii, esse potest aliquis finis indifferens. Quidquid enim fit, vel fit propter quod fieri debet, vel non fit propter quod fieri debet. Si primum, actus bonus est. Si secundum, actus malus sit oportet, etsi ex objecto bonus esset. Quod inculcat D. Augustinus lib. 4. cont. Julian. cap. 3. his verbis. *Quidquid bonum fit ab homine, si non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* De aliis circumstantiis quæ humanos actus concomitantur idem ferendum est judicium, ex ipsis enim aliquam bonitatem vel malitiam actus nostri necessario desumunt, cum in circumstantiis debitis vel in indebitis eliciantur necesse sit. Et si attente perpendantur ea quæ oppositæ sententiæ Patroni loquuntur, ipsos dum de actibus in individuo agunt, ad actus in genere seu in specie subito reverti videbimus, & quæ pro actibus in individuo consideratis probare sibi falso blandiuntur, non nisi pro actibus in specie consideratis aliquid probare, ipsos audire quisquis voluerit præjudicio liber, non difficile experietur. Ipsos sibi contrarios esse atque pugnantia loqui facile convincuntur. Actus humanus ut sit moralis, elici debet libere cum advertentia rationis ad aliquam regulam nostrorum actuum in ordine ad ultimum finem. Moralitas, inquiunt, præcise reponitur in actuum humanorum directione seu dirigibilitate ad regulas morum, quibus si sint conformes, dicuntur actus boni in genere moris, si vero conformes illæ regulæ non sint, actus mali dicuntur. Unde dicunt, & merito, tunc actum judicari bonum vel malum, cum illum ostendit ratio talibus regulis consonum vel ab illis dissonum. Addunt in ordine ad ultimum finem, cum eo rendat omnis recta regula, ut eam sequentes magis accedamus ad Deum ultimum finem, ita ut ab ea si recedamus, nos a Deo pariter recedere necesse sit. Quomodo his semel admissis defendere valent actum moralem in individuo indifferentem? ille enim, ex ipsis, dirigitur ad aliquam regulam nostrorum actuum, alioquin non esset moralis, & huic regulæ vel sit conformis, vel ab ipsa recedit; ex qua ergo parte se tenebit illius actus indifferentia?

Regula, inquiunt, ad quam omnes actus humani dirigi debent, est ipsa lex, sive interior, ut est conscientia, sive exterior ut lex divina, ecclesiastica, & civilis. Lex autem dividitur in præcipientem, prohibentem, & permittentem, unde actus dividunt in bonos, & præcipiuntur; in malos, & prohibentur; in indifferentes, & permittuntur, & ex hoc principio, (male intellecto, ac ex parte falso) sic discurrunt: datur lex permissiva seu indifferens, ergo dantur actus permissi, & indifferentes. O inauditum, & miserum argumentandi genus! siccine futilibus, & ridiculis cavillationibus rationi insidiantur, ipsamque obtenebrare conantur, quibus illam dirigere ac illuminare incumbit! quam inane sit ac labile illud adversariorum fundamentum interest demonstrare, ut ipsa ruat moles ædificii. 1. Falsum est legem dividi in præcipientem

tem

tem, prohibentem, & permittentem id gratis dicitur. Duplex est munus legis, ostendere facienda, indicare vitanda, ista vetare, illa jubere: omnis enim lex aut aliquid præcipit, aut aliquid prohibet. Quod autem ea permittantur quæ nec præcipiuntur nec prohibentur, illud non est ex actu aut munere legis, sed potius ex silentio legis de iis quæ nec imperantur nec vetantur tacentis. Quod dictum velim salva reverentia quæ debetur Angelico Doctori, qui 1. 2. quæst. 92. triplicem legis actum dicit, prohibere, præcipere, permittere, & infert exinde quod quidam ex genere suo sunt actus indifferentes, respectu quorum, inquit, *lex habet permittere*. Quod si valeret, contra ipsum legitime concluderetur dari etiam actus indifferentes in individuo, cum multi sint actus in individuo qui permittuntur, quosve nec præcipit lex nec prohibet, & major non est ratio pro illis quam pro aliis, si fundetur indifferentia actuum in silentio vel permissione legis illos non jubentis aut vetantis. Cum ergo neget D. Thomas dari actus indifferentes in individuo, licet concedat dari tales actus in specie seu ex genere, & ex objecto, illorum actuum indifferentiam minus recte desumit ex actu legis permittentis. Suppositam hanc legis divisionem, ex qua actuum humanorum denominationes desumerentur, fictitiam reputant ii etiam qui illa in præsenti materia utuntur, aut ut rectius loquar, abutuntur. Cum enim de legibus ex professo tractant de illa in legum divisione omnimode tacent; & postquam dixerunt omnem legem obligare ad aliquid faciendum, vel omittendum, concludunt, data prima, & generali legum divisione, posse generaliter dividi legem ratione materiæ (hoc est relative ad actus nostros) in affirmativam, quæ præcipit bonum faciendum, & negativam, quæ prohibet malum fugiendum. Hocque duplex legis officium fundatum judicant in his Psalmistæ verbis, *declina a malo, & fac bonum*. Cur ergo parum sibi constare videantur, ipsi dicant.

2. Etsi verum esset quod excogitarunt, dari scilicet legem permittentem, non inepta minus esset ac puerilis hæc argumentatio: datur lex permissiva, & indifferens, ergo dantur actus permissi, & indifferentes in individuo: sic enim liceret argumentari. Datur lex permissiva (neque enim dici potest datur lex indifferens, id implicat contradictionem), ergo sunt quidam actus qui nec imperantur, nec prohibentur, quosque indifferens est elicere vel non elicere, illudve de quampluribus actibus liberum concederemus. Sed illi actus qui indifferentes sunt ut fiant vel non fiant, ex supposito quod fiant, non sunt indifferentes ad bonum morale aut malum, bonitatem aut malitiam desumant ex fine aliisque circumstantiis necesse est, ut in probationibus ostendimus. Quot absurditates ex adversariorum discursu non sequerentur? monasterium ingredi ad vitam Religiosam ducendam nemini præcipitur aut prohibetur: ergo ne dici poterit Paulum talem actum elicientem aliquid facere indifferens, ejusque actum, nedum quoad objectum, sed quoad finem & circumstantias spectatum seu in individuo, esse indifferentem? quis sensatus sic posset judicare? potuit a tali actu Paulus abstinere, sicut potuit illum elicere; ex ipso autem quod talem elicit actum, ille sic consideratus non potest esse nec bonus nec malus, quod quilibet in semetipso experitur, variisque, si opus esset, rationibus ex circumstantiis. talem

actum

actum comitantibus demonstrare non esset difficile. Idemmet posset de quampluribus actibus virtutum, qui nec præcipiuntur nec vetantur, quos tamen indifferenter in sensu assertionis exerceri ridiculum esset excogitare. Ut adversariorum opinionem ipsi rationi adversari clarius innotescat, rem ponimus in exemplo de actu cujus objectum ex se nec bonum sit nec malum, sed prorsus indifferens, illum ex fine ac circumstantiis suam amittere indifferentiam brevi dignoscemus. Nihil inter homines præsentis ævi magis indifferens quam longam habere barbam, vestique indui a vulgari populorum cultu omnimode aliena, vel contra renascentem barbam frequenter pugnare, vesteque honesta uti, ac fulgenti: illud nec præcipitur nec prohibetur, aut quidquam ad morum honestatem interest. Verum si primum fiat ob vanam gloriam & ad captandam hominum æstimationem, eorumque credulitati fucum faciendum, ut accidere potest, & non raro accidit, dicente Augustino lib. 2. de Serm. in monte, cap. 2. *Non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit . . . qui insolito squalore, ac sordibus intentus in se oculos hominum facit*: quid minus indifferens, vel potius quid pejus, quid perversius? Si secundum ex adverso aliquis faciat, cultu corporis, vestiumque nitore aspectus hominum intendens mulcere, ut ait idem Augustinus, numquid indifferens existimari potent talis actus, & malus eo ipso non prædicabitur? malus igitur aut bonus est quilibet actus ex fine vel intentione operantis, aut ex variis circumstantiis quibus induetur, nullusque erit indifferens in individuo.

Posset assertio confirmari hac ratione. Non potest homo actus elicere vere humanos quin teneatur illos dirigere in finem bonum, & honestum: tenetur enim in hujuscemodi actibus agere propter finem luce consonam naturæ, & sibi, in quantum est rationalis, proprium: bonum autem conforme rationi non sibi proponens dum operatur, ab honesto fine, & bono ex ipso recedit, malumque finem, & inhonestum intendat oportet. Ipsum tunc sibi proponere finem indifferentem gratis fingeretur, Tum quia ille finis qui supponitur indifferens, ea præcise ratione qua esset indifferens, finis rationem amitteret, ex eo quod ratione indifferentiæ nullum haberet ordinem ad ultimum finem, quod tamen ex adversariis est de natura actus moralis: tum quia ille finis eo ipso quod nullum diceret ordinem ad ultimum finem, a regula recederet, essetque perversus, quantumvis indifferens supponatur si tamen sit aliquid ab ente rationis diversum: tum quia fictitius indifferens ille finis, cum nihil addat tali actui præter illud quod habet ex objecto, illum ex classe actuum in individuo removet, & ad classem actuum in specie illum reducit, finis autem verus, & realis, aut quælibet alia circumstantia relative ad quam actus consideratur, aliquid addit huic actui per quod in esse individuali constituatur, & juxta quod de bonitate illius aut malitia judicari possit. Unde cum non detur finis indifferens, omnisque sit honestus aut inhonestus necessario, merito asseritur omnem actum moralem bonum esse aut malum si in individuo consideretur, nullumque admittendum esse actum in individuo indifferentem.

SOLUTIO

Objectionum.

I Objectio. Dari actus in individuo indifferentes negare non possit quisquis Hieronymum audierit epist. 89. vel 74 quæ est ad Augustinum, sic loquentem. *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercora, sputis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere, hoc non est bonum vel malum, sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Ibi loquitur S. Doctor de actibus in individuo sumptis & in particulari, illosque dicit indifferentes, ut denotant hæc verba *sive feceris, sive non feceris.* Nec dici potest illum de actibus secundum speciem posse intelligi.

Resp. Magnum aliquid sibi videntur afferre adversarii ex quo nostram assertionem funditus evertere gloriantur, sed inania prorsus, nobisque nullomodo adversa loquuntur, quod ad mentem & scopum Hieronymi qui ascenderit mox intelliget. Etenim in exemplum adducit actus illos naturales ex sua specie consideratos, secundum quam nec boni sunt nec mali, sed indifferentes, ad differentiam observationum antiquæ legis (de his ibi loquitur) quæ ex sua specie fuerunt semper determinatæ aut bonæ aut malæ bonæ ante Christi adventum, malæ autem post Christum. Nec refert quod addat, sive feceris, sive non feceris: nam etsi actus non fiant nisi in singulari & in individuo, in actu tamen in individuo considerari potest, & id quod convenit ei ex sua specie, & id quod habet ex accidentibus & circumstantiis. Licet non detur ratione circumstantiarum actus in individuo qui sit humanus & indifferens, quia tamen ex sua specie indifferens est, dici potest quod quantum ex specie est, sive feceris, sive non, nec juste nec injuste facies, etsi ex fine si apponas, aut ex aliis circumstantiis, si quædam interveniant, vel juste, vel injuste agas. Aliunde dici posset Hieronymum loqui de iis actibus, ut plerumque exercentur, naturaliter nimirum ac indeliberate, non vero de illis, prout aliquando ex advertentia & deliberatione fiunt. Unde tantum abest ut locus ille Hieronymi magnifice adeo ab adversariis hac in parte laudatus, si in vero sensu sumatur, præsentem impugnet assertionem, quin potius illam aliquo modo firmet, & in ipsos adversarios possit retorqueri, qui nulla ratione sufficienti hunc sibi favere valent ostendere, nisi illum in sensum alienum detorquendo.

Neque probabili absque fundamento judicarem ipsos, dum talia opponunt, nec quæstionem attingere. Laudatis enim his S. Hieronymi verbis, ex quibus pro arbitrio intellectis, concludunt illum loqui de actibus in individuo sumptis & in particulari, qui licet elicitantur hic & nunc, vel non eliciantur, etiam, inquiunt, semper retinent indifferentiam, ut probent dari actus indifferentes in individuo sic argumentantur. Actus illi censendi sunt indifferentes in individuo qui ab homine eliciuntur cum advertentia rationis, & feruntur in objectum, quod neque bonum est, neque malum. Dantur autem tales actus non pauci, ut actus scribendi, ambulandi, standi, & similes, qui nec boni sunt moraliter, quia non fiunt honestatis gratia, nec mali, quia homini licitum est illa prosequi quæ sunt naturæ commoda, modo

do non prohibeantur. Dantur ergo actus indifferentes in individuo. Sic ne possunt ratiocinari homines alioquin docti ex Scotistica Schola, & inter primos Theologos non immerito annumerandi? Triplex istius sillogismi propositio falsissima est. Prima siquidem, quia satis non est ad constituendos actus in esse morali completo quod eliciantur cum advertentia rationis & ferantur in objectum ex se nec bonum nec malum, ut considerentur in individuo. Etenim si circumstantia finis non addatur, aut quædam alia, illi actus non sunt extra sphæram eorum qui dicuntur ex genere seu in specie. Unde major hæc propositio est a quæstione aliena. Secunda pariter nihil probat, ex eo quod actus scribendi, ambulandi & similes, si præscindatur a fine, qui est præcipuus inter circumstantias quæ actui possunt inesse, non sunt actus in ordine morali, licet aliunde humani, & in quantum præcise fiunt in naturæ commodum, nihil aliud habent præter ordinem naturalem, ad quem cum terminentur, nihil habent bonitatis aut malitiæ quantum ad mores. Quæ cum ita sint, ut negari non potest, consequentia ex duabus his propositionibus deducta evidenter fit falsa opus est. Quam desperata causa quæ nonnisi talibus rationibus ex omni parte deficientibus firmari potest. Quod de actibus scribendi & ambulandi mox diximus, de iis pariter de quibus Hieronymus, reputetur dictum, ut nihil ex illis pro actibus in individuo probari evidentius appareat. Cæterum posset responderi hunc esse sensum illius Patris, quod sunt quædam opera mala ex se ipsis independenter a quacumque circumstantia, ut est luxuria, & alia opera bona ex sua natura, ut est continentia, præscindendo a fine ac circumstantiis, & alia tandem quæ non sunt bona aut mala nisi ad finem aliasve circumstantias comparentur, ut sunt ea quæ allegat S. Doctor, in quibus moralem bonitatem nec malitiam dignoscemus præcisis circumstantiis, & tunc indifferentes ex genere & ex objecto erunt illi actus, tales vero nusquam erunt si in individuo considerentur.

2. *Objectio.* Ut verum esset non posse dari actus indifferentes in individuo, deberet esse quædam lex vel obligatio virtutis juxta quam teneretur homo omnes actus suos ad finem honestum ordinare: non autem constat de tali lege nec obligatione, imo illam extare a multis doctis pusque hominibus negatur, & aliunde multa elicere potest voluntas ob solam commoditatem appetitus naturalis vel ipsius delectationem, in quibus certe nihil est contra honestatem, licet hæc non fiant propter illam, ut sunt exempli causa comedere & bibere ex delectatione præter necessitatem, modo illud nocere nequeat. Id vero falsum esset, si non darentur actus in individuo indifferentes: ex quo sequitur illos necessario esse admittendos.

Resp. Non extare legem vel obligationem virtutis, vi cujus teneatur homo actus suos ordinare ad finem honestum, quis, non dicam, christianus, sed naturæ rationalis auditor, seclusa etiam religione, proferre non erubesceret? Nulla sit positiva lex illud præcipiens, idque non pertineat ad aliquam virtutem particularem, non imus infitias. Sed est aliquid majus, nempe inclinatio ipsa naturæ in quantum rationalis, & aliquid universalius, complectens objecta & materiam virtutum omnium. Ex quo ad finem honestum si ordinetur actus, bonus dicitur & virtuosus, si ex opposito ad illum

non

non sit ordinatus, dicitur vitiosus, non quia alicui virtuti speciali opponitur, sed quia est contra modum generalem operandi naturæ intellectualis, & contra dictamen generale rationis quod est omni virtute majus. Nec potest a quoquam rationis compote in dubium revocari tale dictamen, de quo, ex impossibili, qui dubitaret, nedum a doctrina ac pietate, sed ab ipsa ratione illico deviaret. Si autem cum tali obligatione nequeat consistere fictitia illa lex permissiva, de qua supra, ut ipsius defensores fatentur, permissivam hanc legem gratis adinveniunt ad rationis trutinam discant ponderare. Ad id vero quod additur ob solam commoditatem appetitus naturalis ipsiusque delectationem voluntatem agere posse, ita ut illa actibus suis licite frui queat, nihil aliud respondere potest, nisi epicureismum redolere hanc Doctrinam, nedum Sanctis Patribus, ac Ecclesiæ Doctoribus, sed etiam ethnicis philosophis invisam: & mirum videri debet quod morales Theologos, aliquando habuerit patronos. Ea quæ delectant, & naturali appetitui grata sunt, extra necessitatem, & ob voluptatem quærere, peccatum esse, in iis etiam quæ aliunde ad naturæ reparationem & conservationem secundum aliquem modum pertinent, docet S. Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 14. his verbis: *Cum suppleta necessitate amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum. Quanto magis nos discernere ac nosse debemus, quid necessitas reficiendis, quid libido edacitatis exposcat, quorum negotium est contra concupiscentiam carnem spiritu concupiscere, & condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, ejusque delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare.* Hinc est quod de concupiscentia ad speciei multiplicationem inservientem dicit ibidem de nuptiis loquendo: *Hoc modo bene utuntur nuptiæ, cum conjuges procreant filios per illam, ubique fuerunt propter illam.* Et in eo sunt valde laudandi qui tali modo se gerunt, licet nihil agant nisi ad quod tenentur, cum tamen sit vis libidinis ut in modo non excedere non sit aliquid commune. De voluptate quæ inter edendum & bibendum occurrit quærentem audiant Augustinum, qui citra necessitatem & ob solam voluptatem bibere & comedere ad satietatem licitum esse prædicant, & confusione sua operantur. *Hoc me docuisti*, inquit Deum alloquens lib. 10. conf. cap. 31. *ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ: ipse enim transitus voluptatis est, non est aliud qua transeatur, quam quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tamquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo: nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat.* Hoc sciant quod dicit idem S. Doctor lib. 83. quæst. quæst. 30. omnem humanam perversionem esse, quod etiam vitium dicitur, fruendis uti velle, atque utendis frui, & ex opposito omnem ordinationem, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, utendis uti. Cum opinione eorum qui tales actus indifferen-

tes

tes in individuo defendunt quomodo stare possit hæc doctrina Augustini nobis ostendant. Quantum ipsis philosophia adversetur dum existimant hominem posse agere ob solam delectationem & voluptatem agnoscent, si Tullium 10 libris suis de officiis, de legibus, de finibus bonorum & malorum ac Tusculanis Quæstionibus perlegant, quosque Augustinus cum Juliano agens commemorat docens, quod moralis ethnica quorumdam christianorum moralem antecellat. Bonum triplex, honestum, utile, delectabile, agnoscat, quantum libuerit, philosophus, unicum, honestum nempe, admittet Theologus, cætera parvi pendens, vel etiam ut mala rejiciens, eaque ut christiani hominis dignitati ac excellentiæ accommodata parum & consona pro nihilo reputans, ita ut respectu ipsius, qui in omnibus ut homo & ut christianus se debet semper gerere, rationem finis, nedum principalis & ultimi, sed neque minus principalis nullo modo habere possint.

Lib. 4. c. 14.

3. *Objectio*. Quælibet species supponit aliquod individuum in quo ejus ratio maneat. Unde vel non sunt admittendi actus in specie indifferentes, vel admitti pariter debent in individuo. Idque eo magis quod damnatus fuerit Joannes Hus in Concilio Constantiensi, ex eo quod asseteret nulla opera esse indifferentia, sed omnia esse justa aut injusta.

Resp. Ex hoc argumento minoris per se momenti, nihil concluditur, & paritas nulla est, cum diverso sub respectu considerentur actus in specie, & in individuo; utque valeret paritas, oporteret ut sub eodem respectu utrinque considerarentur. Cum ergo actus secundum speciem dicat ordinem ad objectum quod per se quandoque nec bonum est nec malum, & specificam tantum indifferentiam refundit in illud, non sequitur actum qui secundum individuum dicit ordinem ad circumstantias quæ ex se bonæ sunt aut malæ, aliqua indifferentia, qua nec bonus reddatur nec malus, posse donari. Unde verum est nullam esse naturam in specie quæ non habeat quoddam individuum in quo remaneat ejus ratio, secundum quid & quoad aliqua, non autem verum est, simpliciter & quoad omnia. In adversarios facile retorquere tur argumentum. Natura humana secundum speciem est universalis, ergo in Petro est universalis. Numerus in genere nec est par nec impar, ergo neuter est in individuo. Utramque hanc consequentiam non admittent, neque illam quam ipsi deducunt nos admittemus, eadem est pro illis ratio. Ex damnatione Joannis Hus quod inferri legitime possit, non invenio. Qui talia obruciunt, quasi inde probari existimantes dari actus indifferentes tum in specie tum in individuo, non magis attendunt ad mentem Concilii quam ad Joannis Hus doctrinam a præsenti quæstione alienam. Hic volebat omnia hominum opera esse meritoria vel demeritoria, nullaque esse in ratione meriti ac demeriti indifferentia, illudque juste damnarunt Patres Constantienses, cum peccatores ac infideles gratia habituali, quæ est principium meriti destituti, multa opera moraliter bona eliciant, per quæ certissime non demerentur, quæque peccata non sunt, licet per ea non mereantur, & quamvis aliquando sint veræ virtutis actus, præmio supernaturali digni non sunt, eo quod desit justitia habitualis, sine qua nec meritum esse potest. Medium ergo est inter meritum & demeritum in ordine supernaturali, etsi inter bonum morale & malum in actibus in-

individuis nullum detur medium. Unde illud gratis objicitur.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quænam fuerit mens Scoti circa actus indifferentes.

Doctoris Subtilis hac de re mentem exploratu adeo facilem & per se omni difficultate expeditam qui prædicant, quasi sit absque dubio illum admisisse actus morales in individuo indifferentes, ejus scripta vel a longe salutarunt, vel ex præjudicata opinione inter Scotistas hac in parte communiori perlegerunt. Recentiores ex istis ad veram Magistri doctrinam, nisi præcellens nimium fuisset præoccupatio, erat revocaturus Doctissimus ex nostra familia Franciscus Macedo, magister Commbricensis, quem Lutetia, Madritum, Roma, Pacavium, non minus quam Lusitania ex qua ortundus, sæculo præcedenti ob Doctrinæ profunditatem ac varietatem unanimiter denaratæ sunt. Hic Doctoris Subtilis, præ aliis qui eum exposuerunt, varias sententias accuratius perscrutans, ipsos Magistri mentem minime fuisse assecutos ita evidenter ostendit, ut quisquis ipsius collationes attente legerit, ipsi non consentire non possit, sententiamque ipsius non amplecti. Nos qui a juventute circa actuum indifferentiam delusi a magistris quos deluserat præjudicata opinio, philosophiam triginta ab hinc annis publice legentes, actus in individuo indifferentes tuto admittendos censueramus, cum deinceps numerosæ juventuti in rebus Theologicis præessemus, rem ex professo tractandi data occasione, illam attentius investigandam judicavimus, ne plus præjudicatæ opinioni daremus quam veritati. Hanc ergo quæstionem summa cum diligentia discutienti difficentia quædam occurrit, eoque tempore opinio eorum qui actus morales in individuo indifferentes defendunt, in moralibus unus tuta mihi videri cœpit, idque gravissimo fundamento non carere mox animadverti. Doctorem Subtilem huic opinioni a vero nimis alienæ favere non posse non immerito existimavi, quapropter illum huic sententiæ patronum eripere animo proposui. Magistri testimonia, quæ in ipsius libris egomet oculis meis videram multoties, alienis non fidere assuetus, mente revolvens, consulteque perpendens ea, licet obscura & torriosa satis atque primo aspectu ambigua, intellexi tamen nihil dicere quod realiter fundaret opinionem quam impugnare gravissimis ductus momentis statueram, quin potius huic aliquatenus adversari comperi. Utinam eruditissimos R. P. Magistri Macedo libros mihi tunc ignotos præ manibus habuissem! re magna magnoque labore discussa, publicas tandem habui academicasque conclusiones, in quibus propugnavi, ex actibus humanis in ordine morali comparate ad objectum, finem & circumstantias, seu in individuo consideratis, nullum esse indifferentem, hancque esse (quidquid in contrarium vulgo a Theologis dicatur) veram Doctoris Subtilis sententiam, cujus oppositam tueri non poterat, utpote quæ aperte pugnet cum obligatione qua tenemur actus nostros ad Deum referre. Hæc propositio, etsi omni ex parte vera, sed præjudicatæ opinioni contraria, præcipuorum inter sodales in nos invidiam excitavit, quasi erroneum quid & portentosum protulissemus in medium. Verum cum illa non magis quam præjudicium pro ratione habeatur, nos a proposito minime deterruit, exindeque hanc quæstionem magis ac magis perpendentes in eadem permansimus

mus sententia, veritatem in injustitia detinere indignum arbitrantes. Huic testimonium perhibere omni data occasione cum animo statuissemus, re de novo diligenter ponderata, auctoritate præcitati Macedo freti, ejusque doctissimis elucubrationibus suffulti, eamdem sententiam sequemur, quam libenter amplectentur quotquot veri Scotistæ, tanto Doctore duce, opinioni præjudicatæ vale dicentes, veritati adhærere non recusabunt.

ASSERTIO UNICA.

Actus humanos morales in individuo indifferentes nusquam agnovit Scotus, estque a mente ipsius contraria opinio omnimode aliena.

UT pateat hujus veritas assertionis advertendum cum Doctissimo Macedo Tom. a Collationum Doctrinæ S. Thomæ & Scoti in secundo sententiarum, collat. 10. differentia 4 Sect. 4 Scotum distinxisse duo genera actuum, & tria genera moralitatis. Actus primi generis est vere moralis, ex objecto suo opus virtutis, & conveniens rectæ rationi, & proprius creaturæ rationalis, quæ ratione regitur & ducitur, & ad finem convenientem suas dirigit actiones, in quantum a ratione cum deliberatione, & consilio, & libertate proficiscuntur, quæque humanæ vere & proprie dicuntur. Actus secundi generis, est actus naturalis, communis aliis animantibus, qui immediate a natura provenit, libertatem præcedit, pertinetque ad gradum sensitivi & animalis, licet rationi etiam & libertati subjacere possit, non per se tamen, sed quasi per accidens, ut moveri, spuere, tussire, fricari, lavari, festucam levare, aliaque id genus. Actus primi generis in mente Scoti omnino sunt referendi ad finem convenientem & honestum, & nisi referantur, mali sunt ex defectu & carentia circumstantiæ, ac finis debiti. Non vero actus secundi generis, qui sunt naturales & communes cum brutis, adeoque a ratione non imperantur, nec a libera voluntate dependent ex sua conditione, sed orti præcise a natura, ad naturæ ipsius bonum ordinantur. De moralitate ex qua est malitia, triplicem Doctor statuit. Unam contrariam, quando finis est indebitus ac disconveniens, ut dum ex vana gloria vel libidine fit eleemosyna, quæ ex motivo laudabili & honesto est semper facienda. Alteram privativam, quando finis debitus & conveniens non apponitur, appositus tamen non reperitur. Tertiam negativam, quando non requiritur finis debitus, nec ad eam operans obligatur. His itaque observatis ex ipsa Scoti doctrina in a dist. 41 quæ unica, probatur assertio.

Illi omnes actus, quibus inesse potest indifferentia in mente Doctoris Subtilis sunt actus pure naturales, qui a ratione non imperantur nisi per accidens, & ad naturæ bonum dumtaxat ordinantur. Cum autem ex ipso illi actus non sint vere morales ex objecto, nec ipsis insit sufficiens ratio bonitatis aut malitiæ, sed aptitudinem ad utramque habeant ex fine, si ad illum dirigantur, & ex circumstantiis debitis vel indebitis, si adveniant, etsi actus illos tum in specie, tum in individuo admittat indifferentes, nihil exinde sequitur contra assertionem, quæ de actibus humanis & vere moralibus loquitur, quique ad finem convenientem ac honestum sunt referendi, alioquin ex defectu, & carentia circumstantiæ, ac finis debiti, mali efficiuntur. Præterea, si ex actibus vere moralibus esset aliquis in differens, maxime ille qui fieret

non cum circumstantia debita, nec cum circumstantia indebita, & non ordinaretur ad finem debitum vel indebitum, non enim majus excogitari valet indifferentiæ signum. Verum ex Doctore hujusmodi actus non est indifferens. Siquidem hæc habet quodl. 18. *Potest aliquis agere non cum circumstantia debita, & tamen non cum circumstantia indebita puta quando non ordinat actum ad finem debitum, nec tamen ipsum ordinat ad indebitum. Tunc ille actus est malus privative, non contrarie, sicut ille qui ordinatur ad finem indebitum.* Exemplum affert. *Dare eleemosynam non propter bonum finem, scilicet amorem Dei, vel subventionem proximi, non tamen propter malum finem, puta vanam gloriam vel nocumentum alicujus, est actus malus privative.* Quæ verba Scoti mentem aperiunt, ita ut circa illam nullus supersit ambigendi locus. Unde quando in 2. dist. 41. dicit quod *non tenetur homo nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc:* ibi loquitur de iis actibus qui vera carent moralitate, ex eo quod naturæ commodum aut exigentiam principaliter intendant, quique licet per accidens possint esse humani & fieri morales ex adjuncta circumstantia bona & honesta, cujus sunt capaces, cum non sint tales ex se, nec ex conditione sua illam exigant circumstantiam, non postulant ad Deum referri: secus vero esset, ut infra dicemus, si vere morales essent. Et in hoc sensu loquitur dum hæc scribit ibid. *Non est actus malus ex hoc solo quod caret bonitate tali vel tali, sed quia caret bonitate quam debet habere: non autem omnis actus debet habere talem bonitatem.* Certum est actus secundi generis non exigere illam bonitatem quam exigunt actus primi generis, ut supra ex Doctoris mente observavimus. Satis enim est ut habeant talem bonitatem quæ in naturæ utilitatem, conservationem, vel propagationem vertat. Quod si ex actibus secundi generis converterentur, ut fieri potest, in actus primi generis ex accessione finis aut alterius circumstantiæ cujus sunt capaces, tunc haberent eatenus bonitatem aliam, & talem quæ fini ad quem sunt dirigendi conveniens esset. Hæc est vera ac genuina Scoti doctrina ad quam satis non advertunt. Hinc est quod de iis actibus mox explicatis dum loquitur, non absolute & indubitanter asserit actus illos esse indifferentes, sed quasi anceps ait, *probabile videtur tales actus indifferentes ponere.* Nec mirum videbitur quod affirmemus Scoti fuisse testimonia illum non admisisse actus humanos morales in individuo indifferentes, cuicumque notum erit Divi Augustini Doctrinæ ipsum perpetuo in omnibus adhæsisse.

Actus illos secundi generis, qui, licet non referantur in Deum, non sunt mali sed medii aut indifferentes, ex eo quod non sint proprie & rigorose morales, jam agnoverat S. Bonaventura, cui præiverat Alexander Alensis ejus præceptor, ut sunt præcipua munia naturæ, comedere, ambulare, generare ex naturæ exigentia non ex libidine, sic loquens in 2. dist. 41. quæ 3. in conclus. *Tertia actio neutro modo, sed indifferens, quando quis facit aliquam operationem, ita quod circa naturam non afficitur inordinate, nec tamen illam operationem comparat ad Deum, sed facit propter aliquem finem qui respicit indigentiam naturæ, ut cum aliquis ambulat ut recreetur, vel comedit ut reficiatur, talis actio indifferens judica-*

dicatur, quia Deus nec illum remunerat nec imputat in culpam. Satis igitur est ne mala non sit actio naturalis, si eo referatur unde manat, nec tamen dicetur opus honestum virtutis, cum careat fine morali & virtuoso, proindeque indifferens in sensu expositio remanebit. Conferantur ergo quæ habet Doctor Subtilis cum dictis Bonaventuræ, ea si bene intelligantur, non posse in eorum mente indifferentiam, actuum moralium, dum in individuo consideramus, proprietatem dici haud difficile dignoscetur.

SOLUTIO

Objectionum.

I. **O**Bjectio. Non videtur hæc assertio mentis Doctoris Subtilis cohærere, qui actus vere morales, ut est eleemosynæ largitio, dicit esse posse nec bonos nec malos. Sic enim loquitur in 2. dist. 7. quæst. 1. num. 12. „ Potest aliquis actus carere circumstantia requisita ad perfectionem actus virtuosi, & tamen non elici cum circumstantia repugnante, quæ redderet actum vitiosum, puta si det eleemosynam pauperi non ex finis circumstantia, quia non considerat, nec secundum alias circumstantias “. Ex quibus evidens & Scotum revera admisisse actus in individuo indifferentes.

Resp. Hæc Doctoris verba qui objiciunt in ipsos esse retorquenda nolunt advertere, nec enim assertioni aliquantulum adversantur, cum hæc largitio eleemosynæ quam in exemplum adducit, non ibi consideretur in individuo, sed solum ex objecto & in specie, præscinditur enim a qualibet circumstantia, quæ actum, ut in individuo respiciatur, debet necessario concomitari: unde mirum non est, si dicat illum actum non esse bonum vel virtuosum moraliter, nec tamen malum contrarie. Rationem autem reddit suæ resolutionis addens, quia non est circumstantionatus, unde legitime concluditur, talem actum in ipsius mente, bonum aut malum futurum esse si foret circumstantionatus, ex fine enim & aliis circumstantiis vult desumendam esse bonitatem virtuosam & moralem actus, aut malitiam ipsius. Ut vero innotescat ex Scoto nullum esse actum indifferentem ex iis qui cum aliqua circumstantia eliciuntur, ad ea quæ dicit eo loci est advertendum. Postquam plura disserit de modis juxta quos aliquis actus indifferens dici potest, & ostendit actum posse indifferentem esse primo modo, scil. ex genere, seu ex objecto, & tertio modo quantum ad meritum, concludit sic: Ille actus non est bonus tertio modo, nec malus tertio modo: ergo neuter quantum ad bonum & malum ut sunt contraria tertio modo, nec tamen neuter est loquendo de secundo modo. Quod ut melius intelligatur, ea quæ dicit de bonitate morali & malitia ipsi opposita sunt transcribenda. *Triplex, inquit, est bonitas moralis. 1. Dicitur bonitas ex genere, 2. potest dici bonitas virtuosa, sive ex circumstantia, 3. bonitas meritoria seu gratuita, sive ex acceptatione divina in ordine ad præmium.... Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. 1. Ex genere, quando scilicet actus qui tantum habet bonitatem naturæ, ex quo deberet constitui in genere moris, habet malitiam, quia transit super objectum disconveniens, ut odire transit super Deum. 2. Est malitia ex aliqua circumstantia deordinante actum, licet transeat super objectum convenientem actui secundum rectam rationem. 3. Est malitia in demerito. Quælibet istarum malitiarum*

T 2 per-

potest accipi contrarie vel privative respectu suæ bonitatis. Ad bonitatem & malitiam secundo loco positam refert Doctor quæ habere dum dicit, *nec tamen neuter est*, seu indifferens, *loquendo de secundo modo.* Hæc autem si attento animo perpendantur & absque præoccupatione, nullus erit qui affirmet Doctorem Subtilem actus indifferentes admisisse.

Verum exinde sequeretur, inquiunt adversarii, ipsum neque etiam ex genere seu in specie actus indifferentes agnovisse. Addit enim loco laudato: *bonum ex genere & malum ex genere sunt contraria immediata, ratio est quia actus non potest esse quin transeat super objectum conveniens vel disconveniens, & ideo necessario actus bonus ex genere ex objecto convenienti, vel actus malus ex genere ex objecto disconvenienti.* Illud autem cum ipsius doctrina cohærere nequit. Etiam si illud ex Scoti verbis sequeretur, quod libenter crederem, Patris Maredo sententiæ adhærerem, qui expresse tenet, neque in specie neque in individuo Scotum agnovisse actus indifferentes ex illis qui sunt vere morales, quid adversus assertionem concluderetur? Doctorem Subtilem concilient qui dicunt illum agnovisse actus in individuo indifferentes, non vero in specie. Nobis satis est quod ostenderimus illum ex actibus moralibus comparatæ ad finem & circumstantias, & in individuo, nullum indifferentem admisisse, quod directe nusquam impugnarunt quotquot variis argumentis parum concludentibus, oppositum defendere voluerunt.

2 *Objectio.* Adeo clara sunt quæ habet Scotus in 2 dist. 41 ut mirum videatur si contra opinionem unanimiter receptam, aliquis diverse præsumat sentire. Dicit enim, *Sunt ergo actus indifferentes non tantum secundum esse quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse quod habent in esse morali . . . multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes qui nec sunt tales neque tales, & non solum actus non humani, de quibus non est sermo, sicut movere barbam, levare festucam, & hujusmodi quæ procedunt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente, sed etiam de actibus libere elicitis.* Et aliunde expresse dicit in 4 dist. 6 quæst. 10 quod aliquis potest esse actus indifferens. Nullum igitur dubium circa Doctoris mentem legitime moveri potest.

Resp. Alte imbutur Scoti Doctrinam scrutantur ii, quibus nihil habere illa obscuritatis videtur. Non enim, ut optime observavit celeberrimus Magister sæpius in præsenti materia laudatus, quemque omnibus aliis hac in parte anteponendum merito judicamus, utpote qui in Scoti Doctrinæ profunda altius penetraverit, tam perspecta est Doctoris nostri mens quam vulgo existimatur, cum omnes ferme qui ipsum sequi gloriantur sibi persuasum habeant illum admittere universim actus indifferentes, quod tamen, ut jam plusquam satis ostensum est, ab ipsius mente est valde alienum. Laudatos in objectione textus non probare quod intendunt adversarii cito fiet manifestum, si ad duo actuum genera quæ ex mente Doctoris distinximus attendatur. Si dum dicit, ut objicitur, dari posse actus indifferentes, loqueretur de actibus primi generis, qui a ratione cum consilio libere imperantur, & proprii sunt creaturæ rationalis, tunc, verum est, contra assertionem directe concluderetur. Cum vero loquatur Scotus de actibus secundi generis, qui ad gradum sensitivi & animalis magis pertinent quam ad gradum rationalis, licet rationi & libertati,

non

non præcise per se, sed per accidens, possint subjacere, quique propterea non sunt rigorose morales, tota ruit argumentatio, quæ de actibus vere moralibus procedere debet. Actus illi, etsi non sint præcise morales, a ratione imperantur, & attentionem requirunt ac deliberationem, nec a sola imaginatione procedunt, sed libere eliciuntur. Plures ex illis sunt, qui licet conveniant brutis, ut bibere, manducare, generare, non fiunt ab homine more brutorum, solo naturæ instinctu duce, sed a ratione ad speciei conservationem & propagationem ordinantur. Verum cum sint in mente Scoti extra genus actus virtuosi, sunt indifferentes, etsi in quantum sunt intra genus actus deliberati & humani, capaces sint quidem circumstantiæ bonæ & malæ, sed non illam exigant, eo quod non sint in genere moris proprii, & rigorosi. Illud autem præcis non dicimus, quod ostenditur exemplo actus generativi posito a Scoto. Quare non ponit in exemplum actum quendam pure moralem, & virtuosum, eleemosynæ scilicet quem toties attulerat? nisi quia illud genus actuum tale non erat, quod indifferentiæ quam ibi volebat statuere, capax esset. Illum ergo actum generativum attulit, qui medium tenet inter actus pure animales, & actus rigorose morales, quique propterea capax est indifferentiæ, quam tamen habere nequiret si adesset finis, alter ab eo qui præcise a natura intenditur. Quare advertendum finem necessariam esse circumstantiam ad bonum actum moralem, & ex illius carentia actum fieri malum: bonus finis ex Doctore actibus vere proprieque moralibus debetur, non vero iis qui fiunt per modum naturæ, quibus finem honestum apponere non tenemur, & modo non apponamus inhonestum, indifferentes erunt, quasi extra genus moralium existentes actuum, ut ait S. Thomas.

QUÆSITUM TERTIUM.

In quo principaliter fundetur sententia negans dari actus in individuo indifferentes.

CHristianæ moralis principia a nonnullis ita obtenebrantur, ut ea iis quæ necessario fluunt corollaria recte minus intellecta, inter erroneas opiniones annumerare non erubescant, a vera Ecclesiæ Christi doctrina longe alieni, utpote qui ipsius definitiones, ac Sanctorum Patrum dicta a proprio sensu detorquentes. Hoc in præsenti materia multoties contigisse norunt quotquot innumeras, quæ circa primum Decalogi præceptum ultimis temporibus in lucem prodiere, dissertationes inter se pugnantes præ manibus habuerunt. Omnes actus nostros in Deum creaturæ intellectualis ultimum finem, unicum, & necessarium referre, nos minime teneri ex hoc primo præcepto quam pluribus visum est, contrarium propugnante majori ac saniori Theologorum parte, cui, sententiam actus humanos vere morales in individuo indifferentes negantem in hac obligatione fundari, ac consequentias minus rectas ab adversariis falso deductas ex hac nullo modo fluere, est omnino manifestum. Nos ab ipsis non esse recessuros ex iis quæ jam statuimus facile intelligitur. Utrum merito, vel non, sequentia demonstrabunt.

ASSER-

ASSERTIO UNICA.

Sententia negans dari actus proprie humanos vereque morales in individuo indifferentes, principaliter fundatur in obligatione qua tenemur omnes actus nostros ad Deum referre, quæ obligatio naturali ratione legitima potest infirmari.

SEntentiam eorum qui nolunt dari actus vere humanos & morales in individuo indifferentes principaliter fundari in obligatione qua omnes actus nostros referre tenemur ad Deum, quod asseramus, neminem mirum videbitur qui attendent serio, omnium creaturarum intellectualium finem ultimum esse Deum, ad quem totis viribus tendere nos ipsa natura docet, quemve, nisi ad ipsum omnes actus nostros referamus, attingere non valemus. Mirandum potius quod a Christianis nedum in dubium revocetur, sed & impugnetur principium illud, quod gentiles Philosophi, referente Augustino lib. 8. de civit. cap. 9. indubitatum habuerunt. Deum solum esse ultimum finem ad quem referri debeant omnes actus humani, docuere Platonici, exinde concludentes, quod philosophari, est amare Deum, unde dicebat Hipponensis, illos præ cæteris Philosophis ad Christianæ Religionis veritatem magis accessisse. Summum Bonum illud esse quod propter ipsum quærimus, & propter quod cætera cuncta desideramus, ipsumque omnium actuum nostrorum finem futurum fore, tenuit Aristoteles lib. 1. moral. cap. 1. Ab illo non recessere Stoici, ut testis est Cicero lib. 2. de finibus. Hanc autem veritatem etiam Theologos impugnare cum non pudeat, illam variis Scripturæ, & Patrum testimoniis probare abs re non erit, ex quibus evincatur, illos qui actus humanos in individuo indifferentes existimant admittendos, cum Scriptura, & Patribus evidenter pugnare.

Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, inquit Apostolus 1. Corinth. cap. 10. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite*, ait ad Coloss. cap. 3. Ex quibus verbis concludit major pars Theologorum, nos teneri omnes actus nostros ad Deum referre, hocque non ex consilio, ut quibusdam ex recentioribus placuit, sed ex præcepto, ut post Augustinum docet D. Thomas 2. 2. quæ. 69. art. 3.

Prædictam obligationem in primo Decalogi præcepto fundari multoties inculcat Augustinus, unde illum habere adversarium confiteantur oportet, quicumque omnia opera deliberata, & vere moralia, ad Deum finem ultimum saltem virtualiter non esse referenda ex vi talis præcepti contendunt. Hunc Sanctum Doctorem, & magistrum lib. 1. de doct. Christ. cap. 22. loquentem audiamus. *Hæc regula dilectionis, ait, divinitus constituta est: diliges, inquit, proximum tuum sicut te ipsum. Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsaque confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima,*

tota.

tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tamquam se ipsum, totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. His similia habet lib. 10. de civit. cap. 4. sic loquens. *Hoc bonum* (scil. Deum) *diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur: ad hoc bonum debemus, & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ. Ut enim bona se diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quæ ageret.* Hæc Hipponensis verba adeo clara sunt, ut nullum adversariis supersit effugium. Si cogitationes, vitam, intellectum in Deum conferre tenemur, propriamque nostri ac proximi dilectionem ad Dei dilectionem referre, ex eo quod ipse Deus finis noster constitutus est, quis erit vere moralis actus in individuo consideratus cui non debeatur talis finis, ita ut indifferens esse possit?

Hanc esse Doctoris Angelici sententiam adeo notum est, ut ipsum sibi contrarium esse oppositæ sententiæ patroni non diffiteantur. Unde ea solum referamus quæ habet 1. 2. quæst. 100 art. 10. ubi de modo, vel motivo ex quo parrem honorare homo tenetur agens, sic loquitur respondens ad secundum argumentum. *Dicendum quod sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare non ex vi hujus præcepti, quod est honora parentes, sed ex vi hujus præcepti, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Nostræ assertioni favere Sanctum Bonaventuram plurimque Scotorum, quos contrariæ esse sententiæ gratis fabulantur nonnulli, ostendere non est difficile. Prior quidem dum docet hominem peccare dum omittit referre in Deum actiones illas quæ ex se postulant talem relationem, ut sunt actiones vere morales quas Deus remunerat vel imputat in culpam, per oppositum ad illas quæ respiciunt indigentiam naturæ, quibusve finis alienus non adhibetur, quasque, cum non sint extra fines naturæ, & nequeant vere morales dici, Deus nec imputat in culpam nec remunerat. His expositis in 2. dist. 41 quæst. 3 in conclusione sic prosequitur. *Non enim semper amittit bene quando actiones suas non refert in Deum: indulgetur enim naturæ fragili, & infirmæ, et multa possit talia facere, nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionum, & infirmæ quod omnia quæ facit referat ad se. Requirit tamen aliquando, quando est locus, & tempus, & tunc si homo non refert, amittendo peccat.* Quæ verba Bonaventuræ si conferantur cum iis quæ ex ipso retulimus probantes præcedentem assertionem, facile dignoscetur illum, dum de actibus dicit pro quibus indulgetur naturæ fragili, & infirmæ, intelligendum esse de iis qui ex præcipitatione aut inadvertentia quadam originem habent, ad quorum finem aut alias circumstantias homine vere non attendente, rigorose morales non censentur, & ex hoc capere illos ad Deum non referens, saltem directe, inculpatus esse potest homo. Illi autem actus reduci aliquo modo possunt ad classem actuum secundi generis, de quibus juxta mentem Doctoris Subtilis ibidem diximus, quique præcise non postulant ex sua natura relationem ad Deum, utpote non proficiscentes ex consilio & delibera-

beratione, quamvis aliunde imperentur a voluntate. Porro actus primi generis, qui ut observavimus sunt vere morales, in Deum non referens, peccat omittendo ex Bonaventura, cum Deus requirat quod ad se illi referantur, quia pro iis actibus est locus & tempus, quapropter tales actus indifferentes esse nequeunt, quod necessario repetitur ex hac obligatione de qua movetur quæstio.

Alter vero, Scotus nempe, qui prima fronte nobis adversari videtur, si curiosius ipsius mens investigetur, totus noster est. *Dare eleemosynam*, inquit quodl. 18. *non propter bonum finem, scilicet amorem Dei, vel subventionem proximi, non tamen propter malum finem, puta vanam gloriam, vel nocumentum alicujus, est actus malus privative.* Quare autem malus privative dicitur a Scoto talis actus? Quia caret circumstantia debita, ex eo quod non ordinetur ad finem illum ad quem postulat ordinari. Largitio enim eleemosynæ fieri debet ob Dei amorem, vel subventionem proximi, ipsaque proximi subventio ad Deum est referenda. Ille actus aliique hujusmodi, eo ipso quod sunt vere morales, finem illum exigunt, illoque deficiente, & ipsi deficiunt. Idem recte colligitur ex iis quæ habet in 2. dist. 41. sic loquens: *Non tenetur homo nec tensione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tensione minori contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligavit nos ad hoc.* Si ergo ad talem relationem nos obligaret Deus, ad illam tensione necessitatis tunc teneremus, & revera tenemur pro actibus primi generis a ratione cum deliberatione, consensu, & libertate proficiscentibus, non autem pro actibus secundi generis. Unde merito dicit hominem non teneri semper actum suum referre in Deum actualiter vel virtualiter, cum multi sint quibus non debetur talis circumstantia relationis. Cum igitur, ut vulgo dicitur, exceptio firmet regulam, sequutus Doctorem Subtilem, dum dicit hominem non teneri semper referre actum suum in Deum, voluisse illum ordinarie loquendo ad hanc teneri relationem. Sicque prædictæ obligationi Scoti doctrina non adversatur. Juxta ipsum, ut in præcedenti retulimus, actus est malus qui caret bonitate quam debet habere, cum circumstantia finis debiti, relationis videlicet in Deum, sit bonitas quam debet habere omnis actus vere moralis, actus quilibet illius speciei carens tali relatione erit malus. Ex quibus magis ac magis ostenditur, ex obligatione qua tenemur actus nostros referre ad Deum finem ultimum creaturæ intellectualis, fluere necessario in mente Doctorum sententiam eorum, qui negant dari actus morales in individuo indifferentes.

SOLUTIO

Objectionum

1. **O**Bjectio. Neque lege naturali, neque lege positiva oriente ex primo præcepto Decalogi, tenemur omnes actus nostros in finem ultimum qui Deus est, referre. Quomodo enim multos Doctores latuisset hujusmodi lex in qua fundaretur prædicta obligatio, quæ, si extaret, jugum Christi suave, difficillimum redderet & importabile, quod neque excogitari potest. Unde nulla est assertio.

Resp. Huic argumento jam factum fuit satis dum soluta est objectio secunda contra assertionem pri-

primi quæsiti præsentis sectionis. Verum cum inde concludere non erubescant adversarii, Christi jugum durissimum evadere, supposita illa de qua agitur obligatione, hoic iterum respondere non abs re erit. Quod ex primo Decalogi præcepto teneamur actus nostros in Deum finem ultimum referre, patet ex iis quæ assertionem probantes adduximus, quibus addere, esset decerpere. Dum additur legem illam, sive naturalem, sive positivam, in qua fundatur hæc obligatio, fuisse multis Doctoribus ignotam, id absque fundamento asseritur: ut ex verbis eorum qui allegari possent, attente libratis facile innotescit. Quod a Scholasticis non paucis ævi recentioris, non obscure fuerit impugnata hujusmodi obligatio, id stupendum est simulque dolendum. Sed cum ignorantes justitiam Dei, ut loquitur Apostolus Paulus, & suam quærentes statuere, fabulationes narraverint a lege Domini alienas, ipsis a recto tramite deficientibus, veritas inconcussa remansit. Ad obligationem illam attendens, homine operante, quid Augustinus dicat in Psalm. 118. concl. 2. audiamus. *Magni interest cum aliquid boni agimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non initio, sed fine pensandum est: ut non tantum si bonum est quod facimus, sed etiam præcipue si bonum est propter quod facimus, cogitemus.* Ad summum bonum quod Deus est, omnia referre postulat naturalis ordo rectaque ratio, est enim ille rerum omnium causa & principium, a quo omnia accepimus, & qui propter semetipsum cuncta operatus est. Ipsum super omnia diligendum esse prædicat lex positiva. Illud quomodo exequamur Deum non considerantes ut finem ultimum & necessarium omnium actionum nostrarum, illasque ad ipsum non referentes, ostendant qui diverse a nobis sentiunt. Ecclesiam in suis orationibus nobis consentire agnoscant. Hæc enim sæpe sæpius nobiscum, & pro nobis Deum deprecatur, ut actiones nostras aspirando præveniat & adjuvando prosequatur, ut cuncta nostra operatio ab ipso semper incipiat, & per ipsum cœpta finiatur. Quid enim aliud significant illa verba, nisi quod retulimus ex Apostolo: *Omnia in gloriam Dei facite.*

Rom. 10. 3.

Jugum Christi difficile dicant & importabile quos noxia dominatur cupiditas, quosve propter se vel propter creaturam tamquam actionum suarum finem operari delectat. Deum amanti nihil difficile, cum Augustino proclamabit verus christianus, cui, ut sarcina sit levis, & jugum ejus suave, facit Deus, illi amorem inspirando. Jugum Christi non amanti durum est, amanti suave est, Dominus dat suavitatem. Quid vero durum invenitur in hac relatione actuum nostrorum ad Deum? Quod in omnibus ad ipsum tendere debeamus, & propter ipsum perpetuo agere, confitetur quisquis non ignorat juxta christianæ religionis principia Deum esse continuo diligendum, ita ut nullo vitæ nostræ momento hoc affectu carere cor nostrum licitum sit, dicente Joanne Apostolo, *qui non diligit manet in morte.* Si ergo Deus est perpetuo diligendus, cum ex hoc præcepto fluat relatio actuum nostrorum in Deum, hanc obligationem nulla ratione legitima infirmari posse evidens est. *Clamat ratio*, ait Bernardus lib. de dilig. Deo, *innata & non ignota ratione justitiæ, diligendum esse illum, cujus nos totos esse, & cui totum debere non ignoramus.*

Serm. 2. de verb. Apost.

1 Epist. c. 3.

a *Objectio.* Ratio præcipua ob quam negantur actus indifferentes

in individuo petitur ex obligatione qua tenemur omnes actus nostros in Deum referre, in quantum talis obligatio fluit ex primo præcepto Decalogi. Verum cum talis relatio non sit præceptum sed consilium, & licet esset præceptum, ad omnes actus nequeat extendi, ex eo quod præceptum affirmativum, quale est illud Divi Pauli, *omnia in gloriam Dei facite*, non obliget per omne tempus, in quo a negativo pro semper obligante differt, & aliunde probabile sit primum Decalogi præceptum negative, non positive esse accipiendum, eo sensu quod Deum odisse, aut aliquid contra ejus gloriam facere nusquam liceat, tota ruit assertio, præterquam quod illa relatio in Deum, ex supposito quod ad illam teneamur, non potest esse nisi habitualis, ita ut actus nostri tales esse debeant, qui possint in Deum tendere & ad illum indirecte referri, non vero actualis relatio omnium actuum, quæ onerosa nimis esset & quasi impossibilis.

Resp. Hanc objectionem, verum adversariorum scopum detegentem, eorumque perversa doctrina circa primum Decalogi præceptum plene refertam, penitus evertamus oportet. Primo, certissimum est relationem actuum nostrorum in Deum non esse consilium sed præceptum. Deum ex toto corde esse diligendum nemo dicet præceptum non esse. Cum ergo ex D. Thoma in probatione relato illud præceptum de diligendo Deo implere non possit homo, nisi etiam omnia in illum referat, consequens est talem relationem cadere sub præcepto. Ideoque scribit comment. in epist. ad Coloss. lect. 3 exponens verba Pauli, „ omnia in nomine Domini Jesu Christi facite in verbo aut in opere ", *Quidam dicunt quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.* Doctori Angelico adhæret major pars Theologorum. Nec ab ipso recedit Sanctus Bonaventura, quem in suas partes trahere conantur adversarii, sed immerito, si in proprio sensu arripiatur Seraphicus ille Doctor. Nonne de tali relatione, in sensu infra exponendo, præceptum extare manifeste supponit, dum de illa agens in 2 dist. 41. jam superius allegata hæc habet: *Si dicunt quod requiritur relatio in particulari, nimis est arctia via salutis, quia tunc in omni opere quod homo non refert actualiter in Deum, demeretur & peccat, quod valde severum est dicere. Si vero sufficeret intentio habitualis & in universali . . Si hoc dicatur valde amplatur & laxatur via salutis, & in hoc auctoritatibus Sanctorum obviatur, qui dicunt esse valde arctam.* Ex Sancto Doctore si requireretur relatio in particulari peccaret homo in omni opere quod non referret actualiter: peccatum autem dicit præcepti transgressionem. Sed illud præceptum, si de quolibet opere singulariter intelligeretur, severum esset nimis. Si vero de intentione habituali & in universali diceretur quod sufficiat, illud est remissum nimis. Extat ergo in mente illius præceptum, cui non fit satis per relationem in globo & habitualem, quod tamen non exigit actualem relationem cujuslibet actus in particulari. Tenetur ergo homo ex præcepto quod a primo decalogi mandato non differt, omnes electiones suas, omnia deliberata opera in Deum ultimum finem, vel formaliter actu expresso, vel virtualiter ex actu amoris præterito, & moraliter perseverante, referre: nec magis de illa obligatione dubitare potest quam de primo mandato.

Secundo, præceptum illud vere affirmativum ad omnes & singulos

los actus se extendit, ita ut quilibet eorum relatione formali aut virtuali ad Deum dirigatur. Unde omni tempore obligat, non eo sensu quod pro semper, ut dicitur, aliquid in Dei gloriam operari teneamur, sed eo sensu quod dum operamur, illud quod agimus in Dei gloriam faciamus. Et in hoc solum distrepat affirmativum præceptum a negativo, quod illud ita pro quolibet tempore obligat, ut quod vetat, facere nusquam licitum sit. Nec exinde sequitur hominem finem creatum sibi proponere nullo modo posse; hoc enim falsum est, modo finis ille creatus non sit nisi medius, nusquam vero ultimus, hominemque a fine illo, qui Deus est, avertere non possit, sed ad illum ultimate referatur.

Tertio, nedum probabile non est primum præceptum decalogi negative esse accipiendum, quasi ad ipsius adimpletionem satis esset nihil contra Dei gloriam agere, ipsumque non odisse, quin potius, illud est omnimode improbabile, idque velut impium christianæ aures audire refugiunt. Enimvero quis non erubesceret Theologos audiens dicentes, impleri præceptum dilectionis per hoc solum quod nihil fit contra sacram dilectionem, illudque nihil, aut fere nihil includere positivi, unde non possit assignari tempus, quo teneatur homo ad Deum se expresse convertere per actum charitatis formalem? Quis ferret illos ore blasphemo proferentes, onerosam esse ac laboriosam obligationem Deum actu expresso ex vera charitate diligendi, & in hoc situm esse novi testamenti gratiam, quod ab illa liberemur, hancque dispensationem nobis sanguine suo Christum acquisivisse? Talia hucusque inaudita loquentes indignabunda Gallia nostra aliquando audivit & ingemuit tot portenta quæ desiderent e situ suo prodisse. Aliquid aliud quam non odio haberi a nobis exigebat Deus, dum populum Israeliticum per Moysen in Deuteronomio cap. 6 sic alloquebatur: *Audi Israel, Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Quis enim ad Creatorem suum, magnificumque benefactorem non odio habendum indiget excitari? Quis tam ferox, tam barbarus qui naturæ erga liberalissimum datorem gratitudinem exposcentis vocem non audiat? Amore igitur affectivo & effectivo a nobis amari vult Deus, sicque peccaminosæ omissionis fit reus qui interiori affectu in Deum quandoque non fertur. Aliarum virtutum præcipue Theologicarum, fidei & spei actus sæpe cadunt sub præcepto, & actus charitatis, quæ omnibus aliis virtutibus major est, non caderet sub præcepto? Gratis ergo dixisset Christus illud esse maximum & primum mandatum, cui simile est secundum, & quod in illis duobus universa lex pendet & prophetæ. In observatione aliorum mandatorum, ut sit laudabilis, influere debet Dei dilectio: & qui in exequendis cæteris præceptis legis, nihil de Deo præ omnibus diligendo, intentione saltem virtuali, cogitat, ea non observat ut oportet. Hæc est Ecclesiæ Sanctorumque doctrina, a qua recedere, vel etiam in dubium revocare non permittitur. Illud perpendant rectores anima-

Matth. c. 22.

rum,

rum, conscientiarumque moderatores, qui peccatoribus aut pœnitentibus ad ipsos in spiritualibus accedentibus, de relatione operum suorum in Deum, ad quam ex præcepto charitatis tenentur, nec ullum verbum habent, illosque circa illius obligationem crassa & culpabili ignorantia laborare sinunt, eadem fortasse ipsi quandoque laborantes, ex quo sunt cæci, & duces cæcorum, eamdem damnationem cum iis quibus ducatum præstant aliquando habituri. Erubescant ergo qui prave sentientes de maximo dilectionis mandato, illud eo sensu accipiunt, ut Deum non odiendo, nec aliquid contra ejus gloriam faciendo, ipsius se credant observatores: vel potius, quod faxit Deus, errore suo tandem detecto, ad meliorem frugem revertantur.

Quarto, insufficiens est ad primi præcepti veram observationem actuum nostrorum in Deum relatio habitualis, cum hæc nihil in actum influat, possitque reperiri, & de facto reperiatur in nihil agentibus & in dormientibus qui nihil actualiter intendunt, ut optime docet Angelicus. Et licet habitus ab actibus generentur, nihil tamen actus dant habitus præter facilitatem, quæ nullum ordinem dicit ad finem quem virtualiter saltem debet operans intendere: quare concludit S. Thomas iis disputatis quæstionibus, quæst. de charit. artic. 11. ad 3. quod *habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto, sed virtualiter referre in Deum cadit sub præcepto charitatis, cum hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.* Cum igitur relatio illa habitualis nihil aliud dicat quam aptitudinem, seu habilitatem ex qua possit referri in Deum actus, qui tamen in illum non refertur, per illam obligationi prædictæ satis non fit, juxta doctrinam Cleri Gallicani, qui in comitiis generalibus anno MDCC damnavit sequentem propositionem, *sufficit ut actus humanus tendat in finem ultimum interpretative.* Idem autem sonat relatio habitualis ac interpretativa. Non tamen volumus, ut dolose in objectione videntur insinuare adversarii, requiri ad omnes actus relationem actualem, quæ onerosa nimis esset hominibus non raro multis curis distentis, variisque negotiis impeditis. Sufficit enim pro solito ut sæpius jam indicavimus, relatio virtualis, quæ formalem actualem præsupponit, quæque actualis aliquando relatio virtute manere dicitur, quia licet cessaverit actus, non tamen cessavit animi dispositio, qua respicitur ac intenditur finis ultimus, & perseverare censetur donec fuerit retractata, vel quandiu in varios actus, qui successive aut divisim eliciuntur, moraliter influere existimari potest. Nec durum videri debet quod requiratur virtualis illa relatio quæ in multis actibus, pietatis prælertim ac Religionis, saltem dum inchoantur, actualis esse debet. Id enim absque labore exequuntur homines christiani, qui Deum finem ultimum esse creaturæ intellectualis nunquam obliviscentes, omnes actus suos semel in die, in genere aut in specie, actuali intentione in illum ex anticipatione referunt, ex qua relatione virtualiter permanente, cuncta quæ agunt, in Dei gloriam vertunt. Sicque experiuntur arduum non esse nec laboriosum illud adimplere Apostoli præceptum primi decalogi mandati corollarium „ sive manducatis, „ sive bibitis, sive aliud quid facitis, „ omnia in gloriam Dei facite “; *quod quidem impletur cum aliquis vitam suam*, ut ait Angelicus Doctor, *ad Dei servitium ordinat, &* per

Opusc. 18 *per consequens omnia quæ per se ipsum agit virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia quæ a Deo abducant, ut sunt peccata. Tunc enim quæcumque homo amat in Deo amat, & universaliter suam omnem affectionem ad Dei dilectionem refert*. Verum ex iis quæ diximus non concludatur, relationem omnium actuum nostrorum actualem, etsi difficilem, esse impossibilem. Id enim homini serio de se meditanti, tamquam de omnibus in die judicii rationem reddituro, possibile est, & ipsi expedit ut faciat, & in hoc sensu verba laudata Apostoli ut consilium sunt accipienda. Quod gratis non dicitur, sed docetur a S. Bonaventura in 2. dist. 41. quæst. 3. his verbis: *Ad illud omnia in gloriam Dei facite, respondent aliqui quod est consilium. Aliqui quod est præceptum: aliqui quod est finis præcepti, diliges Dominum . . . . Si accipiatur affirmative, & omnia sumatur distributive & divisim, tunc est consilium & admonitio. Admonet enim Apostolus quod quodlibet opus nostrum referamus in Deum, & de qualibet divisim possumus facere, & utile est nobis & expediens si faciamus. Si omnia sumatur collective, nec præceptum, nec consilium, sed finis præcepti & consilii*. Hinc soluta manet objectio ex omni parte: & ex ipsius solutione clarius elucescit ex primo decalogi mandato fluere allegatam obligationem, in qua fundatur sententia nostra, quæ negat dari actus vere morales in individuo indifferentes.

3. *Objectio*. Semel admissa obligatione referendi in Deum actualiter aut virtualiter omnes actus vere morales sequeretur omnia opera infidelium esse peccata, eo quod essent moraliter mala: illud autem a Sancto Pio V. fuit in Michaele Bajo damnatum. Ad Deum nullam possunt habere in operibus suis relationem infideles qui illum non agnoscunt. Si igitur hæc relatio est obligatoria ut a primo Decalogi mandato fluens, in omnibus actibus suis peccabunt quicunque verum Deum non habebunt, quod est erroneum.

Resp. Ex obligatione qua tenetur homo actus suo referre in ultimum finem qui Deus est, sequitur opera infidelium, ut plurimum esse peccata ob talis relationis carentiam, quamvis multa operentur materialiter bona, & ex objecto, cum vero in suo esse formali, quod relationem dicit ad finem ultimum, fere semper deficiant, eorum opera quandoque secundum exteriorem formam laudabilia, exacte, & in rigore bona non sunt, cum bonum sit ex integra causa, ex quo fit ut veræ virtutes dici non possint. Præterquam quod fere omnia sua opera infideles ex prava quadam intentione, perversaque animi affectione labefactant, ex laudis cupiditate, ad capandam hominum æstimationem, vel ut sibimetipsis placeant, pro solum bonum aliquod exercentes, quod esset nobiliori motivo excellentiorique principio exercendum. Hanc esse Augustini doctrinam nullus est qui negare possit si legat ea quæ habet lib. 4. contr. Julian. cap. 3. & sequent. *Noveris itaque non officiis sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est, finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit aliquid homo ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur: quæ tu non attendens fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti*. Ex quo sequitur in mente Juliani, multa reputari opera justitiæ si ad officium attendatur, quæ tamen talia non sunt, & a

præ-

prava cupiditate, ut est avaritia aut vanagloria, si finis eorum consideretur, trahunt originem, proindeque bona non sunt. Quare quibusdam interpositis sic prosequitur Augustinus. *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri non benefacientibus a quibus fiunt, bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sit, vel dicatur voluntas bona quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* Ne autem crederetur Sanctus Doctor talia quasi per excessum protulisse, ita ut veram ipsius doctrinam non demonstrarent, declarat expresse eos qui fide carent, cum de recto fine nihil cogitant, hoc est de Deo, etiam in operibus ex objecto laudabilibus peccare. *Hoc peccant homines sine fide, quod non ad rectum finem sua opera referunt, ad quem referre debent. Quare si gentilis nudum operuerit, in quantum non est ex fide peccatum est.* Quod Juliano durum existimante, ne talem actionem etiam ex objecto deficiente fide malam esse concludendi occasio ei daretur, respondet Hipponensis: *Prorsus operire nudum in quantum non est ex fide peccatum est, non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed in tali opere, non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Quod si ita non esset, exinde sequeretur infidelem posse Deo placere, cum quod bonum est, necessario ipsi placeat: quare dicendum etiam esset, semel admissa vera bonitate morali in tali opere ab infideli elicito, infidelem reputari arborem bonam, quæ bonos fructus hoc supposito faceret, quod falsum est. Hinc est quod bonum, si aliquod in infidelibus reperitur, ipsis tribui nequit, qui relationem nullam ad Deum in iis quæ agunt dirigentes, eo ipso deficiunt, & peccant, ut ab Augustino propugnatur his verbis Julianum urgente. *An dicis hominem infidelem arborem bonam? placet ergo Deo. Neque enim bonum potest non placere quod bonum est. Et ubi erit quod scriptum est, sine fide impossibile est placere Deo.* Nonnullis interpositis sic prosequitur: *Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis, ipsorum autem esse peccata, quibus & bona male faciunt, quia ea non fideli sed infideli, hoc est, stulta, & noxia faciunt voluntate, qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest, nisi fructus malos, hoc est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide peccatum est.* Dilucide adeo mentem suam eo loci aperit Augustinus, ut nullo modo negari valeat, ipsum omnia infidelium opera moralia, eo quod quantum ad relationem quam dicere deberent ad Deum quem non agnoscunt deficientia, habuisse pro peccatis, non eo sensu quod ipsa opera aliunde laudabilia ex objecto ipsis imputentur ad culpam, quod a mente Sancti Doctoris longe distat; sed eo sensu quod ad finem ultimum non directa, totali bonitate quam ex se postularent non donentur, & ex ea parte indubitanter culpa non careant.

Ne autem dicatur sibi minus constantem in hac sententia fuisse Sanctum Doctorem, vel nos ipsius mentem non recte assecutos, audiamus ea quæ habet, cum lib. de spir. & litt. cap. 26. ubi postquam

dixit

dixit quam plura infidelium opera esse ex officio non solum non vituperanda, sed etiam merito laudanda, hæc addit: *Quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur.* Unde libro superius laudato adversus Julianum, de quibusdam Romanis ob eximia facta jure celebratis loquens, comparationem statuendo Fabricium inter & Catilinam, illum dicit minus isto puniendum, quia Catilina fuit pejor Fabricio qui minus peccavit, *non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.* Tom præfat. in Psal. 31. *ea opera*, inquit, *quæ dicuntur bona ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Itaque mihi videntur esse, ut celerrimus cursus præter viam.* Audiamus, & ipsius discipulos Fulgentium, & Prosperum, veræ Magistri doctrinæ perpetuo adhærentes, ipsos in confirmationem eorum quæ statuimus vocare juvat, quos in eadem permansisse sententia nemo potest diffiteri. Sic loquitur lib. 1 de verit. prædest. Sanctus Fulgentius cap. 18. *Priusquam accipiat fidem voluntas hominis, punitionem per seipsam potest mereri, non fidem, omne enim quod non est ex fide peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo, qui autem Deo non placet, sine dubio displicet, & qui Deo displicet, non eum mitigat, sed potius exacerbat.* Non obscure magis loquitur Sanctus Prosper lib. de vocat. gent. cap. 6. & 7. hæc habens *Etiam si in bonis moribus homo agat, male adhuc vivit, si non in Dei gloriam vivit. Sine cultu Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest: qui vero Deo non placet, cui nisi sibi, & Diabolo placet?* Clarius adhuc loquitur carm. de ingrat. cap. 26. his verbis: *Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.* His addemus venerabilem Bedam fidum Augustini discipulum, quibus alios quam plures addere idem sentientes non esset difficile. Is autem hæc scribit in cap. 14 epist. ad Rom. *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil bonum sine summo bono, ubi enim deest cognitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Nos non latet, hanc Augustini eiusque discipulorum circa infidelium opera doctrinam, duram nimis videri nonnullis, qui volunt multa ex ea sequi corollaria minus recta, unde concludunt, illos Patres non litteraliter tenuisse quæ verba sonant: quibus respondentes judicamus, non hic discutiendum nos suscepisse, an talia ex hac doctrina fluant incommoda, quæ tanti Doctores Augustino Duce, si ea vera sint, non potuerunt non perspicere, sed nos statuisse in solvenda proposita objectione, sententiam dicentem opera infidelium ut plurimum esse peccata, ob carentiam finis debiti qui Deus est, ad quem essent dirigenda, teneri ab Augustino, quem sequuntur sunt celeberrimi illius discipuli, ut fidem faciunt ea quæ ex ipsis retulimus, quæque nulla directa aut legitima expositione potuere hucusque invalidari. Advertendum igitur nos non dixisse omnia infidelium opera, ex eo quod multi sint actus, ut ex dictis quæstione præcedenti liquet, talem relationem ex se non postulantes, cum sufficientem moralitatis gradum ad hoc requisitum non habeant, quibus pravus aliunde finis modo non adhibeatur, ad bonum naturæ ordinati inculpate exercentur. Quod si adhuc insisteretur etiam Augustinum aliqua opera bona & vir-

virtutes in infidelibus agnovisse, ut indicare videntur hæc verba ex ipso relata, ex quo colligitur etiam ipsa bona opera quæ faciant infideles dicendum esset, sanctum Doctorem agnovisse in illis quædam bona inchoata, quæ ex fide inchoata operati sunt, & ex inspiratione gratiæ, & tunc nonagebant ut infideles. *Quia non usque adeo*, inquit lib. de spir. & litt. *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Hinc est quod lib. 5. contr. Donat. fatetur inveniri quidem in hæreticis, & infidelibus quod a Christo sit. *Sicut*, ait, *non debemus improbare justitiam hominis, quæ prius esse cæpit quam conjungeretur ecclesiæ, sicut esse cæpit justitia Cornelii, priusquam ipse esset in plebe Christiana.* His similia habet variis in locis, ex quibus sequitur, Hipponensem non docuisse omnia infidelium exacte opera esse peccata, sed ea tantum quæ absque ulla fidei illustratione inchoata, & gratiæ quadam motione eliciebant. Quod & nos etiam defendimus dicentes, eorum opera ut plurimum esse peccata.

Nec nobis adversatur damnatio illius propositionis Michaelis Baij a Pio V. & Gregorio XIII. *Omnia infidelium opera sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia.* Tum quia hæc propositio, sicut & aliæ ejusdem Doctoris Lovaniensis, damnatæ sunt copulative in rigore, & sensu ab auctore intento, qui nedum suam statuebat opinionem, sed & contrariam superbe sugillabat, sicuti ipsi soli fuisset veritas detecta. Unde ex improbatione contrariæ opinionis atrociter & arroganter ab illo lata, non minus quam ob pravam illarum propositionum intelligentiam, a Summis Pontificibus fuere censura notatæ ac proscriptæ. Sic censent quam plures celebres Theologi, inter quos Vasquez ex Toleto & Bellarmino, ac Suarez. Tum quia illa propositio secundum se & in rigore, falsa est, & a mente Augustini aliena: sive ob universitatem quæ omnia infidelium complectitur opera, quod non docuit Hipponensis, ut jam ostensum est; sive quia juxta magni nominis Theologos, eo sensu hanc propositionem admittebat Bajus, ut nullum bonum opus agnosceret quod non oriretur ex fide perfecta & gratia sanctificante, quod falsissimum est, nec unquam excogitavit Augustinus, cujus discipulum se falso prædicabat Bajus, ab ipso sæpe sæpius, in iis etiam quæ ex illo scripsit, longe recedens. Tum quia declarat in sua Bulla Sanctus Papa Pius V. nonnullas illarum propositionum posse aliquo modo sustineri. Si quædam possit ex iis propositionibus defendi, da quibus illud sit intelligendum Summo Pontifice non declarante, sine dubio illa erit de qua agimus, in sensu a nobis exposito post Augustinum ejusque discipulos, intellecta. Præterquam quod dici non potest omnes propositiones Baij, ut sonant esse damnatas, nec posse excusari, quin fiat injuria majori notæ Theologis contrarium sentientibus. Cætera quæ circa Bullam illam ab omnibus catholicis receptam, dicenda superessent, ad tractatum de Divina gratia cum specialius spectent, hic tacenda existimamus, ne superflua & aliena tractare videamur. Ex dictis apparet nos merito statuisse sententiam negantem dari actus vere humanos & proprie morales in individuo indifferentes, principaliter fundari in obligatione qua tenemur omnes actus nostros ad Deum referre, quam obligationem impetere nequit efficaciter ul-

la

la ratio, aut invalidare, ut ex objectionum solutione videbitur cuilibet æqui æstimatori.

QUÆSITUM QUARTUM.

Unde sit repetenda bonitas actuum humanorum vel malitia.

ADmisso semel veluti principio, bonitatem actus nihil aliud dicere quam rectitudinem illi debitam ex conformitate cum regula ad quam dirigi debet, malitiam vero carentiam, vel privationem rectitudinis debitæ, ut dictum in tractatu de peccatis, illamque regulam esse legem, tum naturalem, quæ unum & idem est cum recta ratione, tum positivam, Divinam videlicet, ac humanam, facile scietur ex quo sit repetenda actuum nostrorum bonitas vel malitia. Ad bonitatem requiruntur quæcumque actum in esse suo morali possunt integrare: ad malitiam vero satis est carentia unius illorum quæ integritatem actus constituunt. Unde apud omnes receptissimum est illud Divi Dionysii, omne bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu. Exposita semel principali quæstione, quædam ipsi quasi annexa breviter solvemus.

ASSERTIO UNICA.

Ex objecto, fine, ac circumstantiis repetitur actuum humanorum moralis bonitas aut malitia, cum hoc tamen discrimine, quod tria hæc ad bonitatem actus sint pensanda, ad malitiam vero sufficit defectus unius.

BOnitatem actus desumendam esse ab objecto fitur & malitiam negare non potest quisquis attendat objectum esse quid primum in actuum consideratione, ita ut suam ex ipso desumant denominationem, quare dicitur actus ab objecto specificari, unde si objectum sit bonum & honestum, actus bonus prædicatur, si vero minus rectum sit objectum & indebitum, actus malus judicatur. Hinc est, quod objectum vulgo dicitur forma extrinseca mensurans bonitatem actus: objectum, inquam, non juxta entitatem realem ac physicam consideratum, sed pro ut conformum regulis morum, honestatisque circumstantiis indutum. Etenim objectum ut quid physicum, pluribus actibus, cum rectis, tum pravis, potest esse commune: ad bonos usus fitur, & ad malos pecuniam ac divitias inservire posse quis ignorat? Cum autem non raro eveniat objectum nec bonum esse nec malum, sed ad bonitatem & malitiam indifferens, & ex se fat moralitatis non habeat ut actus circa illud versans vere moralis censeatur, tunc bonitas illius aut malitia, desumenda est a fine ac circumstantiis, ex quibus, si adsint, verum moralitatis gradum obtinet, ratione cujus bonus efficitur aut malus. Ex fine repetendam esse eorundem actuum bonitatem vel malitiam satis superque constat ex iis quæ in tota hac sectione dicta sunt. Hoc unum ad pleniorem intelligentiam addendum judicamus, quod Christus Dominus, cum ascendisset in montem, discipulos suos docens dicebat, Matth. cap. 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* In quæ Salvatoris verba hæc habet Augustinus lib. de Serm. Dom. in monte, cap. 23. " Oculum hic accipere debe„ mus ipsam intentionem qua faci„ mus quidquid facimus: quæ si

„ munda fuerit, & recta, & illud „ aspiciens quod aspiciendum est, „ omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est „ bona sint. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est „ enim lumen in nobis, quia hoc „ nobis manifestum est bono animo „ nos facere quod facimus. Omne „ enim quod manifestatur lumen „ est. Lumen dicitur quia novit „ unusquisque quo animo faciat, „ etiam cum malo animo facit. „ Sed ipsum lumen tenebræ sunt, „ quia non in superna dirigitur „ simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, & duplici corde „ quasi umbram facit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, „ ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hoc „ est, si ipsa cordis intentio, qua „ facis quod facis, quæ tibi nota „ est, sordidatur appetitu rerum „ terrenarum, & temporalium quo „ cæcatur, quanto magis ipsum „ factum, cujus incertus est exitus, sordidum & tenebrosum „ est. “ Nemo igitur sibi blandiatur: etsi honestum ac laudadabile sit objectum actus quem exerceet, si rectus ac laudabilis non sit illius finis, si recta non sit ipsius intentio omnium operum directrix, malum esse opus suum agnoscat oportet. Jejunet homo, corpus suum castiget, in cibos pauperum omnes facultates suas distribuat, si recta non sit intentio, male agit, quia non bene bonum facit. Unde, ut cum Augustino concludamus *non valde attendas quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.*

Bonitatem aut malitiam ex circumstantiis actum induere quis iret inficias? objecto non habente ad actum nisi rationem formæ extrinsecæ a qua specificatur, ab adjunctis circumstantiis bonitas aut malitia derivetur necesse est. Actus humanus ac moralis non respicit objectum nude sumptum, sed in illud fertur quatenus vestitum aliquot circumstantiis, quibus movetur operans ad actum suum tali modo, tali tempore, talive loco eliciendum. Exinde est quod in sacramento. In confessione aperiende sunt circumstantiæ peccatum aggravantes, vel speciem illius mutantes, quidquid in contrarium proferre non reformidarint Casuistæ nonnulli, omnium novitatum in moralibus ac laxitatum patroni, in quos non semel animadvertit Ecclesia, quæ jam contra hæreticos in Concilio Trident. sess. 14. illud definierat. Quod ratio ipsa fatetur, si quid dicant ad actum hæ circumstantiæ, quæ septem numerantur, consideremus. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* *Quis*, indicat personæ operantis statum, conditionem, dignitatem, ex qua ob exemplum vel bonum vel pravum, multum aliquando bonitatis aut malitiæ actui accedit; ut cum principes, & potentes, vilia quædam, & humilia more religionis exercent, quorum exemplo ad humilitatem excolendam efficacius excitantur subditi, aliique inferioris gradus homines: vel cum ob personæ characterem ex ipsius operibus oritur scandalum, sitque aliis major occasio delinquendi, ut si Presbyter aut Religiosus peccans in re gravi contra præceptum aliquod decalogi, Ecclesiæ, aut professionis, laicos, ac præsertim simplices, inducat sic ad credendum, multa quæ vetantur non esse peccata, vel saltem adeo gravia, ex eo quod a Sacerdotibus, & Religiosis ita facile committantur. *Quid*, denotat objectum seu materiam circa quam versatur actus, ut si quis det eleemosynam ex sibi necessariis, vel ex superfluis, in primo enim casu majus est coram Deo eleemosynæ meritum. Aut si quis furetur viginti aureos, vel decem, si fu-

ȼ furetur pauperi an diviti, tunc enim major vel minor furti gravitas, & malitia. *Ubi*, designat locum, an in loco sacro scelus patratum fuerit, ex quo sacrilegii speciem induit, vel res furata ad Ecclesiam, vel ad Dei cultum pertineret. *Quibus auxiliis*, per auxilia designantur media quibus finem operans consequitur, ut si inimicum occiderit ex aliquo iræ impetu, vel ex vindicta, & prævia diuque deliberata animi determinatione, an per se aut per alium. Si per alium, an interfectorem minis, vel promissis, vel pecunia ad tala facinus induxerit. *Cur*, explicat motivum operantem ad peccandum impellens, ut si quis furetur ad malum opus perpetrandum vel ad sibi, non inabsolute necessariis, sed in aliquo modo superfluis, subveniendum. Si mulier ornatu indecenti, & ex sa prohibito, ad sibi placendum utatur, vel ad alicui insidiandum. Non secundum in moralibus locum habet hæc circumstantia qua operantis intentio præcipue dirigitur quasi a principali movente. Quod medium movens, si ex se malum sit, & in finem per se pravum dirigat, duplicem malitiam in confessione aperiendam, si sit in re gravi ac sub mortali, opus illud induit, ut si quis rem alienum furatus esset propter adulterium, vel fornicationem. *Quomodo*, detegit modum quo actus aliquis elicitur. Sunt enim quæ per se licet agere, in quibus tamen exceditur in modo, & in eo peccatur, sicuti alia sunt in quibus actio ipsa prohibetur, & pariter modus indebitus alludo vetatur. Pariter in religiosis actu, zelus, fervor in operante, meritum ejus augent, & aliquid addunt bonitatis tali actui. *Quando*, temporis qualitatem, actusque durationem indicat; ut qui diebus vetitis carnem manducans, hebdomada majori aut feria sexta in parasceve, absque causa sufficienti eis vesceretur. Vel qui voluptatibus carnis ex se illicitis, die sancto Paschæ, aut festis solemnioribus indulgeret, quod nonnullis, & non absque fundamento, peccati malitiam non leviter augere videtur, sic ut homini jejunanti ex pietate diebus alicui lætitiæ generali vulgo dicatis, crescit meritum, & actus ex se bono aliquid ex tempore advenit bonitatis. Ex actus duratione pariter bonitas aut malitia augetur, ut accidit, cum pius aliquis, & fervens, orationem, aut aliquod opus laboriosum vehementer protrahit in longum ex zelo religionis; vel cum aliquis multum terit temporis in rebus ex se prohibitis, ex quo numerice augeri censendus est actus, ut dum prava colloquia, cum contra fidem, cum contra mores longius producuntur, & ex eorum diuturnitate, actus moraliter multiplicari est verisimile. Vel cum servile opus in die festo reprobatum, diu absque absoluta necessitate exercetur. Ex his omnibus circumstantiis quæ superveniunt actui in sua specie constituto, quæque dici possunt accidentia actum humanum in ordine morali circumvestientia, singularis in actus effluit bonitas aut malitia quapropter multiplicatis circumstantiis, quæ moralem cum ratione habent convenientiam vel repugnantiam, multiplicantur gradus bonitatis, & malitiæ, ex quibus meriti aut demeriti ratio crescit. Hinc est quod diximus, & ab omnibus tenetur, illas esse in Sacramento pœnitentiæ aperiendas, & necessaria, si ex aliquo illatum augeatur peccatum, aut illius species immutetur.

Assertionem nostram expressis verbis tenet Doctor Subtilis, cum in 2. dist. 7 hæc habens, quæ jam alias retulimus: *Triplex est*

bonitas moralis. Prima dicitur bonitas ex genere, hoc est ex objecto. *Secunda dicitur virtuosa sive ex circumstantia . . . Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. Prima ex genere, quando actus . . . habet malitiam, quia transit super objectum disconveniens, ut si odire transit super Deum. Secunda est malitia ex aliqua circumstantia deordinante actum.* Tum quodl. . . *In ista bonitate specifica, quæ dicitur bonitas ex circumstantia, talis est processus. Prima bonitas videtur esse circumstantia finis.* Et in hoc conveniunt omnes, finem dicentes primum locum tenere inter circumstantias quæ actum honestant vel dehonestant. Quod vero mox dicebamus ex singulis circumstantiis singularem in actus fluere bonitatem vel malitiam, tenetur ab eodem ibid his verbis. *In eodem actu potest esse multiplex bonitas moralis. Actus potest esse recte circumstantionatus, non solum multis circumstantiis particularibus quæ non sunt multæ bonitates, sed integrant unam bonitatem, sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus complete omnibus circumstantiis pertinentibus ad unam virtutem, & etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem.* Quod illustrat exemplo hominis Ecclesiam petentis, tum ex præcepto, tum ex zelo Dei colendi, tum ex ædificando proximo. Ex qua triplici circumstantia, vel motivo, triplex eidem actui evenit gradus bonitatis, unicum actum bonum constituentis. Quod adeo evidens est, ut ulteriori non indigeat probatione, & quod de bonitate actus dictum est, de malitia ex opposito esse intelligendum fit manifestum.

Observandum autem ut fert assertio, tria hæc ita concurrere ad actus bonitatem, ut si unum eorum, vel finis, vel circumstantia alia, vel objectum, rectitudine careat, aliis rectis remanentibus, actus malus efficitur, quia, ut notavimus, omnibus consentientibus, bonum ex integra causa: malum ex quocumque defectu.

Quæritur, an actus externus addat aliquam bonitatem aut malitiam actui interno quam non haberet actu externo non adveniente.

Resp. Duobus modis intelligi potest hæc quæstio obscure nimis a nonnullis exposita, si bene ut proponenda est, intelligatur, facile solvetur. 1. Hæc sic accipi potest, utrum malitia quæ propria est actui interno, ut est solum actus internus, augeatur per externum actum, ita ut hæc malitia ut interna (seclusa malitia quæ inest actui externo ut est actus externus) gradum aliquem acquirat quem non haberet si actus externus non sequeretur. Idem dicendum est de bonitate. Sic propositæ quæstioni fit satis, dicendo hanc malitiæ internam, quæ actui interno inest ex prava hominis voluntate, nihil advenire per malitiam actus externi quod illam augeat, cum actus internus in suo esse perficiatur independenter ab actu externo, qui præ se fert malitiam distinctam ab illa quæ singularis est actui interiori: non potest autem actus internus in suo esse perfici, quin habeat malitiam aut bonitatem quæ tali suo esse perfecto correspondet, cum talis bonitas debeatur tali actui bono, sicut talis malitia debetur tali actui malo; quæque bonitas aut malitia respectiva pensanda est ex affectu, vel dispositione ac voluntate operantis. Cum igitur actus internus totalem bonitatem internam ex se habeat aut malitiam quam habere potest juxta agentis dispositionem, hæc nequit augeri per exteriorem actum, cum malitia aut bonitas actum exteriorem comitans, non sit ejusdem speciei ac altera quæ

est

est pure interna, & nihil dicit amplius.

2 Hic potest esse propositæ quæstionis sensus, an actui externo competat quædam bonitas vel malitia distincta ab illa quæ actui interiori inest, ita ut sit magis reus peccator qui actui malo interno addit actum externum, & vicissim majus habeat meritum, qui bonum volens plena voluntate, actu externo exequitur quod in corde interiori actu proposuerat. Tunc huic interrogationi affirmative respondendum judicamus cum Doctore Subtili quodl. 18 dicente, quod *actus exterior, scilicet imperatus habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quam actus interior elicitus*, illud juxta Augustinum sic loquentem tenet: *Mala voluntate vel sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur: profecto quamvis & sic male volendo miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quæ perperam voluisset habere potuisset.* Quod de culpæ miseria non pœnæ, inquit Scotus, intelligit Augustinus. Et illud rationi est conforme. Cuilibet actui convenit bonitas aut malitia quæ ipsi est propria: actus externus est actus vere ab actu interno distinctus: debet igitur bonitatem habere aut malitiam distinctam ab illa quam habet internus. Ex quo fit actum externum addere actui interno, illumque majori esse laude aut vituperio dignum, qui habito actu interno voluntatis prorumpit in actum exteriorem, illo qui totus fuit in actu interiori.

Nec aliquid probant in contrarium quæ adduci possent Scripturæ aut Patrum testimonia, ut cum dicit Christus Matth. cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Vel cum dicit Augustinus, in bona voluntate bonum mereri bona facta, malum mala mereri in voluntate mala, unde in ea, meretur ei miseria. Et non minus reum esse, qui peccatum voluit & non fecit quia non potuit, quam si in facto deprehenderetur. Ex hoc solum concludendum est in actu interiori, seu in animi affectu aut voluntatis dispositione situm esse præcipuam bonitatem aut malitiam operantis, ita ut bonitas aut malitia quæ inest actui externo, in comparatione illius quam habet actus internus, quasi pro nihilo habeatur, ex eo quod si actui interno, ex impossibili, nulla inesset bonitas aut malitia, nec bonus nec malus esset actus externus, qui ex se nihil diceret quam aliquid physicum & materiale, cujuscumque bonitatis moralis aut malitiæ per se incapax. Cum vero actus externus, qui in quantum primario proficiscitur ab actu interno in ipsum realiter influente sit vere moralis, bonitatem aut malitiam voluntatis a qua imperatur participet, nihil obstat quominus aliquid addat saltem accidentale, bonitatis aut malitiæ actui interiori in quo præcipue fundatur ratio essentialis meriti vel demeriti. Præterquam quod dici posset homini, qui actum exteriorem actui interiori correspondentem non exercet quia deest illi potestas, plena remanente voluntate prorumpendi in actum exteriorem si possibilitas adforet, actus externi demeritum vel meritum posse imputari, quia in quantum in ipso fuit, exterius operatus est quod interius conceperat, sicque tota in ipsius voluntatis præparatione extitit actus externi bonitas vel malitia, actus interni complens bonitatem aut malitiam, & in hoc sensu in rigore verum est, voluntatem pro facto reputari. Quod facile in mente Scripturæ &

& Sanctorum Patrum confirmatur exemplo Abrahæ de quo dicit Chrysostomus, *quantum ad voluntatem attinet, cruentaverat dexteram Patriarcha, & per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque abtulerat Sacrificium*. Hinc est quod Genes. cap. 22 per Angelum illum sic Deus alloquitur: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*. Nihil aliud inferri legitime potest ex omnibus quæ contra responsionem præsentem allegari possent. Sicque soluta manet quæstio proposita, circa quam inutilia quædam, obscura nonnulla tractant, qui partem vel affirmantem vel negantem amplectuntur absolute, cum prius ipsis esset status illius clare proponendus, ut in quo sita sit difficultas non remaneret incertum. Cætera in quibus diutius immorantur quidam Theologi, utpote nullius momenti, omittenda existimamus, aut si attingenda nonnullis viderentur, ex jam dictis facile solvi possunt.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Quod de bonitate ac malitia, veris actuum humanorum proprietatibus, loquentes, in iis quæ breviter a quampluribus attinguntur diutius fuerimus immorati, non improbabunt quotquot experientia edocti sunt, actus qui boni nobis videntur & recti, tam facile malos fieri posse, ut sæpe sæpius cum bona agere velimus ac confidamus, de actionis imagine fallamur, pestifera putredinis tabe sub boni specie latente coloris, ut loquitur Gregorius Magnus. Hi scientes homines Sancti sue etiam bene gesta formidant: noverunt enim quia corruptionis pondere adhuc gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt. Unde cum illa ante extremi examinis regulam ponderant, etiam ea quæ approbant metuunt, semper de operum incertitudine trepidi. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines rationem esse reddendam nusquam obliviscentes se aliquid indifferenter operari non credunt, quin potius, Deum cuncta quæ fiunt in judicium adducturum firmissime tenent. Doctrinam actus morales in individuo indifferentes propugnantem in via salutis periculosissimam, nec non præcedentibus Ecclesiæ sæculis ignotam respuamus: eamque veluti primum decalogi præceptum ex parte evertentem, & hominem non Deo, sed sibi vivere permittentem, totis viribus insectari non timeamus. Verum nobismetipsis contrarii non inveniamur, alia docentes, & alia sectantes: sed potius quæ ore prædicamus, opere complentes, omnes actus nostros in Deum unicum nostrum principium, solumque nostrum finem ultimum referamus. Affectum nostrum operi nostro nomen imponere non immemores, quomodo a nobis illud proficiscatur non leviter attendamus. De fructu boni operis falso sibi blanditur, qui Deo per omnia placere non studet, aut qui bonum quod exterius operatur, mente minus recta obnubilat. Si pura & Christiana non fuerit intentio, pravum erit omne opus quod sequitur, quamvis esse rectum videatur, inquit idem Gregorius. Ille ergo dirigat corda nostra, ex quo est omnis nostra sufficientia, ut agnitione voluntatis ejus, ipso donante, repleti fructificemus in omni opere bono, a falsitate & injustitia continentes pedes nostros.

EXER-

EXERCITATIONES THEOLOGICÆ

DE PECCATIS.

Peccata licet deflenda potius essent quam definienda (etenim quod per se nihil est, quale & quomodo definiendum?), a nobis tamen ordo doctrinæ postulat, ut perpensis iis quæ ad actus humanos generaliter sumptos spectant, quos omnes aut bonos esse aut malos ostendimus, de iis actibus differamus, quos ex eo præcise quod mali sunt & a Deo nos avertunt, summa cum diligentia tum cognoscere, tum vitare maxime nostra interest. A semitis antiquis in nullo deflectentes, iisdem continuo freti auctoritatibus, ea qua cœpimus methodo pergemus, in omnibus quæcumque tractanda animo proposuimus, non dissimili ratione, si Domino placuerit, ad finem usque processuri. Quæ circa peccata in universum spectata occurrunt dicenda, quadruplex sectio complectetur. Prima circa peccatum in genere versabitur. De peccato originali in secunda res erit. Peccatum personale tertia considerabit. De quibusdam peccatorum speciebus in quarta tandem differemus, idque pro solito conabimur attingere, sic brevitati consulentes ac utilitati, ut superflua aut futilia tacentes, nihil ex necessariis omittamus.

SECTIO PRIMA

De peccatis in genere

Circa peccatum generice sumptum, abstrahendo a qualibet peccati specie, quod liberam esse ac voluntariam legis transgressionem monditemus, nonnulla sunt præmittenda ad intelligentiam eorum quæ in sequentibus sectionibus

bus tractabuntur, non mediocris utilitatis. Peccatum hic pro ut est quid morale, non vero ut est quid physicum, nos esse perpetuo consideraturos, nullus est qui non videat, unde a multiplici illius significatione exponenda merito abstinemus. Id unum monentes, hæc duo verba, malum & peccatum, indiscriminatim esse quandoque usurpanda.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quid sit peccatum.

Peccati, quod est actus liber ac voluntarius creaturæ rationalis, devians a lege aut regula cui deberet conformari, multiplicem tradere definitionem videtur D. Augustinus, ut dum lib. 22. cont. Faustum Manichæum cap. 27. dicit: *Ergo peccatum est factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*: & lib. de duabus animabus, cap. 11. his verbis: *Ergo peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Quamvis hæc duplex definitio, vel, ut verum dicam, descriptio peccati a Theologis magno applausu non immerito fuerit recepta, ut de prima loquens dicit Bellarminus, veruntamen omnem peccati speciem cum non complectatur, quod est veræ definitioni necessarium, alia, quæ sit magis juxta regulas logices, videtur assignanda insuper posita exacta peccati definitione, investigandum occurrit, an de ratione cujuslibet peccati sit quod legi opponatur, ita ut si non staret lex jubens aut prohibens, peccatum adhuc extaret an non. Existimant nonnulli ideo aliquid a lege vetari quia ex se malum est, etiam non existente lege, contradicentibus aliis, & volentibus malum oriri ex prohibitione legis.

ASSERTIO PRIMA.

Non rejecta, sed habita pro insufficienti duplici Augustini de peccato definitione, rectius per liberam & voluntariam legis transgressionem videtur peccatum definiri.

Peccatum, pro ut a Theologis in moralibus consideratur, ab Augustino non fuisse in rigore logico definitum duobus locis jam laudatis inde patet, quod cuilibet peccato saltem directe non conveniat, nihil enim est quod ad peccatum omissionis proprie possit spectare, cum nec dictum sit, nec factum, nec concupitum, nec de eo dici valeat, quod sit voluntas retinendi vel consequendi, &c. Et aliunde quomodo de peccato originali possit intelligi non videatur. Quod de secunda peccati descriptione adeo verum est, ut Julianus ex illa colligere volens parvulos dum nascuntur nullum originis habere peccatum, quia in eis non fuit voluntas retinendi quod justitia vetat, neque abstinere illis fuit liberum, lib. 1. oper. imperf. c. 47. sic respondet Augustinus: *Ipse est Adam quem nostra illa definitio quæ tibi placuit intuebatur, cum diceremus peccatum est voluntas retinendi*, &c. Unde peccatum etsi videatur Augustinus ibi satis recte describere, admisso quod loquitur S. Doctor, sed insufficienti pro vera definitione, peccatum generice sumptum, dici debet voluntaria & libera legis transgressio. Ad illud enim refertur totalis idea quam omnes homines in moralibus habere possunt de peccato, quod est transgressio legis, & dicitur pro genere, & cuilibet legis transgressioni convenit, estque libera & voluntaria, quod est loco differentiæ. In eo enim quod est transgressio hujusmodi, differt a quacumque transgres-

gressione non libera & involuntaria. Ad rationem peccati voluntarium cum pertineat, Bellarminus amplectens primam Augustini definitionem ut legitimam dicit, quod unum in illa desiderari videtur, ut videlicet voluntarii mentio in ea fieret.

Nec est contra nos quod Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 71. art. 6. & Doctor Subtilis in 2. dist. 37. quæst. 1. illam ex Sancto Doctore approbent, cum eam potius ut descriptionem habeant quam ut logicalem definitionem, quæ debet fieri per verum genus veraſque differentias. Augustino igitur consentientes, dicimus cum Scoto, dictum, factum, concupitum, accipi tanquam materiale peccati, contra legem æternam, dicere formale peccati. Et merito simpliciter dixit contra legem æternam, quia hæc est fons & radix omnis legis, quæ cujusvis sit generis, ab illa derivatur. Cum dicit idem Sanctus Doctor lib. 1. de lib. arbit. cap. ultimo peccatum esse antepositionem rerum temporalium quæ amitti possunt, bonis æternis quæ amans non potest amittere; & lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 3. peccatum esse cum fruimur utendis, & utimur fruendis contra Dei dispositionem: aliaque similia quæ habet variis in locis: hæc varias denotant peccati species, vel unde oriantur peccata ostendunt.

ASSERTIO SECUNDA.

De ratione formali peccati est quod legi adversetur, ideoque præcise est peccatum quia ab aliqua lege prohibetur, quæ si non extaret nec peccatum daretur.

Quid aliud enim significant hæc verba Apostoli dicentis ad Rom. cap. 3. & 4. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et c. 5. *Usque ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur cum lex non esset.* Et c. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces.* Hinc peccatum locis supra laudatis, dicebat Augustinus esse contra legem æternam: sibique constans scribebat lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 16. *Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur ut non sit.* Et lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. *Omne peccatum, vel faciendo quod prohibitum est, vel omittendo quod est præceptum.* In eodem sensu loquebatur S. Ambrosius lib. 2. de Paradiso cap. 8. dicens, *non enim consisteret peccatum si interdictio non fuisset. . . . . Quid est enim peccatum, nisi prævaricatio legis Divinæ, & cælestium inobedientia præceptorum.* Hæc autem omnia idem sonant ac assertio nostra.

Illam autem expresse tenent S. Thomas & noster Scotus. Prior, dum loco mox laudato dicit: *Habet autem actus humanus quod sit malus ex eo quod caret debita commensuratione: omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, a qua si divertat incommensurata erit.* Unde dicit inferius, Augustinum duo in peccati definitione posuisse, quod etiam ut diximus observat Scotus, unum quod pertinet ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato: aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato. Posterior, cum loco jam laudato approbat Augustini descriptionem de peccato, & inculcat oppositionem legi in peccato esse de ratione illius formali, quare jam dixerat liberam voluntatem debitricem esse ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superiori, scilicet

secundum Divinum præceptum, quod confirmat ex S. Ambrosio mox relato. Unde concludit, quodcumque peccatum esse peccatum quia est contra præceptum Divinum.

Nobis ratio suffragatur. Legem transgrediens quæ illi non innotescit absque culpa sui peccati reus non est, quia legem inculpare nescienti violatio non imputatur; materialis enim solummodo, non vero formalis, judicatur hæc transgressio. Quomodo autem illud verum esset, si non extante lege, & antecedenter, peccatum esset peccatum? Ignorantia nulla, etiam invincibilis, hominem a peccato excusaret, quod contradicit veræ moralis principiis, ut alias ostendimus. Præterea, cur in moralibus res aliter se haberet ac in naturalibus & in arte factis, in quibus illud dumtaxat malum censetur quod generalibus naturæ legibus aut regulis artis adversatur & ab illis deviat? Cæterum supposito quod volunt oppositæ sententiæ patroni, actum quemdam peccatum non esse quia pugnat cum lege, sed quia malus est in se, ideoque contra ipsum legem fuisse datam, quo pacto fieri poterit ut actus qui ex se, seu ex objecto malus non est, adveniente lege illum prohibente, malus & illicitus evadat? Illud tamen certum est, matrimonium inter parentes in primo gradu, pluralitas mulierum uni viro per verum matrimonium conjunctarum, ex se non erant actus mali & peccaminosi antequam illos lex positiva prohibuisset; ab ipso quo a lege prohibiti sunt, peccant talia exercentes. Unde ergo advenit illis malitia, qua carebant illi actus nondum lege lata, si lex non est causa peccati, bene vero peccatum causa legis? *Quid ergo dicemus*, inquit Apostolus Rom. cap. 7, *lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem*. Omne igitur quod ex se malum non est, per legis introductionem illicitum redditur, & in eo peccat cui lex nota est, quod illi se non conformat. Unde dicendum, quodcumque peccatum formaliter includere pugnantiam cum lege.

SOLUTIO

Objectionum.

I. OBjectio. Multa, independenter a qualibet lege ea prohibente, esse mala, vereque peccata, indicant hæc Divi Pauli verba ad Rom. cap. 2. *Quicumque sine lege peccaverunt sine lege peribunt*. Et ab hac sententia non recedit Augustinus lib. 1. de lib. arbit. cap. 3. Etenim Evodium interroganti Augustino his verbis: *Dic cur adulterium malum fieri putes, an quia id facere lex vetat?* Ipsi Evodio respondenti per hæc verba, *non sunt ideo malum est quia vetatur a lege, sed ideo vetatur a lege quia malum est*: non contradicit Hipponensis. Ipsi vero quomodo consentiret, nisi existimaret, etiam non extante lege, esse quædam facta improbanda quia peccata sunt? Ex quo evidens est, pugnantiam cum lege non esse de ratione peccati.

Resp. Quantum a proprio sensu verba detorquent Apostoli, qui ea in præsenti controversia objiciunt, ad quam nullatenus spectant! Quod Divus Paulus Judæos redarguat, qui de Lege Mosayca confidentes, contemnendas judicabant gentes quibus data non fuerat, ipsisque dicat unumquemque juxta propria opera a Deo fore judicandum, tam inter gentes quæ legem scriptam non habuerunt, quam inter Judæos, quibus lex scripta per Moysen data est damnationemque futuram, non minus iis qui cum sine lege peccave-

rint Mosaica ad illos non spectante, sine illa peribunt, quam illi qui in lege eadem cum peccaverint, per illam legem judicabuntur, quapropter nullus apertanetum malum effugiet justum Dei judicium. quid habet hæc Apostoli objurgatio in Judæos cum pugnantia cum lege, quam diximus esse de ratione formali peccati? Numquid caruere gentes lege naturali, quæ in omnium cordibus hominum ita insculpta est, ut nullo cujusvis conatu aut labore deleri possit? Legatur textus integer laudatus, & inutilia afferre adversarios mox patebit.

Quid pariter ex Augustini cum Evodio colloquio in præsentibus adversum nos inferri valet? Hoc unum ex Evodii confessione circa mali originem volebat concludere Augustinus, Deum non esse auctorem mali, ut stulte defendebant Manichæi, a quorum partibus stabat Evodius, quem eo ducit, ut fateatur mendacia, adulteria, aliaque id genus scelera, quæ, etiam ante legem positivam quarcumque, prohibita erant a lege naturali, oriri ex perversa hominum voluntate quæ Deum non habet auctorem. Eo se vertit inter Evodium & Augustinum tota concertatio, a nostro proposito penitus aliena, ex qua solummodo sequitur, legem positivam, de qua ibi agitur, prohibere crimina illa quæ a lege naturali jam erant vetita, quod nullus negabit.

II *Objectio*. Ex variis sanctorum Patrum testimoniis, quos communiter sequuntur Theologi, colligitur ante omnem liberam Dei voluntatem, & independenter ab ea, aliquid esse malum, injustum, execrandum, ut mendacium, odium Dei, cultus idolorum, adulterium, blasphemiæ, & similia, quæ a nulla licet lege prohiberentur, essent peccata ratione objecti, & ideo prædesse, quia antecedenter ad omnem legem & intrinsece mala sunt, prohibentur a lege. Pro illis saltem pugnantia cum lege non erit de ratione formali peccati, quod de omnibus habet assertio.

Resp. Illud probandum incumberet quod profertur, & facile ostenderetur Patres quibus consentiunt Theologi, id unum voluisse, quod crimina illa & peccata quæ commemorantur, etiam si a lege positiva vetita non essent, & antecedenter ad illam, mala esse, eo quod prohiberentur a lege æterna, cujus est participatio lex naturalis. Hæc enim omnia Dei sanctitati opponuntur, aliisque ipsius attributis, quæ sunt radix & fundamentum legis æternæ, quæ est summa Dei sapientia, quæ ante omne decretum de quacumque producenda creatura, non potuit non prohibere quæ ipsi adversantur, quæque cum Divinis attributis pugnant; quæ, si per impossibile ab æterno non vetaret Deus, se ipsum negaret, quod est impium dicere. Verum dato nusquam concedendo, quod talia posset Deus non prohibere, & ipsius attributis non opponerentur, tunc nec mala essent in ordine morali nec peccata, cum nullum esset caput ex quo malitiam suam desumerent tales actus, qui in esse suo materiali & physico, sicut & alii omnes, mali nequeunt denominari aut esse. Concedant ergo adversarii nos permanere in nostra sententia quæ auctoritate nititur & ratione, donec valida auctoritate aut ratione adversa, ab illa nos cogant recedere. Cum magis non urgeant alia quæ solent objici, quin potius, ad alia transeamus.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quid sit ratio formalis peccati, an quid positivum vel negativum.

Peccatum in suo esse formali nihil dicere præter denominationem extrinsecam, quo posito sit purum ens rationis qualibet realitate carens, quod nonnulli docuerint parum interest, cum hujus sententiæ, quæ non multos habet patronos, vacuum & inane ex se dignoscatur. Etenim actui peccaminoso, ut deviat a sua regula, inest malitia, quæ realis est independenter a quolibet intellectu de ea cogitante, ex qua intrinsece actus efficitur malus, quod multis argumentis ostendere non curabimus. Id unum discutere aggredimur, utrum hæc malitia quæ peccatum constituit in ratione formali peccati, sit quid positivum vel negativum, vel privativum, vel de utroque participet. Affirmant aliqui, ut moris est, cæteris negantibus, in quæstione quæ dici potest de nomine, cum omnes velint peccatum esse tale, qua actus in quo reperitur, non est conformis suæ regulæ, multum litigantibus utriusque partis defensoribus. Quid in hac controversia nobis sentiendum videatur aperiemus.

ASSERTIO UNICA.

Peccatum in suo esse formali nihil dicit præter privationem debitæ rectitudinis, unde nihil est positivum.

Quid positivum esse posset quod non est aliud quam defectus debitæ commensurationis, carentia conformitatis quam actus habiturus esset cum regula, cui si esset conformis, rectitudine debita a bonitate conveniens donaretur? Peccatum autem in eo per quod formaliter constituitur tale, nihil aliud dicit quam illum defectum, illamque carentiam. *Quid est malum, nisi boni indigentia?* inquit Ambrosius, lib. de Isaac. *Non est injustitia qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantum absentia debitæ justitiæ*, ait Anselmus, lib. de concord. *Malum nihil aliud est quam boni privatio, aut virtutis defectus*, teste Damasceno, lib. 2 de fide. *Vitium omne est improbitas in privatione boni sitam habens formam*, ut loquitur Gregorius Nyssenus, orat. catech. 5 de Isaac. *Nemo quærat causam efficientem humanæ pravitatis*, inquit Augustinus, lib. 12 de civit. cap. 9. *Non enim est efficiens sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio.* Eadem multoties habet idem Sanctus Doctor, quæ mentem ejus constanter aperiunt: unde de variis peccati speciebus disserens dicit, quod istarum defectionum causas quærere, idem est ac velle tenebras videre, & audire silentium. Quomodo hæc Sanctorum verba conciliare possunt adversarii volentes esse in formali peccati aliquid positivum? *Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant*, ait Hipponensis, Tract. 1. in Joan. Hoc a Patribus edocti Angelicus Doctor & Subtilis, eadem suis sectatoribus tenenda reliquerunt. *Est quoddam bonum ipse actus ordinatus, & hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum*, inquit Divus Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 4. *Privatio boni formaliter se habet in peccato*, ait quæst. 118. art. 5., unde opusculo 2. cap. 114. probat quod nomine mali nihil aliud intelligitur, quam privatio esse perfecti, & quod manifestum est, ex hoc aliquid dici malum, quod caret perfectione quam debet habere. Scotus vero sic loquitur in 2. dist. 37. quæst. 1.

Lo-

Loquendo de peccato sive contra legem Divinam, sive contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordare legi superiori & non concordavit ..... *Concedo igitur quod peccatum est corruptio rectitudinis in actu secundo, non quidem quæ inest, sed quæ deberet inesse*. Quod docet pariter in report. Parisiens. dist. 35. Hinc merito mirandum, cur nonnulli Thomistæ, & quidam Scotistæ contrarium tenentes, a Magistrorum doctrina velint non recedere. Absurdum quod ex opposita sententia necessario sequitur, ad adversarios ab ea revocandos satis esset, si illud animo perpenderent. Etenim hac semel admissa, non minus malum quam bonum in Deum velut in causam referri potest, unde peccatum illum habebit auctorem. Ex eo quod Deus sit omnium quæ sunt, prima & universalissima causa, quidquid est in esse quocumque positivi, ab illo debet esse, cum exigat ut fons totius esse, quod ab eo sit omne reale positivum sub omni reali formalitate positiva. Producet ergo ipsum formale peccati sub ratione entitatis, si formale illud sit entitas, ut est necessario, si sit quid positivum. Ens, ut dicunt Philosophi, non præscinditur perfecte ab inferioribus. Unde est quod ratio entis quæ identificatur in peccato cum malitia, si hæc est quid positivum, sit ipsa malitia quæ Deum habebit auctorem. Si quidem nedum entitatem peccati attinget Deus, sed & ipsam deformitatem, quæ in quantum deformitas ex adversariis est aliquid positivum, quomodo attingi potest a Deo entitas peccati quin attingatur deformitas a tali entitate inseparabilis, vel potius quæ, ut quid positivum, est ipsa entitas? Concursus Divinus, ex eo quod est universalissimus, se extendit ad totum ens ejusque differentias, & productive, non præcisive, omnem entitatem rei, modosque illius realiter pervadit. Unde si deformitas aut malitia peccati quid positivum asseratur, Deus causa erit saltem universalis utriusque peccati dicendus: hanc tamen impietatem nollent adversarii defendere. Ne dicant ergo peccatum in suo esse formali includere aliquid positivum, sed illud nihil aliud esse formaliter quam privationem debitæ rectitudinis agnoscant. Debitæ, inquam, si enim actui non debeatur talis rectitudo qua carere supponitur, tunc licet illa careat, non poterit moraliter dici peccatum.

SOLUTIO

Objectionum.

I. O*Bjectio*. Sancti Patres Sacræ Scripturæ modum loquendi tenentes, malitiam peccati ut exprimant, verbis utuntur aliquid pure positivum designantibus, ut cum dicunt hominem peccando derelinquere Dominum, recedere a Deo, ab illo se avertere, & peccatores vocant prævaricatores, legis transgressores, pactum Dei non custodientes, ideoque peccatum dicit Augustinus dictum, factum & concupitum contra legem, ac voluntatem retinendi vel consequendi quod justitia vetat. Hæc autem omnia non nisi metaphorice sunt intelligenda, si peccatum formaliter non dicat aliud quam privationem, quod admitti non potest. Et aliunde certum est peccatum in animam peccatoris maculam imprimere per quam fit Deo odibilis, quod certe dicit in peccato aliquid positivum.

Resp. Duo in peccato saltem commissionis sunt distinguenda, materiale unum, formale aliud. Quid positivum esse peccatum secun-

cundum materiale nemo diffitetur, est enim actus voluntate & libere ab operante elicitur contra legis prohibitionem. Sed sub hoc respectu consideratus ille actus, scilicet juxta materiale, non dicitur peccatum, tunc enim per se nihil aliud est quam aliquid physicum, nullam habens malitiam moralem, quæ repeti debet a deviatione a lege. Hæc vero a lege deviatio in qua reponitur peccati formale, & ob quam solum a Deo imputatur, nihil dicit positivum, sed meram privationem rectitudinis debitæ, seu conformitatis cum lege quæ est regula directrix actuum moralium, & carentiam, ut dictum est, commensurationis quæ deberet inesse. Quod autem Scriptura Sacra, Sanctique Doctores utantur vocibus quid positivum significantibus mirum non est, nec aliquid assertioni contrarium inde concludi potest. Ut hominibus se intelligendos exhiberent dum peccatores significare volebant, & actus denotare, per quos tales ante Deum constituebantur, necesse illis erat ut hos actus per suum esse materiale designarent, cum formale illorum nec esse nec concipi posset nisi materiali supposito, & tota moralitas actuum reponatur in eo, quod illos formaliter constituit. Actus illi per quos iniqui a Deo recedunt, ab illo se avertunt, illum derelinquunt, legem illius transgrediuntur, ejusque pactum non custodiunt, sunt sine dubio aut dictum, aut factum, aut concupitum, & in eis reperitur voluntas consequendi vetitum a justitia æterna, vel retinendi, sed in quantum actus physice considerati & materialiter, ac in esse suo positivo, non imputantur, sed ex eo quod careant conformitate cum lege quæ deberet inesse, illaque privantur, quæ privatio formaliter est recessus a Deo, aversio ab illo, derelictio illius, legis violatio, transgressio pacti, qua formaliter constituuntur injusti & peccatores licet nihil in se habeat positivi. Macula pariter in animam a peccato impressa, cum non sit quid physicum sed morale, nihil supponit positivum in formali peccati quod est illius occasio, vel causa. Ex quibus fit manifestum quare prædictæ Patrum & Scripturæ denominationes, non sunt in sensu metaphorico aut improprio accipiendæ, sed in sensu litterali ac proprio, quamvis moraliter, non vero physice.

2. *Objectio*. Posito quod peccatum formaliter dicat privationem rectitudinis & non aliud, proindeque non sit quid positivum, multi actus quos dicimus peccata & gravissima, non poterunt reputari peccata, nec esse, cum nulla in ipsis reperiatur cujuslibet rectitudinis privatio, ex eo quod per se sint incapaces cujuscumque rectitudinis, talia sunt odium Dei, mendacia, aliaque hujusmodi, in quibus nihil potest considerari quam actus positivus, qui si tollatur, etiam tolletur tota formalis ratio talis peccati, quod esse nequit, si formale, saltem peccati hujus speciei, non dicat aliquid positivum. Nemo tamen dicet mendacia, odium Dei, & similia, non esse vera peccata. Unde ex hac parte ruit assertio.

Resp. Actum intrinsece malum, ut est odium Dei, vel mendacium, non esse rectitudinis capacem, neque per rationem mensurari posse, gratis asseritur. Est enim de natura cujuslibet actus humani & liberi, quod possit dirigi per rationem, & illi debeatur quædam rectitudo, alioquin non distingueretur ab actibus generis sensitivi & animalis, qui cum dirigi nequeant per rationem, utpote legis cujuscumque in ordine morali incapa-

ces,

ces, nec vitia, nec virtutes esse possunt. Actum aliquem humanum & moralem dicere, qui juxta aliquam regulam non sit mensurabilis, unde non sit capax rectitudinis, illam non exigat ut sibi debitam, est inter se pugnantia admittere. Quod illi actus memorati, odium Dei, mendacium, reduplicative ut intrinsece mali, sint rectitudinis incapaces, evidens est, alioquin eodem instanti esse possent mali, & boni, rectitudine debita donari, & illa carere, quod repugnat. Etenim reduplicative ut intrinsece mali, necessario dicunt carentiam rectitudinis, quæ si tolleretur carentia, rectitudine debita donarentur, ex qua desinerent esse malos. Verum idem actus prout sunt a voluntate eliciti & specificative, sunt capaces rectitudinis, illamque exigunt. Ex eo quod enim voluntas in Deum respirat, actus ipsius debetur talis rectitudo, qua in illum tendat ut amandum, non vero ut odio habendum, quia odium non debet transire super Deum, ut ex Scoto alias diximus. Actus igitur quo odio habetur Deus, importat privationem amoris, & per illam privationem actus ille voluntatis fit formaliter malus, & peccatum, ex defectu commensurationis cum regula, cui deberet & exigit conformari, secundum quam Deum nunquam respiceret ut objectum odii, bene vero ut objectum amoris. Quod de illo odio dicimus, de mendacio, & similibus volumus dictum. Unde restat, peccata illa sicut & cætera omnia, nihil dicere in suo esse formali, quam privationem debitæ rectitudinis, & quidquid in eis reperietur positivum, se tenere ex parte materialis illorum actuum, qui eo præcise quod sunt humani, & morales, ad legis, rationisque normam possunt, & debent mensurari, ut ea rectitudine, quæ eis debetur, quamque exigunt, donentur. Quare non valet illatio, quæ falso nititur supposito, ita ut, absque aliquo positivo in esse formali odii & mendacii, talia possent non dicere peccata: quod ulteriori ratione non indiget.

3. *Objectio*. Actus ideo dicitur malus, & peccatum, quia tendit in objectum disconveniens, hæc enim tendentia est illud quod primum concipitur in peccato, & per illam distinguitur peccatum ab omni alio actu morali. Cum igitur talis tendentia, seu habitudo ad objectum disconveniens, sit quid positivum, & præcedat privationem rectitudinis in illo actu, qui jam constituitur in suo esse formali per illam habitudinem, ac tendentiam, quæ est moraliter mala antecedenter ad illam privationem, sequitur, peccatum in suo esse formali, non dicere simpliciter privationem rectitudinis debitæ, sed importare quid positivum.

Resp. Actum malum dicere habitudinem ad objectum disconveniens, & in illud tendere certissimum est: sed illum ex tali habitudine primario dici malum, velut si illa tendentia esset illud primum quod concipitur in peccato prout peccatum est, illiusque gradus distinctivus, negamus. Quomodo enim per aliquid positivum præcedens privationem, constitueretur malus actus, qui ante illam nec plenitudine essendi, nec perfectione debita sibi caret? Si enim caret perfectione debita talis tendentia in objectum disconveniens, jam est privatio, & per illam peccatum formaliter constituitur. Certum est autem ante hanc privationem, actum habere totam perfectionem cujus est in suo genere capax, unde ex hoc capite non potest dici malus, quia talis esse nequit, nisi ex carentia perfectionis cujusdam

sibi

ipsi moraliter debitæ. Privatio ergo rectitudinis, vel perfectionis debitæ, erit primum illud quod occurret in peccato, & per quod discernetur ab omni quod non est peccatum, proindeque erit illius formale constitutivum. Quod vero dicitur habitudinem illam, aut tendentiam ad objectum disconveniens, esse moraliter malam antecedenter ad privationem, admitti nequit de malitia formali, quæ ut sæpius dictum est, nihil dicit quam privationem illam, qua sublata nihil erit hæc habitudo quam materiale actus, in quo ad summum posset fundari illa privatio, quæ est formale illius, in quantum malus est ac peccatum; quod formale si tollatur, nihil erit in tali tendentia, quam ipsius entitas, seu physicum, & nihil morale in ea reperietur.

Opponi adhuc potest, ut plerique solent, posita veritate assertionis, omnia peccata esse ejusdem inter se speciei, & gradus, eo quod in iis semper reperiatur privatio rectitudinis debitæ. Et insuper sequi ex illa, bonum, & malum non opponi contrarie, cum oppositio contraria non sit nisi inter positiva, unde erit contra Scotum dicere formale peccati non esse aliquid positivum. Quibus respondebimus, æqualitatem peccatorum non repeti ex privatione generice sumpta rectitudinis, sed ex privatione talis rectitudinis specificative. Sicut infirmitas gravissima quæ est ad mortem, & infirmitas minus gravis quæ non est ad mortem, non sunt ejusdem speciei & gradus, licet in utroque casu sit privatio valetudinis, illaque careat magis vel minus, qui infirmatur, juxta qualitatem, vel intensionem morbi quo uterque laborat. Cum ergo privatio in qua consistit formale peccati, suscipiat magis & minus, juxta gravitatem, vel levitatem rei in qua violatur lex, falso infertur æqualitas peccatorum ex tali privatione. Ad illud quod additur, bonum & malum opponi contrarie, quod tamen falsum erit, dato quod formale peccati consistat in privatione, & non sit quid positivum, dicendum, hæc omnia nihil dicere præter verba. Quid enim ad præsentem quæstionem, quod bonum, & malum opponantur contrarie, vel contradictorie? Illa inter se opponi certum est: quare, aut quomodo opponantur parum interest, illud non investigamus. In quo fundetur formale peccati, vel unde sit essentialiter pensanda malitia actum formaliter constituens peccaminosum, in eo sita est controversia, quæ cum sufficienter sit explicata, cæteris, utpote vanis ac futilibus, supersedemus. Id unum addemus, ne nos Doctori nostro contrarios esse [illegible] clamitet aliquis, Scotum, dum dicit ex philosopho bonum, & malum contrarie opponi, de materiali utriusque loqui, quod est quid positivum, non vero de formali, unde in vanum in præsenti materia nobis opponeretur.

QUÆSITUM TERTIUM.

An omnia peccata sint æqualia.

Peccata esse alia aliis majora vel minora cum Stoicis negans Jovinianus quem sequitur Pelagius, voluit omnia peccata esse inter se æqualia, ex eo quod in omnibus reperiatur eadem privatio rectitudinis debitæ, quam esse ejusdem gradus, ejusdemque speciei in singulis falso existimarunt. Hunc errorem defendere non obliti sunt posteriorum temporum hæretici, qui fere omnes præcedentium sæculorum errores suos esse voluerunt, sicque verum discrimen esse no-

nolunt inter peccata mortalia & peccata venialia, licet illud semper agnoverit Ecclesia, peccata quæ charitatem extinguunt, ab iis quæ licet illam aliquantulum minuant, cum ea possunt tamen stare, quorum mortalia quædam, venialia dicuntur altera, & sunt, apprime distinguens.

ASSERTIO UNICA.

Peccata quælibet inter se æqualia esse qui defendit, a veritate catholica recedit, cum alia esse aliis graviora doceat fides.

ILlud dogma in sacra revelatione fundatum agnoscet, quisquis Scripturam audierit dicentem, justos quædam, multaque quotidie peccare, per quæ a justitia non deficiunt, & per alia permulta peccatores inimicos Dei fieri, æternamque damnationem, si ab eis non resurgant, incurrere. Hæc autem vera quomodo essent, si æqualia inter se quælibet peccata reputarentur? Sic Proverb. cap. 24. *Septies cadet justus, & resurget: Impii autem corruent in malum.* Eccle. cap. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Joan. epist. 1. cap. 1. de justis in quibus habitualis charitas est, loquens, ait: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et cap. 5. duplex peccati genus distinguit, unum quo a justitia deficit homo, aliud quod justitiam non destruit. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* De illis peccatis quæ sunt ad mortem, loquitur Paulus 1 Corinth. cap. 6. his verbis. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri . . . neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Etiam inter peccata ad mortem esse inæqualitatem ostendunt libri sacri. Sic Jerem. cap. 7. *Induraverunt cervicem suam, & pejus operati sunt quam patres eorum.* Et cap. 12. *Sed & vos pejus operati estis quam patres vestri.* Thren. cap. 4. *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Sic Pilato respondit Christus Joan. cap. 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Quod docet idem Salvator Domi- nus Matth. cap. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis:* de quacumque peccatorum specie intelligatur, hæc totee so minime paria ostendit.

Multa peccata esse quæ charitatem non extinguunt, proindeque a justis committuntur quin injusti reddantur, docuerat Concilium Milevitanum can. 7. his verbis: *Placuit ut quicumque dixerit in oratione dominica ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita nostra, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, dimitte mihi peccata mea, sed, dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se petere intelligatur, Anathema sit.* Id pariter docuit ultimis temporibus Concilium Tridentinum, sess. 6. de justificatione, cap. 11. hæc habens. *Licet enim in hac mortali vita, quantumvis Sancti, & justi in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est, & humilis, & verax: dimitte nobis debita nostra.* Quæ Conciliorum ver-

Exercit. Theol. Z ba

ba luride pro peccatorum inæqualitate probant.

Et hæc fuit constans Sanctorum Patrum doctrina: aliquos ex ipsis audiamus. Origenes hom. 35. in Lucam sic loquitur: *Unusquisque pro qualitate, & quantitate peccati diversam multæ sententiam exprimit. Si parum est quod errat, sextertii damnum minuti . . . Verumtamen necesse est hoc ipsum, quod exiguum est debitor, solvere. Non enim inde exiit, nisi & minima quæque persolverit.* Et Infra: *Si qui parum debet non egreditur nisi exsolvat minutum quadrantem; utique qui tanto debito fuerit obnoxius infinita ei ad reddendum sæcula numerabuntur.* Per quæ ultima verba æternam eorum damnationem designat, qui in peccato mortali existentes ex hac vita migraverint.

Sanctus Cyprianus serm. de eleemosyna hæc habet. *Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est clementia divina, quæ cum sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo, sanandisque vulneribus remedia salutaria.* Et Sanctus Basilius in Psal. 114. *Qui in peccato mortali hæret, dicat, circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Ubi de peccato mortali nominatim loquens, supponit, ut optime notat Bellarminus, esse peccata quæ non sunt mortalia, pro quibus non est dicendum, *circumdederunt me dolores mortis.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 2. in Julianum ait. *Magnum est neque ab initio peccare, aut saltem non in maximis delinquere. Quoniam penitus a peccato liberum esse, Deus supra humanam naturam ordinavit.* Qui maxima agnoscit peccata, minora dari agnoscat consequens est.

S. Ambrosius exponens unum locum cujusdam Psalmi hæc scribit. *Tres gradus fecit Psalmus propter delictorum varietatem: quorum primus gradus est iniquitas, vel impietas, dum non agnoscitur Creator, secundus gravium peccatorum, tertius vero levium.*

S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum cap. 33. de Davide loquens dicit: *Post peccatum pœnitens loquitur, Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Magnum peccatum magna delere vult misericordia.* Eodem libro fortissime hunc hæreticum confutat Sanctus Doctor, illumque invictissimis argumentis debellat, quæ longius esset referre. Hinc merito Bellarminus miratur, quod Alphonsus a Castro scripserit, hunc errorem nusquam a S. Hieronymo adscriptum fuisse Joviniano, & qua ratione talia proferre potuerit, vir aliunde doctissimus, & in variorum hæreticorum placitis versatissimus, ut testem omnium perhibet opus ipsius adversus hæreses, determinare est difficillimum. Ad ipsum, si opus esset, confutandum, satis essent, si alia penitus non extarent, ea quæ habet Hieronymus ibid. cap. 43. *Miror quomodo serpens lubricus, & proteus noster, in variarum se mutet portenta formarum. Qui enim in coitu, & in saturitate Epicureus est, subito in retributione meritorum Stoicus efficitur . . . Si non licet a virtutibus paululum declinare, & omnia peccata sunt paria, ejusdemque criminis reus est, qui panem esuriens surripuerit, & qui hominem occiderit, tu quoque maximorum scelerum reus teneberis.* Hinc est quod Sanctus Augustinus, epist. 29. quæ est ad Hieronymum, illum laudat, quod scriptis suis Jovinianum circa hunc errorem convicerit, hæc scribens, *Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani,*

ni, (docentem paria esse peccata) *quam eorum vanitatem in Joviniano illo, qui in hac sententia Stoicus erat, de scripturis sanctis dilucidissime convicisti*. De Joviniani errore hæc scripserat, lib. de hæresi ad *Quodvult deum* hæresi 82. *A Joviniano quodam monacho ista hæresis orta est ætate nostra cum adhuc juvenes essemus. Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat*. Omnes Ecclesiæ Patres, & Doctores si consuleremus, inæqualitatem peccatorum, contra veterum ac recentiorum hæreticorum variam sententiam, ipsos uno ore confitentes videremus, eorumque perpetuum fuisse loquendi modum quem tenebat Joannes Cassianus, collat. 22 hæc habens: *Justos ac Sanctos viros non esse immunes a culpa manifestis Scriptura pronuntiat, dicens, septies in die cadit justus, & resurgit. Quid enim aliud est cadere, quam peccare? & tamen tam dicatur septies cadere, justus nihilominus pronunciatur, nec justitiæ ejus præjudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multum interest inter Sancti, & peccatoris hominis lapsum. Aliud est admittere mortale peccatum, & aliud est cogitatione, quæ peccato non caret præveniri*.

Inequalitatem peccatorum inter se, in quocumque sensu illam impugnent hæretici, supponit, & statuit Doctor Subtilis variis in locis, de varia enim specie peccatorum quandoque sermonem habet. Id unum afferamus quod loquitur quodlib. 18. dicens. *Apparet quomodo unum peccatum sit gravius alio, sive attendatur secundum distinctam speciem gravitatis, sive secundum distinctam gravitatem, & in eadem specie. Quia actus commoda qui debet habere bonitatem majorem sive in specie, sive intensivam in specie, eodem modo si caret bonitate debita est pejor privative*. Angelici Doctoris, eadem docentis, testimoniis supersedemus. Legantur ea quæ habet præsertim quæst. 71. art. 1. quæst. 73. art. 2. 2. 2. quæst. 142 quæst. 7. de malo. art. 1. quæst. 72. art. 5. quæst. 18. art. 1. & 1. 2. quæ. 18 art. 11. Cum de peccatorum divisione ac speciebus disputabimus, multa afferemus, quibus præsens assertio confirmabitur.

Peccata alia esse aliis majora, aliaque aliis leviora etiam ratio dictat, si ad præceptorum dignitatem, ad materiæ gravitatem, vel levitatem attendamus, illumque in quem delinquimus consideremus. Peccata contra virtutes Theologicas, qualia sunt infidelitas, desperatio misericordiæ divinæ, quæ a Salvatore mundi per blasphemiam in Spiritum Sanctum designatur, odium Dei formale, & similia, esse omnium gravissima quis dubitaret? majus peccatum habere qui in proximum essentialiter peccat, quam qui sibi ipsi soli nocet legem violando, quis non confitetur? Illa quæ per oblivionem, vel ignorantiam quasi involuntariam, vel ob humanæ fragilitatis defectum, & si in re gravi, minus esse punienda, quam ea quæ a plena voluntate, veraque determinatione originem habent, quis ambigeret? falso nixi principio Stoici æqualia peccata esse volebant. Ex eo quod in privatione restitudinis reponatur ratio formalis peccati, ipsis omnem privationes æquales existimantibus, cum consistant in indivisibili, non posse suscipere magis, & minus hæc videbantur. Si privatio quam importat peccatum, nihil relinqueret omnino de forma opposita, ut mors, quæ in subjecto tollit quamlibet vitæ formam, privationes constituentes formale peccati, non possent tunc fortasse dici inæquales. Sed res non sic se habet, Innumera sunt peccata,

quorum alia sunt talia ex fine, objecto remanente bono, alia ex aliqua circumstantia, fine, & objecto bonis existentibus, ut verbi gratia, dum quis proximo notabiliter furatur, præcise ut alicui egeno succurrat. In his autem actibus, qui ex aliquo solum capite vitiantur, cum multum supersit de opposita bonitatis forma, privatio rectitudinis debitæ illis actibus, vere suscipit magis, & minus, in quantum parum, vel multum de hac forma opposita in actu relinquunt, quod vere satis est ad fundandam inæqualitatem privationum, proindeque peccatorum inæqualitatem. Hæc vero inæqualitas illius quod in actu malo relinquitur formæ oppositæ, repetitur ex variis subjecti dispositionibus, sicut & ex virtute cui tale peccatum opponitur, secundum ordinem quem talis virtus dicit ad alias virtutes, ut, si illa sublata, tollantur aliæ plures, vel, si adhuc illa deficiente ex ipsi directe contrario peccato, illæ nihilominus illæsæ remaneant], ut sæpissime fit. Concludendum ergo ex iis quæ attulimus, a veritate catholica recedere illos omnes qui omnia peccata æqualia esse defendunt.

SOLUTIO.

Objectionum.

1. **O**Bjectio. Multa Sacræ Scripturæ loca conglomerant hæretici, ex quibus colligendum existimant eadem esse quorumlibet peccatorum gravitatem, nullamque proinde inter ea posse admitti inæqualitatem. Ut cum habetur Ezechiel cap. 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Rom. cap. 6. *Stipendia peccati mors*. Jacobi cap. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. Matth. cap. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*, id est ab eo exulabit. Cum ergo ex his locis fiat manifestum omnia peccata mortis æternæ damnare qui talia agunt, sequitur exinde nullam repetiri inter peccata distinctionem, ex qua reddantur inæqualia.

Resp. Quid juvant pro paritate peccatorum allegata testimonia? nonne vana, & fictitia est omnimode illatio hæreticorum, quæ omni caret fundamento? conquerebantur Judæi ex eo quod existimarent multos interire ob peccata patrum suorum, & exinde injustitiam quamdam in Deum quasi refundebant; ab illo parum recto cogitandi modo illos volens avertere Deus, Ezechielem sic alloquitur Judæos increpando. *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?* Et cum dixit eis rem sic se non habere, concludit, *anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Hoc est nulli imputabitur peccatum quod ipse non fecerit, sicuti justitia patris bonum operantis, nihil proderit filio nequam legem transgredienti, quem a pœna non liberabit pater justus, non magis quam filius, qui, si ipse fuerit justus, etsi patrem habuerit injustum, non portabit iniquitatem patris. Nihil ex toto illo Ezechielis capite aliud potest inferri, ut cuilibet legenti innotescit. Quid æqualitati peccatorum inter se, vel inæqualitati confert, quod unusquisque eorum qui contra legem fuerit operatus pœnas luat? moriatur, & æternum puniatur qui in peccato gravi mortuus fuerit, quid mirum? stipendium peccati mors, inquit Apostolus, a qua non liberatur peccator, nisi gratia Dei per Jesum Christum ad meliorem frugem adhuc

fue vivens revertatur. Unde hæc Pauli verba nullo modo sunt ad propositum, gratisque ab hæreticis opponuntur.

Si de testimoniis Scripturæ unicuique pro arbitrio ludere licet, illam a recto sensu, & vero detorquendo, ut falsus ac violentus ei affingatur, eaque testimonia prave intellecta, & quæ nullum dicunt ordinem ad quæstionem quæ movetur, sint a Theologo exponenda, & proposito, ad quod non faciunt, sint adaptanda, quia ea objicere alicui, etsi absque fundamento, placet, nusquam erit dicendi finis, ut in præsenti controversia fieret, si contra quæ opponunt Heterodoxi essent resolvenda. Paucis ergo dicendum, locum Jacobi sic intelligi, ut qui in præceptum aliquod graviter peccaverit, etsi alia servaverit, æterna pœna punietur, eodem modo ac si præcepta cuncta violasset, licet remissiori pœna, cum numero, gravitati, diuturnitati peccatorum supplicium sit commensurandum, ut variis in locis id ostendunt libri sacri. Qui enim unum præceptum dedit Deus, alia omnia dedit, ut ipsi in omnibus ab hominibus obediatur, unde est supplicio dignus qui peccat in uno, sicut supplicio est deputandus qui reus, est violationis totius legis, quamvis reatus sint alii aliis graviores, ut supra ostendimus. Vel potius dicendum cum Augustino, quod cum plenitudo legis sit charitas, qui unum præceptum in re gravi transgreditur, deficit a charitate, quæ aliquo modo omnes virtutes complectitur, & charitate spoliatus per peccatum mortale, totam legem violasse reputatur, ex prava animi dispositione, qua fit, ut qui peccat in uno, alia transgredi sit paratus, propriam voluntatem, vel illecebræ voluptatem, obedientiæ quæ Deo debetur, eo tempore quo præceptum violat, anteponens. Unde in quovis sensu accipiatur locus ille Jacobi, nullatenus hæreticorum intento favet.

Nec magis urget quod inferre volunt ex verbis Christi apud Matthæum, quæ nihil pariter, quod sit contra inæqualitatem peccatorum, dicunt. Apostolos suos docens Salvator in sermone in monte divinam legem populo Israelitico per Moysen datam, omni tempore, & ab omnibus hominibus observandam ostendit, & a Christianis modo perfectiori, ideoque affirmat, se non venisse ad illam solvendam, sed ut illam adimpleret, illius scilicet perfectionem demonstrando, suosque discipulos ad talem sectandam perfectionem informando, ut revera ipsum fecisse constat, exponendo in decursu sermonis præceptum *non occides*, præceptum *non mœchaberis*, præceptum *non perjurabis*, aliaque a legis Doctoribus, sinistra interpretatione verbis Moysis parum consona, depravata. Præterquam quod discipulos suos præmunire desiderabat contra futuram Scribarum & Phariseorum calumniam, qua erant aliquando dicturi, ipsum non servare legem, ut dixere, quando ab ipso curato paralytico in die sabbati, illum de violatione hujus diei accusaverunt, sicuti quando ipsi exprobraverunt, quod ipsius discipuli transgrederentur traditiones seniorum, non lavando manus dum panem manducabant. Hoc posito facile intelligitur quid significare voluerit per illa verba: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Quæ Christi verba hunc sensum præ se ferunt. Qui non occidit, ut dictum est antiquis, & fratrem suum conviciis afficiet, vel illi aliquo alio modo contra ipsum habens non fuerit reconciliatus, quod impli-

impleverit in præcepto, *non occides* continetur: aut qui non mœchabitur, ut etiam antiquis dictum est, sed viderit mulierem ad concupiscendum eam, vel qui dato uxori suæ libello repudii fornicationis causa, duxerit aliam, quod implicite a præcepto, *non mœchaberis* prohibetur, ille exulabit a regno cælorum, sive solverit unum de mandatis istis minimis faciendo quod ab illis vetatur, & contra hæc faciendo, exemplo suo ad eadem alios induxerit, sive hæc esse parvi facienda alios dixerit, illos sic contra legis præscriptum, & legislatoris mentem a Christo manifestatam, instituendo, ut faciebant Scribæ, & Pharisæi, legem Dei verbis & factis sæpissime solventes. Nec aliquid interest quod mandata illa Christus dixerit minima, quasi peccata levia committat qui solvit illa quod verbis Christi directe adversatur: minima ab ipso dicuntur, eo quod implicite solum contineantur in majoribus, quæ sunt explicita, unde illorum transgressio, quæ gravissima est, sive explicita sint hæc mandata, sive implicita, æqualiter excludit a regno Cœlorum, licet gravius peccet qui fratrem & proximum occidit, quam qui illi irascitur, aut verbis contumeliosis eum lacessit. Hæc nobis videtur vera expositio verborum Christi a Sanctorum Patrum sensu minime aliena, quæque vere litteralis apparebit iis, qui totum illud Matthæi caput attento animo perpenderint. Cæterum, quibus non arriserit hæc responsio licet directe ad propositum, utpote quæ propositæ objectioni, si quid in ea esset difficultatis, plene satisfacit, alias invenient apud Bellarminum, tom. 3. 2. controv. gener. lib. 2. cap. 22. & apud alios tum Controversistas, tum Scholasticos Theologos.

2. *Objectio.* Peccata esse inter se æqualia indicare videntur, & quasi distincte affirmant plures e Sanctis Patribus, ut cum docent, nulla peccata esse contemnenda ut parva, eo quod non sit parvum peccatum, nullaque detur in novo testamento differentia gravium, aut levium peccatorum. Nemini ex hac vita migranti spem fore veniæ, etiam post vitam laudabilem, nisi superexaltaret misericordia judicium, juxta Jacobi Apostoli sententiam. Minuta peccata occidere dum negliguntur, nihilque interesse ad naufragium, an grandi fluctu navis operiatur, an paulatim aqua subrepente in sentinam, & neglecta, impleatur tandem navis, & submergatur. Quæ, & similia apud Patres passim repeuntur, & assertionis veritatem evertunt.

Resp. Ad Sanctorum Patrum scopum, dum talia proferunt, si attendatur, hæc contra assertionem non militare brevi dignoscetur. Quis enim ignorare potest leviora etiam peccata non esse contemnenda, tum, quia divinam lædunt majestatem, licet charitatem, quam minuunt, non extinguant, & nullum peccatum, eo quod est contra Deum, etsi in rebus levioribus, parvi facere non licet. Tum quia ipse contemptus quandoque fieri potest grave peccatum, ut si quis advertens se aliquid facere in quo recedit ab ordine legis, licet ipsum non corrumpat, ut loquitur S. Thomas, quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis: nihilominus illud facit, contemnens tale peccatum, quia ex se grave non est: hujusmodi contemptum, qui in tali hypothesi formalis est, non esse peccatum mortale ex minus recta operantis dispositione, asserere formidarem, qui enim cum hujusmodi affectione charitas stare possit non invenio. Tum, quia pec-

Quæst. 7. de malo, art. 1.

peccata levia, quæ, etsi consistant cum charitate, ipsius tamen perfectioni adversantur, hominem ad delinquendum in rebus majoribus paulatim disponunt, præsertim si in his levioribus peccatis reperiatur quidam contemptus, juxta illud Eccli cap. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Unde ad perpetuam vigilantiæ curam fideles adhortantur Sancti Doctores, ne parva aut levia peccata parvi facientes, ex proprio pondere ob ipsorum incuriam, vel ob nimiam præsumptionem, in graviora crimina, Deo ex justitia illud permittente, aliquando ruant, sicque navis ex aqua in sentinam ex neglectu derelicta & contempta, infeliciter submergatur & pereat, ut cum Augustino loquar. Verum nusquam voluere differentiam non esse inter grave aut leve peccatum. Et si quis eorum talia scriberet, merito in suspicionem veniret illius opus, veluti sub ementito nomine editum, aut a quodam doctrinæ minus Catholicæ interpolatum.

Ep. 104 ad Seleuc.

Nec immerito dixere, nemini spem fore veniæ, etiam post laudabilem vitam, remota misericordia. Quot enim peccatorum conscii invenientur, saltem leviorum, justiores homines in conspectu Dei, si vita illorum, etsi videatur ex omni parte laudabilis, discutiatur absque misericordia ab eo, qui, ut dicitur apud Job, in Angelis suis reperit pravitatem. Quot peccata occulta, & etiam gravia, pro quibus divinæ justitiæ etiam post mortem sunt debitores homines recti, vitæque probatæ, quorumque reliquias habent solvendas, quid ferendum ipsis non erit, nisi ipsis clementer indulgeat is, in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens, si cum eo intret in judicium? Verum misericordia superexaltante judicium, quantum spei non superest, etiam iis, qui, etsi in gravia prolapsi crimina, ad se reversi, ea per pœnitentiæ lamenta delere conati sunt. Nihil autem est in hoc Patrum loquendi modo ex quo colligi valeat æqualitas peccatorum, quin potius, ipsos semper agnovisse discrimen quod intercedit peccata levia inter & gravia manifestum est, cum levia quibus raro carent justi, peccati nomine designent, gravia vero in quæ frequenter labuntur injusti & peccatores, crimina & scelera dicant. Quam distinctionem reperimus apud Augustinum lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. cap. 14. in quo sic loquitur. *Nullus in Ecclesia recte posset ordinari minister, si dixisset Apostolus, si quis sine peccato, ubi ait, si quis sine crimine est. Multi quippe fideles baptizati sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim*. Ex iis quæ generaliter dicta sunt facile solventur quæcumque possent afferri testimonia, quibus confundi viderentur peccata inter se, quasi essent æqualia, quod nusquam dixisse Patres certissimum est.

3. *Objectio*. Omne peccatum, quovis sub respectu consideratur, duo dicit, aversionem a Deo, conversionem ad creaturam: in quolibet peccato reperitur transgressio primi præcepti quo tenetur homo Deum diligere super omnia. Et per quodlibet peccatum amittitur gratia habitualis, illudque, cujuscumque sit naturæ, pœnam meretur æternam, ex eo quod malitiæ sit infinitæ. Hæc autem dici non possent si peccata essent inæqualia. Unde illa esse paria evidens est.

Resp. Hæc omnia de quolibet peccato mortali verificantur: de hoc enim solum videtur argumentatio procedere: nihilominus, illa mortalia peccata æqualia esse, minus

nus recte concluditur. Aversio a Deo, conversio ad creaturam, violatio præcepti de Deo diligendo, pœna æterna quæ peccato debetur, malitia illius quæ terminative, seu objective est infinita, suscipiunt magis & minus, ut de privationibus superius dictum est. Quod vero omne peccatum importet carentiam gratiæ habitualis, quæ absolute cum illo subsistere nequit, (impossibile enim est idem subjectum, ut est homo peccans, eodem instanti duabus formis directe oppositis, simulque incompossibilibus informari, ita ut, eodem tempore, hic homo qui est Deo inimicus, sit ipsi etiam amicus,) illud nullam ostendit in peccatis æqualitatem, sed dicit solummodo, primum peccati mortalis effectum esse, dissolutionem amicitiæ hominis cum Deo, etsi causa dissolutionis illius, quæ alia esse nequit quam tale peccatum, diversos malitiæ gradus suscipiat, ex quibus pensatur peccati gravitas. Quæ si ita non essent, dicendum esset hominem, qui ex delectatione morosa, ut loquuntur Casuistæ, peccat mulierem concupiscens, ejusdem malitiæ fieri reum erga Deum, ac ille qui mulierem rapiens alienam, illam faceret suam, vel qui ex invidia fratri suo irascens, illi non aliunde noceret, æqualiter peccare, ac si illum ex eadem invidia determinate occideret, quod ipsa ratio falsitate damnat, ac reprobat, & ipsi hæretici, qui pro æqualitate peccatorum, invita auctoritate, invitaque ratione pugnant, dum, ut ipsi sentiunt, serio loquuntur, non ibunt inficias. Præterea nemo negabit, dilectionem Dei, quæ primo mandato declaratur, & ad quam absolute ac necessario quovis tempore tenetur homo, ita ut Deum non diligere ipsi aliquando licitum esse non possit, suscipere magis & minus, illamque modo intensiorem, modo remissiorem fieri posse: quare ergo actus causans illius dilectionis cessationem, ut causat peccatum mortale, non susciperet magis aut minus? Illud resolvant adversarii, vel potius, se a ratione etiam recedere cum veritati acquiescere nolunt advertentes, se falsa propugnasse confiteantur.

Sed fortasse dicent, numquid omne peccatum mors non est animæ? Mortem autem suscipere magis & minus qui vellet, nonne ut stultus audiret? Verum cito evanescet illud effugium, si mortem formaliter, & causative acceptamus. Sumptam formaliter mortem in se non admittere magis & minus, evidens est, cum sub hoc respectu totalem dicat vitæ cessationem, quæ gradus varios nequit habere. Qui enim præcedenti instanti vita functus est, non minus est mortuus, quam ille qui centum ab hinc annis vivere desiit, sicut ille qui post multa & dira supplicia manu carnificis ob propria scelera occubuit, non magis mortuus est illo, qui, inexpectato hoste, gladio percussus ex improviso, statim e vita migravit. Sed ad mortis utriusque causam si attendatur, quis non concedet illam admittere magis & minus? Sic peccatum quod non est formaliter, sed solum causative mors animæ, quæ dicit in suo esse formali gratiæ habitualis, seu sanctificantis totalem privationem, habet magis aut minus, ut mox ostendimus, ex quo metiri debet gravitas peccatorum, quæ inter se æqualia non esse tum fides, tum ratio dictant. Peccata pariter levia, quæ venialia infra dicemus, eo quod mortem animæ non causent, ad quæ non spectabat objectio, habere diversos gradus illorum inæqualitatem constituentes, ex dictis abundanter ostensum est. Iis aliquid

quid addere nullius esset utilitatis.

Quæritur. Admissa semel inæqualitate peccatorum, ex qua fit ut sint alia aliis graviora, undenam repetenda est hæc inæqualitas, qua discerni possit quæ sint levia peccata, quæ vero gravia?

Resp. Ex dictis ubi de bonitate & malitia actuum humanorum, quas diximus debere peti ex objecto, fine, aliisque circumstantiis, facile intelligitur ex ipsis pariter petendam esse peccatorum inæqualitatem, illorumque gravitatem respectivam, aut levitatem. Principaliter ex objecto, hoc est ex varietate virtutum quibus opponuntur peccata: quo plus virtuti alicui essentialiter opponitur peccatum, vel quo magis a regula, & a perfectione recedit, eo magis grave dicendum est. Gravitatem suam desumit unde habet suam speciem. Cum hæc iterum, ubi de peccatorum divisione agetur, recurrant, quæ dicenda supeessent omittimus.

QUÆSITUM QUARTUM.

Utrum peccati malitia sit infinita.

Circa hanc quæstionem non leviter desudarunt quamplures Theologi innumera definientes ac dividentes, quibus, pace eorum dixerim, implicata magis quam explicata evasit. Eo se vertit difficultatis summa, ut sciatur, an peccatum, ut est offensa Dei, sit malitiæ formaliter infinitæ, & simpliciter. Si enim illa attendatur ratione objecti, dubium non est quod sit terminative, & extrinsece infinitæ, ac secundum quid, ex eo quod Deus, a quo peccatum avertit, sit infinitus. Si autem subjective, ut dicunt, ac entitative sumatur, hoc est, in quantum residet in voluntate humana recedente a summo ac infinito bono, non videtur quomodo infinita censeri queat, cum necessario sit participatura limitationem illius in quo subjectatur. Ex inæqualitate peccatorum quam mox exposuimus, sequi videtur, malitiam non posse dici simpliciter & intrinsece infinitam. Etenim si gravitas peccati, quæ identificatur cum malitia, vel fluit ex illa, diversa est juxta peccatorum inæqualitatem, qui fieri potest ut illam infinitam admittas, cum dari non possit infinitum infinito majus aut minus. Si ergo hæc malitia augmenti capax est ac decrementi, in ratione gravitatis offensæ, quæ desumitur ex objecto, ex intensione, aliisque circumstantiis, ut certum est, illam formaliter esse limitatam negari non potest. Pro illius infinitate pugnare Divum Thomam volunt ejus discipulorum major pars, aliique plures: quod tamen ita perspicuum non est, ut insinuare conantur. Illam negare Doctorem Subtilem, qui pauca de illa habet, est absque dubio. Illi adhærent, præter ipsius discipulos, multi non mediocris notæ Theologi.

ASSERTIO UNICA.

Malitia peccati prout est offensa Dei, licet terminative, & objective Dei infinitatem aliquo modo participet, dici non potest formaliter infinita.

Nec in Sacra Scriptura, neque in Sanctorum Patrum scriptis aliquid invenietur quo firmari possit hæc propositio, sicut pariter nihil in contrarium oppositæ favens sententiæ in iis occurret. Unde rationibus Theologicis præsentis assertionis veritatem demonstrare oportet, auditis prius Doctoribus Angelico & Subtili, quos parum inter se discordes hac in parte agnoscemus.

Divum Thomam, in defendenda infinitate formali & intrinseca malitiæ, quæ peccato pro ut Dei offensa, inest, patronum habere falso gloriantur, qui illam simpliciter statuere contendunt, cum nostræ multo magis faveat opinioni, quod ex ejus verbis clare patebit. Ubi enim agit de merito ac valore satisfactionis Christi, loquens de malitia peccati, quod est offensa Dei, omnem infinitatem, quam secundum quid, & non absolute, illi tribuit, esse ab extrinseco non obscure declarat. Sic 3 parte, qu. 1 art. 2 *Peccatum contra Deum commissum*, inquit, *quamdam infinitatem habet, ex infinitate Divinæ majestatis. Tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem ut satisfacientis actus haberet efficaciam infinitam*, &c. In 3 dist. 20 quæst. 1 art. 2. *Ad hoc quod satisfactio esset condigna, oportebat, quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, infinitatem quamdam habebat ex tribus. Primo ex infinitate Divinæ majestatis, in quantum offensa fuerat per contemptum obedientiæ*. &c. Et 1. 2 qu. 87 art. 4. *In peccato duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum: unde ex hac parte peccatum est infinitum.* Ubi cum infinitatem, non simpliciter, sed quamdam, illam scilicet cujus capax est actus hominis, ut est peccatum, repetat ex majestate offensi Dei, quæ infinita est, illam esse ab extrinseco satis ostendit, non vero entitative & formaliter, aut ab intrinseco. Quomodo autem in peccato malitiam formaliter & simpliciter infinitam admittere Angelicus potuisset, qui infinitatem nisi secundum quid, in actibus ipsius Christi non admittebat. Sic loquitur quæst. 29 de veritate, art. 3 ad 4 *Meritum Christi non fuit infinitum secundum intensionem actus: finite enim diligebat, & cognoscebat, sed habuit quamdam infinitatem ex circumstantia personæ, quæ erat dignitatis infinitæ.* Si infinitum non erat meritum Christi formaliter, alioquin fuisset etiam intensive, quanto magis malitia peccati non poterit esse infinita intensive ac formaliter? Quod ita verum est in mente Divi Thomæ, ut dum loquitur de pœna, quæ in æternum peccato mortali debetur, dicat illam non esse acerbitate infinitam, ex incapacitate creaturæ: sic enim habet in 4. dist. 42. quæst. 1 art. 5 *Dicendum, quod ex hoc, quod contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita, non autem potest esse infinita acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed compensatur per durationem infinitam.* Cur autem infinitas in dolore repugnaret in creatura, non repugnante in ipsa malitiæ peccati illius infinitate? Non est potior ratio unius quam alterius. Cum ergo repugnet in creatura, ex Doctore Angelico, qualitas quælibet infinita formaliter, restat, illud infinitatis cujusdam, quod haurit peccatum ex infinitate majestatis Divinæ quam offendit, esse quid extrinsecum malitiæ actus per quem peccans avertit se a Deo ad quem tenetur tendere, unde etiam in doctrina Divi Thomæ, infinitas quam participat malitia peccati, ut est offensa Dei, se tenet ex parte objecti, seu termini a quo, proindeque dici non potest formaliter, aut simpliciter infinita. Ad Doctorem Subtilem quod spectat, assertionem esse ipsius doctrina refertam cum omnes consentiant, pauca de illo referre satis erit. Hic loquens in 3 dist. 19. quæst. 1. de merito satisfactionis Christi, hæc habet: *Dico quod meritum Christi fuit finitum, quia a principio finito essentialiter dependens.*

dens; etiam accepitndo ipsum cum omnibus respectibus, sive cum respectu ad suppositum verbi, sive cum respectu ad finem, quia omnes respectus isti erant finiti. Deinde respondens ad secundum argumentum, in quo dicebatur, quod, illo admisso, sequeretur meritum Christi non potuisse delere reatum peccati, quia illud erat infinitum, addit: *Cum dicis.... peccatum illud erat infinitum, si intelligis quod erat malum formaliter infinitum intensive, falsum est: tunc enim oporteret ponere summum malum, & Deum Manichæorum.* Quod si dicat peccatum esse tantum, quantus est ille in quem fit, unde concludi posset quod infinitum est peccatum, ex eo quod Deus sit infinitus, illud negat quantum ad rationem formalem. *Tamen secundum terminum, a quo avertit peccatum, sortitur,* inquit, *quamdam extrinsecam denominationem* infinitatis, ut actus beatificus sanctorum dicitus infinitus ratione termini ad quem, etsi in se formaliter sit finitus. Idem variis in locis docet Scotus, cujus mens cum sit adeo nota, id unum addam, quod expendens verba S. Thomæ jam observavi, nimirum Doctorem dicentem meritum Christi, etsi valoris infiniti, non fuisse entitative & formaliter infinitum, nullam malitiæ peccati infinitatem tribuere potuisse quam ab extrinseco, & terminative, ratione objecti a quo recedit peccator, majestatem infinitam lædens, in quantum ab ipso lædi potest.

Præcipuam ex rationibus, quibus ostendi potest veritas præsentis assertionis, desumptam ex inæqualitate peccatorum, attigimus, licet breviter, quæstionis statum proponentes: & hæc non contemnenda videtur, neque enim aliquid quod ipsam realiter evertat, in contrarium adduci valet. Cum dicitur peccata esse inæqualia, si attendatur ad privationem rectitudinis debitæ, quæ gradus varios habere poterit, eo ex quod rectitudo suscipit magis & minus, non vero si attendatur ad rationem offensæ, quæ in omnibus peccatis æqualis est, ratione illius qui offenditur, cum, inquam, illud dicitur, ex eo non sequitur quidquam, quia privatio rectitudinis debitæ actui, malitia peccati, offensa Dei, identificantur cum peccato, & ab illo nequeunt separari, & si per impossibile separarentur, nihil amplius dicerent ad peccatum, quod ab ipsis divisum, nec esse, nec concipi posset. Unde sicut una, fatentibus adversariis, gradus habet diversos, sic & aliæ. Præterquam quod offensa Dei, malitia peccati non Deum attingunt nisi terminative & objective, & in actus peccaminosi formali, & in peccante subjectaneur. Homo autem ut diximus cum Divo Thoma, cujuscumque qualitatis infinitæ incapax est, nisi ab extrinseco, & secundum quid, nihil vero ab ipso oriri potest formaliter infinitum.

Præterea, unde repeti posset malitiæ peccati infinitas formalis? Numquid ex dignitate Dei in quem peccatur, vel ex voluntare hominis peccantis? neque alio ex capite deduci valet. Sed ex quocumque repetatur, nusquam erit formaliter infinita. Si ex Dei dignitate, duo falsissima exinde sequerentur. Unum, quod actus virtutis, charitatis, spei, fidei, verbi gratia, qui Deum habent objectum immediatum, sicut & visio beatifica, essent bonitatis infinitæ, cum ex supposito actus dignificentur ab objecto. Alterum, quod peccatum veniale, ut est Dei offensa, esset malitiæ formaliter infinitæ, proindeque puniendum esset pœna levi quidem, sed duratione infinita. Neutrum concedent adversarii. Illud ergo non admittant unde se-

quitur. Si ex voluntate peccantis repetatur malitiæ infinitas formalis, hæc in illa non minus repugnat, quam bonitas actus virtuosi formaliter infinita, qui ab illa elicitur, etenim a potentia finita, ut est voluntas, nihil formaliter infinitum produci valet. Unde inconcussa remanet assertio, quam non evertent objicienda.

SOLUTIO

Objectionum.

1. *Objectio.* Magnum aliquid & convincens opponere sibi videntur adversarii dum dicunt, quod nemo negabit, crescere gravitatem injuriæ & offensæ juxta mensuram dignitatis illius cui fit injuria, unde gravior est offensa, quæ in personam principis cadit, illa quæ in quamcunque personam, etiam publicam, cadit. Unde sic arguunt. Offensa facta alicui crescit ex proportione dignitatis illius cui infertur, & juxta ipsius dignitatem offensæ malitia mensuratur. Cum igitur Deus sit infinitæ dignitatis, & peccati, per quod offenditur, malitia sit mensuranda juxta illius infinitatem, & aliunde talis non reperiatur mensura, nisi malitia sit formaliter infinita, dicatur peccatum malitiæ esse formaliter infinitæ necesse est.

Resp. Deum esse dignitatis simpliciter infinitæ. Crescere gravitatem offensæ proportionaliter ad dignitatem illius cui fit injuria: injuriæ malitiam & gravitatem pensandam esse ex dignitate illius cui infertur: illud ultro concedimus. Ergo peccatum in Deum simpliciter infinitum, dicendum erit malitiæ formaliter infinitæ, talem illationem, ut inadmissibilem, ac ex præmissis minime fluentem renuimus. Hanc admitti non posse, ex rationibus mox allatis patet. Ut directe concluderet argumentum, supponenda esset propositio major hujusmodi. Actus dicens ordinem ad aliquod objectum ad quod terminatur, participat simpliciter, & quantum ad formale, dignitatem illius ad quod terminative ordinem dicit. Deinde addenda sic propositio minor. Sed Deus ad quem terminative ordinem dicit peccati malitia, est dignitatis simpliciter infinitæ, qua propositione, ut ex omni parte vera, admissa, si non absolute negaretur prima propositio major, tunc concludi posset pro infinitate formali malitiæ peccati & Dei offensæ. Verum non concessa prima propositione penitus improbanda, nihil urget argumentum, ex quo dumtaxat sequitur, offensam quæ Deo infertur, esse ratione objecti formaliter infiniti, graviorem qualibet alia, illiusque infinitatem secundum quid, & non absolute, participare, scilicet terminative, ut fert assertio. Nec valet quod dicatur, Deum ex sua infinitate communicare actui egredienti a principio finito gravitatem infinitam, id enim dici non potest, nisi prius ostendatur, quomodo a principio finito, remanente finito, actus aliquis egredi possit virtutis, aut malitiæ infinitæ formaliter. Quod cum probare sit impossibile, omnia argumenta, quæ fieri poterunt, cum sint ex falso supposito, assertionem ex hac parte relinquent inconcussam.

2. *Objectio.* Malitiæ infinitæ formaliter sit oportet peccatum, quod remitti non potest nisi supposita satisfactione formaliter infinita; cum ergo ad peccati remissionem fuerit necessaria satisfactio formaliter infinita, nempe mors Christi, qui ad Deo genus humanum reconciliandum, suum fudit sanguinem, & ita necessario, ut si pro peccato filius Dei factus homo, mortem non subiisset, hocque medio justitiæ

tiæ Divinæ infinite non satisfecisset, natura humana a Deo deserta in æternum periisset. & ex hoc capite concludunt Sancti Patres, fuisse absolute necessariam Verbi incarnationem, sicut & ejus mortem, cum satisfactionem condignam solus homo Deus facere posset, Deo reddens infinitum honorem, quo per peccatum hominis fuerat privatus, ex quo etiam astruitur infinitas malitiæ peccati, honori infinito qui Deo debetur opposita sequens ex infinitate satisfactionis infinitas offensæ.

Resp. Etsi opposita difficultas, quæ fundatur in satisfactione Christi, directe spectet ad tractatum de Deo incarnato, ubi de condignitate, merito, necessitate illius ipse disputatur, in quantum ad præsentem assertionem aliquem ordinem dicit, illi fiet satis pro præsenti dicendo argumentationem adhuc esse ex falso supposito, quæ ut legitime procederet, ostensura esset quod satisfactio Christi fuerit formaliter infinita, quod cum utroque Doctore Angelico & Subtili negamus, si illa infinitas sumatur secundum intensionem actus. Ubi advertendum, quod aliud est, satisfactionem Christi, quæ vere fuit de condigno, esse infiniti valoris, infinitique meriti extensive, & aliud est illam formaliter infinitam esse: quantum unum ab alio distat! Primum ut veritatem catholicam confirmemus, suoque loco, Deo dante, non leviter defendemus. Secundum, ut opinionem Theologorum, hancque minus probabilem improbamus. Incarnationem verbi, illius mortem, supposito Dei decreto, ut medium unicum, illudque absolute necessarium ad condignam satisfactionem, quæ si defuisset, non liberaretur homo, cum Sanctis Patribus agnoscimus, quid Deo per Christum debeamus non ignorantes, illique per ipsum, pro tanto beneficio nobis ex pura liberalitate, maximaque misericordia collato, legitimas gratias agentes. Non concedimus tamen formaliter infinitum fuisse honorem, quo, homine peccante per inobedientiam, fuerat privatus Deus, dicti ratione eadem qua nolumus peccati malitiam esse formaliter infinitam, quia nempe in creatura finita, ut erat etiam Christus secundum humanitatem, esse non potest qualitas infinita. Ex quo nihil dicit paritas desumpta ex honore per oppositum ad offensam, nihilque contra assertionem probat argumentum.

3. *Objectio*. Si quid impediret quominus malitia peccati esset formaliter infinita, illud esset, maxime quia majestas Divina est objectum duntaxat, non vero subjectum offensæ ipsi factæ, & aliunde, quia actus virtutis, cujus Deus est objectum immediatum, non habet ex illo bonitatem infinitam formaliter, & utrinque eadem debet esse ratio. Sed illud non obstat. 1. Quia falsum est Deum non esse morale subjectum offensæ cui infertur malitia. Subjectum autem cum transfundat in actum omne quod potest, Deus qui est infinitus, peccato, ut est ipsius offensa, infinitatem communicat. 2. Etsi actus virtutis, charitatis exempli causa, non habeat ex objecto infinitatem simpliciter, quia cum sit perfectio, impeditur ex limitatione principii, unde huic actui bonitas infinita non potest communicari ab objecto, etsi infinito: attamen peccatum cum sit imperfectio in genere moris, infinitas ejus malitiæ non impeditur a limitatione voluntatis creatæ, quin potius ab illa proficitur. Malitia ergo peccati in genere offensæ Dei, dicenda est formaliter infinita.

Resp. Quomodo duplex illud principium quo ex parte nititur asser-

tio,

tio, everti possit, difficile est intelligere. Falsa enim omnino est duplex ratio qua impugnatur, ut mox erit manifestum. 1. Gratis asseritur Deum esse subjectum morale offensæ ipsi illatæ. Quare potius dicetur Deus subjectum actus cui malitia inest, quam actus bonitatem præsciescentis? Actus virtuosus, esto, ordinem dicat ad Deum tamquam objectum, illud verissimum tenemus, sed quod actus malus ordinem dicat ad Deum offensum ut subjectum, illud probandum incumberet, & ut quid fictitium irridemus. Actum peccaminosum, sicut & actum virtutis subjectari volumus in voluntate creata, & utrumque se habere ad Deum solummodo terminative, ex quo fit utrumque non alterius infinitatis quam objectivæ esse capacem. Offensa Dei gravitatem aut malitiam ab illo desumit ut cognito: etenim Deum invincibiliter ignoraus, aut ipsum per talem actum offendi nesciens invincibiliter, peccato non tenetur: sed ita non esset, si Deus offensæ esset subjectum, quia malitiam offensa desumit ex illo in quo est subjective, & in tali supposito esset independens ab intentione, aut voluntate offendentis. Quare certum est Deum fictitie dici subjectum morale offensæ ipsi illatæ. Non graviori fundamento supponitur subjectum in hoc ab objecto distingui, quod illud, quod ex se potest, totum transfundit in actum, objectum vero non, quod solum suffure per commensurationem ad conatum actus, & influxum principii, atque ab illis limitatur; quapropter Deus actuis charitatis quem terminat ut objectum, non confert dignitatem infinitam, aut perfectionem, majestas autem infinita dat offensæ malitiam simpliciter infinitam: unde quæso, repetatur hæc distinctio? Quod res sic se habeat, esset ostendendum argumentis concludentibus, quæ cum desint, merito rejicitur.

2. Quare actus charitatis perfectionem dicens in creatura, impeditur ex limitatione principii, ita ut dignitas infinita non possit illi ab objecto infinito communicari; & peccatum, quod est imperfectio in genere moris, non impedietur participare malitiæ infinitatem ex limitatione principii. In quo fundatur illud discrimen? An in objecto? An in principio? An in ipso actu perfectionem dicente, aut imperfectionem? Objectum ad quod terminatur bonitas aut malitia actus, idem est in utroque, cum sit ipse Deus. Utriusque principium est voluntas, non minus pro uno limitata, quam pro alio. Quomodo oriri poterit tale discrimen ab eo quod in uno actu est perfectio, cum econtera in alio sit imperfectio? Conformitas cum regula a qua est bonitas, & deviatio seu defectus conformitatis a qua est malitia, aut peccatum quod est imperfectio, ex se non habent quod illi communicent infinitatem, alteri vero non: uterque actus, sive dicat bonitatem aut perfectionem, sive dicat imperfectionem & malitiam, est in genere moris. Non est igitur ratio cur ab objecto infinito actus sortiri possit malitiam infinitam, & ab illo non possit in actum infinita bonitas derivari. Quid ergo? objectum infinitum, quando in ipsum tendit actus prosecutive, ut dicitur, nequit communicare infinitatem huic actui, & idem objectum, quando actus ab ipso recedit, & ad illud se habet aversive, communicabit huic actui infinitatem? Hæc omnia gratis allegantur: & nisi valida ratione, quod facile non erit, firmentur, nihil aliud dicent quam verba. Quæ cum ita sint, ut nemo non videt, ex omni parte remanet probatum, malitiam pecca-

ti

ti pro ut est offensa Dei, non posse dici formaliter infinitam aut simpliciter, sed dumtaxat secundum quid, nempe terminative, ac objective, quod ostendere susceperamus.

QUÆSITUM QUINTUM.

Utrum peccatum possit refundi in Deum tamquam auctorem, aut causam illius moralem.

EO impietatis processere recentiorum temporum Hæretici, ut hominum peccata in Deum refundere non formidarint, ore blasphemo proferentes, ipsum mala opera in impiis operari, eo sensu quod scelera eorum sint verum ipsius opus non minus quam bona quæ agunt; ab ipso hominum peccata ordinari, atque ex ipsius providentiæ ordinatione impiei peccandi necessitatem; quod pestiferum dogma hausisse videntur a Florino quodam, docente Deum esse auctorem mali, de quo Sanctus Ireneus illum confutans apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 19. Talia non proterve minus quam impie defendentes Lutherani & Calvinistæ, eo, Cerdonistis, Marcionitis, Manichæis, Priscillianistis, Albigensibus, peccatores, & in Deum sceleratiores fuere, quod, ut isti, duo principia, nec Deum malum agnoscentes, omnia in unum Deum verum, optimum, hominum crimina referant. Illorum impietatem, quam aures Christianæ exhorrescunt, deplorare magis liberet quam impugnare, nisi istud nostri instituti ratio postularet.

Deum nec esse, nec posse esse auctorem, causamque peccati, etsi non doceret fides, ipsa ratio dictat. Neque enim ex eo quod ab illo ut hominum creatore, habeat voluntatem qua possit peccare homo, inferri potest ab illo esse quod bono male utatur homo, cum aliud omnimode sit præbere voluntatem, & malam conferre voluntatem. Primum Dei est, secundum a se ipsa habet homo, qui ad malum & peccatum a Deo nullatenus impellitur, prædestinatur, aut movetur. Ut causa omnium prima, ac generalis motor, ad actus creaturarum concurrat Deus oportet, nullo refragante. Ad bonitatem actus hominum per gratiæ suæ auxilium, illum active se habere, solus negabit Hæreticus. Ad malitiam vero, seu formale actus mali, ut est quodlibet peccatum, illum efficienter, aut alio modo quam permissivo concurrere, solus ex opposito volet Hæreticus. Omne peccatum impedire, cujuscumque sit speciei, in Dei esse potestate, si illud summa ipsius sapientia impediendum judicaret, nullus est qui contradicat, si Deum confiteatur omnipotentem, ipsumque omniscientem credat. Quare igitur peccatum permittat, dicet aliquis? ille respondeat qui cognoverit sensum Domini, aut qui consiliarius ejus fuerit. Nobis hoc unum fore satis est, nempe Deum nullo sensu dici posse auctorem causamve peccati, quod adversus Hæreticos, tum veteres, tum recentiores, cum ecclesia catholica statuendum habemus.

ASSERTIO UNICA.

Nullo prorsus modo peccatum, in Deum ut ipsius auctorem vel causam, refundere licet, neque enim ab ipso esse illud potest.

HÆc fidei Christianæ veritas firmatur omnibus Sacræ Scripturæ locis, quibus Dei sanctitas declaratur. Ex eo enim quod est essentialiter sanctus, ipsaque sanctitas essentialis, non magis auctor esse peccati potest, & causa, quam ipse potest peccare, quod summæ san-

sanctitati essentialiter, ac in quocumque sensu repugnat. *Sancti Estote, quia ego sanctus sum*, ait Deus Israelitas alloquens, Levit cap. 21. *Ego enim sum Dominus qui eduxi vos de terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti Eritis, quia ego sanctus sum.* Quod multoties in eodem libro habetur. Josue cap. 24. *Deus sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.* Quam alienus est ab inducendis hominibus ad peccandum, qui scelerum & peccatorum vindex est necessarius? Psal. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Quomodo in cunctis suis operibus sanctus esset, qui aut peccare posset, aut alios peccare faceret? Isa. cap. 5. *Exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus sanctus sanctificabitur in justitia.* Magnitudinem suam in judicando, & sanctitudinem suam ex justitia ostendere non posset ille, a quo aliorum peccata provenirent. Hinc est quod habetur Deuter. c. 32. *Date magnificentiam Deo nostro. Omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus.* Ex eo quod autem sit sanctus & justus, iniquitas hominum eum neque delectare, illamque neque causare in aliis, sed neque illam ferre potest. Unde dicitur Psal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et Sapien. cap. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Deus autem cum nihil eorum quæ facit odisse queat, illum impietatem nec per se, nec in aliis causare, nec per illos facere ullo modo posse evidens est. Quare, quo pacto in ipsum refundere peccata hominum possint hæretici, qui scripturam in omnibus sequi falso profitentur, non facile intelligitur. Deum neminem ad peccandum præmovere verbis expressis declarat eadem Scriptura, sic Eccli. cap. 15. *Non dicas, ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii.... Nemini mandavit impie agere.* Et Jacobi Epist. cap. 1. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus.*

Dei nostri sanctitatem ut par est venerantes ac celebrantes Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores, ab ipso procul esse omne peccatum, nulliusque vitium ipsi imputandum, perpetuo prædicarunt. Quod, ut hæreticorum impietas confundatur, nonnulla ex innumeris quæ afferri possent, allegando testimonia ostendimus. Primum sit ex Sancto Justino, Dialogo cum Triphone non longe a fine sic loquente. *Illud quoque ante docui, Deum non esse causam, cur ii, quorum peccata ante cognita sunt, sive Angeli, sive homines improbi efficiantur, sed sua quisque culpa tales sunt.* Quibus sane verbis eorum impietas retunditur, qui volebant ex Dei præscientia oriri in homine necessitatem ad peccandum.

Hanc impietatem, quæ Deum peccati auctorem facit in Florino repressit ex professo S. Irenæus juxta Eusebium illius verba referentem lib. 5. hist. cap. 19. *Ista dogmata, Florine, ut tecum agam humanius, sanæ doctrinæ, & sententiæ non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesiæ repugnantia, utpote quæ eos, qui illis obsequuntur, in maximam impietatem detrudunt. Ista dogmata, ne hæretici quidem, qui erant ab Ecclesia exturbati, unquam affirmare audebant. Ista dogmata presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant Apostolorum discipuli, minime tibi tradiderunt.*

Origenes lib. 4. contra Celsum: *Post*

Post hæc pergit Celsus: naturam malorum cognoscere difficile est non philosophantibus, & satis est vulgus docere, mala non esse a Deo. Et quibusdam interjectis subdit Origenes: *Est quidem verum mala non esse ex Deo. Nam & noster Jeremias manifeste docet quod ex ore Domini non egrediuntur mala cum bonis... Sua cuique ratio causa est existentis in ipso malitiæ, quæ quidem malum est, malæque actiones quæ ex ea proveniunt.* Per quæ refelluntur, qui aliam mali causam quærunt quam voluntatem uniuscujusque, quæ, quod mala sit, a Deo non habet.

Eusebius Cæsariensis lib. 6 præparat. Evang. cap. 3. recentiores hæreticos ante tempus egregie impugnabat, contra eorum antecessores sic scribens. *Impius profecto judicabitur, immo vero pessimus omnium, qui a creatore universi alios ad adulteria, alios ad caedes, alios ad alia vitia impelli arbitratur.* Quam sententiam quasi confirmaret Sanctus Athanasius, ostendens mali auctorem esse Deum non posse, hæc addit, orat. contra idola: *Id absurdum simul & impossibile fuerit. Non enim ex bono malum, neque in eo est, neque per eum. Alioqui pro bono haberi non posset.* Qui in Dei providentiam hominum peccata refundunt, Sanctum Gregorium Nazianzenum sibi oppositum invenient, orat. 1. contra Julianum sic loquentem. *A quibus consiliis* Divinæ providentiæ *non ille quidem ad malum excitatus est (Deus enim nullo modo causa est mali, quippe natura bonus) vitiumque ejus est qui elegit, haud tamen ab impetu suo, animique proposito repressus est.* Ad quod accedit quod habet Theodoretus in epitome divinorum decretorum cap. de Antichristo, dicens: *Deus non est causa malorum, ut volunt etiam externi philosophi: nec enim ipse Cain effecit homicidam.*

Continuam Sanctorum Patrum, idem catholicum dogma contra varios errores astruentium, seriem, quæ apud Controversistas videri potest, cum longius esset referre, Augustinum, ac Leonem primum audire sat erit: omnia Augustini loca aut nobis faventia, aut veritatem istam disertis verbis testantia, qui vellet allegare, ipsi vix foret dicendi finis. Sic autem loquitur lib. cont. Fortunatum Manichæum: *Omnia Deus & bona fecit, & bene ordinavit, peccatum autem non fecit. & hoc solum quod dicitur malum, est voluntarium nostrum peccatum, & aliud genus mali quod est pœna peccati: cum ergo duo sint genera malorum, peccatum, & pœna peccati: peccatum ad Deum non pertinet, pœna peccati ad vindicem pertinet.* Lib. de Spiritu & littera cap. 31 dicit: *Nusquam autem legimus in Sanctis Scripturis, non est voluntas nisi a Deo, & recte non scriptum est, quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est dicendus Deus, si non est mala voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas jam sola peccatum est, etiam si desit effectus, id est, si non habeat potestatem.* Quibus congruit quod habet lib 2. de peccat. mer. & remiss. cap. 18. *Malam voluntatem ad auctorem Deum esse referendum, nefas est dicere.*

Sanctus Leo Serm. 16. de passione Domini, nihil hæreticis relinquit quod respondeant dum sic loquitur: *Numquid,* inquit, *furor persequentium Christum ex Dei est ortus consilio? & illud facinus, quo omni majus est crimine, manus Divinæ præparationis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est, quia multum diversum, multumque contrarium est, id quod in malignitate Judæorum est præcogitatum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit*

voluntas interficiendi unde morientis, nec de uno exiuit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Impias furentium manus non immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo quod faciendum esset coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset ut fieret. Ex his Sanctorum Patrum dictis, & aliorum qui laudari possent, facile dignoscitur, quanta cum temeritate dicant hæretici, a Deo determinante, atque etiam impellente esse peccata. Illos omnes anathemate merito percellere concilia Arausicanum secundum & Tridentinum. Sic loquuntur Patres Arausicani can. 25. *Aliquos ad malum Divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Patres vero Tridentini rem sic definiunt sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Multiplici rationi, qua præsentem veritatem probare nituntur Theologi, supersedemus, hanc uni quæ ex ipsa Dei natura desumitur adhærentes. Deus ex se est summum bonum, omne genus perfectionis dicens, & necessario, primdeque est summa justitia, summaque sapientia. Ab ente summo bono, summeque perfecto longe hic, etiam ne illius causa, omne peccatum, quod est malum ipsius bonitati directe oppositum, necesse est. Si enim ad peccandum homines impellit, aut prædestinat, ab ipsis vest illorum saltem ex parte peccatum, ex quo a sua summa bonitate cederit, non minus quam a sua perfectione, cum peccare, & a lege æterna deficere, maximæ sit imperfectionis. A sua pariter justitia declinat, quid enim summæ justitiæ, summæ sanctitati magis oppositum quam injustitia, ut est peccatum? Et aliunde quomodo in tali supposito subsistere potest ejus sapientia? Leges hominibus dare, præcepta observanda, mandataque custodienda illis constituere, illos deinde prævaricatores reddere, mandatorumque transgressores efficere, eorum mala opera causando, vel ad illa eos determinando, quid magis disconveniens illi qui omnia in sapientia fecisse dicitur? Præterea qua justitia & æquitate vindicare in hominibus potest scelera, quæ in ipsis ille fecisset, & a quibus abstinere illi non potuissent? Ad peccata enim homines impelli, & necessitari a Deo deliriant hæretici, in quibus sibi ipsi mentiuntur, si quidem si homines necessitate, & involuntarie peccant, minime peccant, cum nemo in eo peccare dicatur, quod vitare in ejus non est potestate. *Usque adeo peccatum est voluntarium, ut non sit peccatum nisi sit voluntarium.* Sententia hæc est Augustini, cui nemo sensatus contradicet. Peccatores igitur homines essent ac simul non peccatores. Peccatores ex supposito, cum legem violarent, legis transgressionem Deo in iis operante, illosque ad illam impellente ac determinante. Essent pariter non peccatores, cum coacte & necessitate legem transgrederentur, Deo malam hanc voluntatem in ipsis operante. Quæ enim contradictionem involvant, & omnibus, quas de Deo habemus, notionibus adversentur, illud contradictionem importare, ac repugnantiam, non minus quam impietatem, ex quo fluerent hæc portentosa, abominandaque systemata, omnibus ratione utentibus erit facile manifestum.

SO-

SOLUTIO.

Objectionum.

I. Objectio. Si ad communem, & usitatum Scripturæ loquendi modum attendamus, non pauca reperire est quæ indicare videntur, multa fieri mala ab hominibus juxta Dei consilia ac decreta, ut fuere, odium fratrum Joseph illum Madianitis vendentium, quod in ipsam Dei voluntatem cui resisti nequit, Joseph deinde refundit, nec non Christi Passio, & mors illi a Judæis illata ex definito Dei consilio, & præscientia. Quæ certe, posito tali decreto, non potuerunt non evenire, unde non indirecte sequitur, scelus Judæorum, si non efficienter, saltem causaliter esse a Deo ad hoc illos determinante.

Resp. Duo in iis quæ ex sacra Scriptura eruuntur, quibus ex Dei ordinatione malum aliquod oriri videretur, sunt consideranda: mala scilicet hominum voluntas, quæ a Deo esse non potest, non magis quam peccata ab illa procedentia, & bonum, quod, ex hominum prava voluntate, qua Deus utitur, ex malis bona faciens, juxta divina decreta, exurgit. Odium quo in Joseph exarserunt fratres ejus, ut memorat Scriptura, sicut & illud quo, Christum interemerunt Judæi, Deum non habuit auctorem. Quod vero in salutem populi Israelitici, juxta Dei consilia tali medio utentis, ut populus ille in Ægyptum descenderet, ibique, Joseph primatum exercente, mirabiliter multiplicaretur, in populum Dei singulariter aliquando eligendus, redundaverit tale odium, ex se injustum, & malum, illud fuit ex singulari Dei consilio, & voluntate, cui homines frustra tentarent resistere, & de fructu quem ex suo odio, licet ratione sui criminando, retulerant filii Jacob, intelligenda sunt hæc verba Joseph *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum .... nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* Quapropter a veritate recedunt, qui hunc locum ita exponunt, ut hæc verba, *num Dei possumus resistere voluntati*, ad scelus fratrum Joseph referant, quasi ad illud fuissent compulsi, cum hæc referenda sint ad exaltationem Joseph, & ad salutem quæ per ipsum facta est, ut evidens est legenti verba immediate sequentia, *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsenti cernitis, & salvos faceret multos populos.* Unde nihil eo loci, ex quo peccati causa Deus dici possit. Hæc sunt duntaxat consolationis verba, per quæ Joseph fratribus suis, ne, Patre Jacob mortuo, de eorum perfidia vindictam sumeret, timentibus animos addit, ut docet in hunc locum S. Joannes Chrysostomus. Odium pariter, quo ducti Judæi Christum crucifixerunt non fuit a Deo, sed illorum perversissima voluntate utebatur ad generis humani redemptionem, ut satis ostendunt verba superius laudata ex Sancto Leone, quibus addemus quod habet Augustinus tract. 45 in Joann. *Peccatum fecerunt Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prævidit, quem nihil latet.* Qui loquens de bono quod facit Deus, malis bene utens, lib. 5. cont. Julian cap. 4. ait: *Facit miris, & ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua, non solum in corporibus hominum, sed et in ipsis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed utitur eis, ut voluerit, cum aliquid inique velle non possit.*

Genes. cap. 50.

2. Objectio. Multa sunt mala quæ vero in Scripturis a Deo profici-

scun-

feruntur, & quorundem se Deus ipse dicit auctorem. Sic lib. 2 Reg. cap. 16. de Semei legitur. *Dominus praecepit ei ut malediceret David, & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?* Et cap. 24. *Commovit Dominus David in eis dicentem: vade, & numera Israel, & Juda.* Amos cap. 3. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit?* Cui simile est illud 2 Reg. cap. 12. *Hæc dicit Dominus: ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua.* Isa. cap. 13. *Ecce ego suscitabo super eos Medos.* Jer. cap. 51. *Suscitavit Dominus spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens ejus est ut perdat eam.* Quibus similia quamplura habentur variis in locis, potissimum apud Prophetas, quæ quomodo vera erunt, si malum Deus causare aut facere non potest?

Resp. Hæc mala Deum habere auctorem libenter confitemur, non in eo quod per se in iis, quibus utitur Deus ad aliorum correptionem, injustitiæ habere possunt, sed in eo, quod ex parte ipsius æquitatis habent, dum per ea impios punit Deus, vel de iis, ut in se revertantur, sumit vindictam. Unde cum dixisset Augustinus lib. 83. Quæst. quæst. 21. *Auctor mali Deus non est*, mentem suam exponit lib. 1. retract. cap. 26. *Videndum est ne hinc putetur non ab ipso esse pœnam malorum, quæ utique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dictum, quemadmodum dictum est, Deus mortem non fecit, cum alibi scriptum sit, mors & vita a Domino Deo est. Malorum ergo pœna, quæ a Deo est, malum est quidem malis, sed in bonis Dei operibus est, quoniam justum est ut mali puniantur, & utique bonum est omne quod justum est.* Et juxta hanc expositionem lib. contra Adimantum discipulum Manichæi, cap. 26. respondet ad illud Amos, „ Non est malum in ci-„ vitate quod Deus non faciat. *Malum hoc loco, non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod homo patitur pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta cum hoc diceret. Divina enim providentia cuncta moderante, & gubernante, ita homo male facit quod vult, ut male patiatur quod non vult.* Dum ergo malum aliquod intulisse hominibus dicitur Deus, de malo non ut terrorem in iis, quibus aliquando utitur Deus ad correctionem aliorum secundum propositum voluntatis suæ, peccatum est, intelligatur; sed in quantum prodit, quos ex justitia, aut ex misericordia castigat, est peccati pœna. Et aliunde ex parte eorum, per quos alii sic puniuntur, quique propriam causam agere existimant, & injustitiæ aliquando pleni sunt, malum quod operantur, non est nisi permissive a Deo, qui, ut habet Augustinus, *non creator, sed ordinator malorum voluntatum*, eas dirigit, & malo bene utens, facit quod ipse decrevit. Sicque respondetur omnibus Scripturæ locis, quæ supra laudata sunt, aut possent afferri. Unde ad justitiam Dei referens David maledicta Semei, patienter ea tolerat, ne voluntati Dei id permittentis resistere videretur, ut indicant verba sequentia. *Ecce filius meus quærit animam meam: quanto magis nunc filius Jemini; dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini.* Quo sensu eodem intelligenda docet Augustinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 20. dicens, *Quomodo dixerit Dominus Semei maledicere David, quis sapiens, & intelliget? non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur. Num si jubenti obtemperasset, laudandus potius, quam puniendus esset, sicut ex hoc postea novimus esse punitum.*

3. Obje-

3. *Objectio*. Sæpe sæpius dicitur Deus in Scripturis homines indurare, excæcare, Prophetas aliosve decipere, immittendo spiritum erroris, ut credant mendacio, & quosdam desideriis suis tradere, ac in reprobum sensum: quibus similia passim reperiuntur, quæque satis expresse significant, Deo esse attribuenda, saltem ex parte aut causaliter, hominum peccata.

Resp. Quotquot in errorum sui, vel potius impietatis suæ ac blasphemiæ patrocinium allegare possent hæretici, specie tenus sibi faventia Scripturæ testimonia, se in vanum laborare agnoscant oportet, nisi operationem illam erroris, de qua Paulus ad Thesal. epist. 2. c. 2. in perfidiæ illorum ac superbiæ pœnam immiserit illis Deus. Quibus ut breviter, & in globo respondeamus, præsertim cum hæc solvere potius ad tractatum de divina gratia pertineat, Augustinum causam nostram, vel melius Dei causam agentem audiamus. *Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam*, inquit epist. 105. ad Sixtum. *Sic excæcat Deus, sic obdurat, deserendo, non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest*, ait tract. 53. in Joan. *Cum audis, ego Dominus decepi Prophetam illum, & quem vult indurat, ejus merita cogitato, quem sic obdurari, & falli permisit*, lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. & lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. dicit: *Obdurare Deum est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo fit homo deterior, sed tantum quo fit melior, non irrogatur*. Lib. 5. contr. Julian. cap. 3. ait: *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis atque consentit, vincitur, trahitur, capitur, possidetur*. Et jam dixerat, exponens illud Apostoli ad Romanos.

„Tradit illos Deus in passiones ignominiæ. *Sequitur*, inquit, *propter hoc tradidit* . . . *audis propter hoc, & quæris inaniter quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo. Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit. Curavit iste Apostolus dicere quanta pœna sit tradi passionibus ignominiæ, sive deserendo, sive alio vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc summe bonus, & ineffabiliter justus*. Quæ omnia Augustini verba adeo cuilibet intelligenda redduntur, ut qualibet interpretatione ab iis deterpatur. Et per ea solvitur difficultas quæ proponi posset, dum quæritur quomodo unum peccatum sit aliquando alterius peccati pœna, & tamen in Deum non refundatur, qui peccatores desideriis suis traditos relinquit per divinam patientiam, non per potentiam ad peccata compellit.

4. *Objectio*. S. Augustinus videtur insinuare ex Apostolo ad Rom. cap. 9. Deum ad ostendendam iram suam fecisse vasa in contumeliam, ad instar figuli, in cujus est potestate ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in opprobrium: quomodo iræ causa fecerit vasa in contumeliam nequit intelligi, si ipse peccata in eis aliquomodo non faciat. Hunc textum ad hunc sensum accommodat Hipponensis ad Paulinum scribens, & ad Sixtum. Quod non leviter confirmatur ex iis quæ habet lib. de grat. & lib. arbit. cap. 21. sic loquens: *Satis quantum existimo manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum*.

Resp. Falsa interpretatione verba Augustini, sicut & verba Apostoli in pravum sensum detorquere co-

conantur hæretici, ut aliquid quod sibi favere possit, inveniant, sed frustra. 1º. Enim non dicit Apostolus, Deum fecisse vasa in contumeliam ad ostendendam iram suam, sed ad ostendendam iram, & notam facere potentiam, sustinuisse in multa patientia, vasa iræ apta in interitum, quod valde diversum est. Neque enim dici potest, Deum aliquem creasse ad interitum, licet multos creaverit, quos sciebat ab æterno futuros vasa iræ, quosve sustinuit in multa patientia, ad tempus parcens eis. Quod autem omnium hominum creator Deus, ad instar figuli ex massa eadem, vasa fecerit iræ, & vasa misericordiæ, alios prædestinaverit ad gloriam, alios non prædestinaverit, ad inscrutabilia ipsius judicia est referendum, quæ nostrum non est attingere. De illis loquens Augustinus epist. 105. ad Sixtum dicebat: *Cur autem istum potius quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.* 2. Falsum est textum illum ad sensum ab hæreticis intentum accommodari nullibi ab Augustino, qui discretionem aliorum ab aliis ex Dei decreto, ad sapientiæ illius altitudinem, & vias ejus investigabiles refert, nec aliquo loco dicit reproborum damnationem opus Dei esse, aut ipsi posse imputari illorum peccata. Quod si dicat verbis in objectione laudatis, Deum inclinare hominum voluntates pro ut voluerit, cum ad bona, tum ad mala, eo sensu illud dicit, quod malas voluntates, ut diximus, non creans sed ordinans, sic dirigit, ut ad unum potius malum ferantur quam ad aliud. Unde ait: *Voluntatem propriis vitiis malam in hoc peccatum judicio suo justo, & occulto inclinavit, bene utens, & malis tamquam summe bonus,* Unde subdit: *Fixum enim debet esse, & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum.* Ex quibus patet nihil ex locis citatis concludere posse adversarios, quod pro illis loquatur.

5. *Objectio.* Ideo peccatum in hominem refunditur, quia vere ab ipso est actus, in quo vel per quem peccatur. Cum ergo idem ille actus sit vere a Deo, in ipsum non immerito peccatum refunditur. Quomodo a Deo non esse dici posset ille actus, ad quem vere concurrit Deus ut principale agens? Concurrit enim directe ad omnes actus causarum secundarum, quæ nullam habent virtutem absque concursu causæ primæ. Quo semel admisso, a Deo esse debent hominum peccata.

Resp. Concursum causæ primæ cum causis liberis, de quo nullus ambigit, quid sit, & quomodo fiat ille, hic examinare nostri non est instituti. Illum, ut quid absolute necessarium ut in actum prorumpant causæ secundæ, merito supponentes, exinde minime sequi illarum peccata Deo esse tribuenda defendimus, quod ratione non minus quam religioni consonum sentiet quisquis attenderit duo esse in peccato consideranda, materiale unum, quod est ipsa actus entitas, ut dicunt, vel ipsius physicum & positivum, formale alterum, quod, ut alias diximus, est defectus conformitatis cum lege, seu privatio debitæ rectitudinis. Ad primum concurrit Deus ut causa universalis, qui ex lege a prima creatione oriente, sibi constituit concurrere ad omnes actus & singulos causarum secundarum, quæ in ipso habent esse, vivere & moveri: illudque operatur Deus, nedum concursu generali, & in quantum facultates naturales quibus operantur, habent causæ secundæ ab illo, sed concur-

cursu speciali seu particulari, quo desinente nihil operaretur homo naturalibus facultatibus donatus. In physico actus cui concurrit prima causa, nihil est malitiæ, quæ est quid morale, quod in materiale seu physicum cadere nequit, unde peccato nullo modo participat Deus, sed totum, quod est formale actus a regula devianes, & ad quod non concurrit causa prima, hominis est. Actus secundum materiale, ad quem directe ut principale agens concurrit Deus, aptus est habere rectitudinem debitam, qua caret ex prava hominis voluntate, quam retardare, licet hanc impedire posset, Deus non debet, qui liberum condidit hominem, ipsumque in omnibus libere acturum decrevit. Causam ergo efficientem actus in quantum est talis actus, Deum simul & creaturam dicamus, causam vero non efficientem, sed deficientem peccati solam creatam voluntatem, quæ illius actus, ut peccatum est, causa est proxima & immediata, a qua procedit quidquid malitiæ in illo est, in primam causam nonnisi impie refundendum.

Nec valet illatio a simili: Deus est auctor boni quod operatur homo, quia ad illud concurrit ut prima causa, ergo cum ad malum concurrat pari ratione, auctor illius erit dicendus. Diverso modo ad utrumque actum concurrit Deus. Ad materiale seu ad substractum peccati, ut loquitur Doctor Subtilis, remota prorsus malitia formali, concurrit non causando defectum ejus, nec illum intendendo, unde non præbet concursum ad actum, ea parte qua peccaminosum, sub quo respectu dicit malitiam, quæ ut quid morale, & totum proprium causæ secundæ, ad illam tedit tamquam ad causam moralem, qualis Deus respectu illius mali actus esse non potest. Ad actum bonum concurrit Deus producendo quidquid in actu est, tum morale, tum physicum, utrumque intendendo juxta ordinem sui decreti, & juxta illud in tempore concurrit, reponendo causam secundam in actu primo per auxilium gratiæ suæ, ut sit in potentia proxima ad recte operandum in actu secundo, eamque, ut ab æterno decrevit, determinando per concursum gratiæ adjuvantis ad actum rectum & meritorium eliciendum, qui est concursus prorius & connaturalis, a causa prima ita statuente, debitus causæ secundæ operaturæ. Quod Scoti veram esse doctrinam, in tempore, dante Deo, invincibiliter ostendere in mente habemus. Præterea Deum adjuvare ad moralitatem actus virtutis, cujus homo sibi relictus est incapax, dicit perfectionem in illo, cum ex opposito, ad moralitatem actus vitiosi, ad quam sufficit homo, quamque solus potest intendere, Deum adjuvare, imperfectionem in illo importet necessario. Nihil autem Deo tribui potest quod per se aliquo modo dicat imperfectionem. Restat igitur ex concursu Dei cum causis secundis, nihil sequi unde malum, quod operatur homo, Deo tribuatur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

A Deo summe bono, infinite perfecto, longe esse omne peccatum, etsi sacris litteris non doceremur, ratione ducti naturali cognosceremus. Unde negare absolute Dei existentiam, aut aliquid ipsi tribuere, quod summæ sanctitati repugnet, aut quamcumque imperfectionem redoleat, unum & idem est. Hinc bonorum solum Deum causam esse dicendum, malorum autem quamlibet aliam, præter illum, causam quærendam esse, prædicabant gentiles philosophi,

phi, existimantes indecens, nec cuiquam dicere permittendum malorum alicui causam esse Deum, cum bonus sit, sed illud esse omnino refellendum. Quod a Deo omnimode alienum scientes ipsi Manichæi, de tot malis quæ in mundo cernebant stupentes, multiplex rerum principium admittere, juxta illud quod sibi finxerant nefandum systema, coacti sunt, aliud medium, malitia sua excæcati, ne in Deum mala referrentes, non videntes. Id de Manete tradit Sanctus Epiphanius hæresi 66 his verbis. *Unum vero hoc quærit improbus ille, ut ne malitiam Deo admisceat. Nam & absurdum est malitiam Deo attribuere, Deus enim nihil mali fecit, sed omnia valde bona, ut qui bonus sit natura . . . neque igitur malum semper erat, neque ex Deo factum est malum* quod confitebatur Manes. Ab hominum perversa voluntate, illud solum quod malum recte denominatur, peccatum videlicet, originem habet. Sed ab illo malo vere timendo, ex quo, injuste constituimur, aliud proficiscitur, per quod injusti, a Deo juste punimur. Ab uno solo quod a nobis est, summa diligentia caveamus, alterum, quod a Dei clementia, dum temporalis est pœna, procedit, patienter ferentes. Divina enim bonitas, ut ait Augustinus, ideo maxime irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro. & misericorditer adhibet temporalem severitatem, ne æternam inferat ultionem. Peccata nostra sive magna sive parva, quæ impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut Deo judicante plectuntur, majestatis infinitæ offensam esse perpetuo memores, in omnibus actibus nostris legi æternæ conformari satagamus. Recti enim & justi non erimus, si debita rectitudine ex conformitate cum voluntate divina metienda, non donentur actus quos eliciemus, perversi & injusti quandiu ab illa recedemus. De peccatis disserere quid nobis prodesset, si de eorum natura, caussis, gravitate tractantes, illa vitare summa cum diligentia non invigilaremus. Nonne majus judicium inde sumeremus? Illa ergo sollicite fugiamus, iis, quæ ex humana fragilitate contraximus, iterum non adjicientes, sed de illis ut nobis dimittantur, Deum per Christum assidue deprecantes.

SECTIO SECUNDA.

De peccato originali.

De peccato originali, quod a protoparente Adamo in omnes homines, qui per generationis viam ex eo nascuntur, realiter pertransiit, dictum, quæstionem inter abdita christianæ fidei arcana maximam suscepimus tractandam. Eaque momenti eo majoris est, quod ab illa pendeant omnia Christi mysteria, totaque in illa fundetur ipsius Religionis œconomia. Si enim peccante primo homine, non periit cum illo genus humanum, ut quid Christus mortuus est? Ergo evacuatum est scandalum Crucis. Populo suo redemptionem cur misisset Dominus, cui redimi nihil prodesset, si unde redimeretur non haberet? Hinc contra Julianum scribens Augustinus, merito dicebat, peccatum originale ad ipsa fidei fundamenta pertinere, quæ, illo non stante, nec ipsa stare valent. Ut autem in tanta rerum dicendarum copia inconfuse procedamus, ad tria capita controversia præsens refertur. Existentiam peccati originalis primo demonstrare opus est. Illius natura deinde est explicanda. Quinam sint illius effectus, quæve pœnæ illud comitentur, erit tandem examinandum.

PA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De existentia peccati Originalis.

PRiusquam dogma catholicum adversus variorum temporum hæreticos, omnibus momentis quibus probari potest aliquod fidei caput, stabiliamus, quibuscum sit nobis certamen ineundum scire juvat, ut in quo præcise sita sit controversia dignoscamus, eoque facilius adversariorum errores convellamus.

QUÆSITUM PRIMUM.

De iis qui peccati Originalis existentiam negaverunt, aut aliquo modo impugnaverunt, & præsertim de causa Pelagii in Synodo Diospolitana.

HIstoriam texens hæresum Alphonsus noster, inter eos qui prave de peccato originali senserunt, illiusque existentiam aliquando impugnaverunt, Armenos & Albanenses cum Albigensibus minime confundendos recenset lib. 12. adv. hær. Post Albigenses, qui ideo baptismi necessitatem negabant, quod nos per Adæ peccatum nollent constitui peccatores, Anabaptistæ, Sociniani, aliique plures eodem errore infecti sunt. Iis præiverat Pelagius Monachus, quem Magistrum Cœlestius, inquit Sanctus Augustinus lib. de hæres. hær. 88. sic secutus est, ut sectatores eorum Cœlestiani etiam nuncupentur. Audacter adeo dogma catholicum circa peccatum originis impugnavit Pelagius, quem Magistrum ac deceptorem habuisse narrat in suo commonitorio Marius Mercator, Rufinum quemdam, quem potius Aquilejensem quam Palæstinum, vel Syrum, fuisse non leves rationes ostendunt, ut Pelagians potissimum hic error renovatur. Pelagium ejusque discipulos tot scriptis debellavit Augustinus, tam pro peccato originali defendendo, quam pro necessitate gratiæ Christi ostendenda, ut plenam de iis victoriam reportaverit. Quæcumque adversus hanc hæresim dicentis, ille nobis maxima ex parte subministrabit, a recti tramite recedere, illo ducente, non formidantes. Sed quæ gesta sunt in causa Pelagii in Concilio Diospolitano, quæve fuere erroris ipsius capita prius est investigandum.

Pelagius in majori Britannia natus, sed ex quo genere monachorum fuerit re minus certa, Romam venit circa finem quarti sæculi, ibique viginti circiter annos commoratus, non vulgaris pietatis fama percelebris, (nonnullis interea de illius virtute dubitantibus) cum Cœlestio in Siciliam pervenit, ab Urbe ejectus, ut multis non sine gravi fundamento placet. Siracusis deinde discedens, Hipponem quæ Augustinum habebat Episcopum, postea Carthaginem petiit. Cœlestio in Asiam transeunte, in Palæstinam se recepit Pelagius, & Joannis Jerosolymitani fretus patrocinio, errores suos pluribus discipulis tradidit ebibendos. Ab Herote & Lazaro Episcopis hæresis Pelagii accusato, Diospoli in Palæstina Synodus quatuordecim Episcoporum, de quibus apud Augustinum lib. 1 contr. Julian anno 415 habita est. Ab illis vocatus Pelagius, qui erroribus suis variis in operibus disseminatis, Catholicos omnes commoverat, doctrinam suam diversis expositionibus specie tenus orthodoxis dissimulans, illamque palliando, tergiversando ore ejurans, re non satis examinata, catholicus habitus est. A Diospolitana illa Synodo subdole absolutus Pelagius, qui Episcopos Græcos Latini idiomatis igna-

ignaros, proindeque sensum latinæ expositionis ab illo ipsis traditæ exuere impotentes, deceperat, eoque facilius, quo accusatores ejus longius distabant, quæ causa fuit cur Synodum illam vocaverit miserabilem Sanctus Hieronymus, a discipulis interrogatus de retractatione respondit, quantum ad præsentem controversiam spectat, protoparentis peccatum posteris nocuisse non propagatione, sed imitatione & exemplo. Comperto ab Episcopis Africanis, quod Diospoli in causa Pelagii factum fuerat, acceptisque per Orosium Herotis ac Lazari litteris, duo contra Pelagianos Concilia celebrata sunt, Carthagine unum, Milevi in Numidia alterum, brevique Cœlestius & Julianus a Sancto Innocentio Summo Pontifice damnati sunt. A Pelagio deceptus Zosimus Innocentii successor, qui professionem fidei ab illo missam acceperat, Episcopos Africanos, quasi Heroti & Lazaro levius credidissent, acrius objurgavit: sed non multo post fraude hæreticorum detecta, Episcoporum Africanorum judicium confirmavit, hæreticosque proscripsit, qui variis in conciliis, ut videbimus, cum suis erroribus deinde damnati sunt. His circa historiam prænotatis quæstionem propositam duplici assertione solvemus.

ASSERTIO PRIMA.

Peccati originalis existentiam quinto Ecclesiæ seculo impugnaverunt Pelagius & Cœlestius, a quibus Pelagiani seu Cœlestiani eorum sectatores fuere nuncupati.

Assertionis istius veritas manifestatur a Sancto Augustino lib. de hæres. ad *Quod vult deum* num. 88 hæc scribente: *Pelagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima a Pelagio Monacho exorta, quem magistrum Cœlestius sic secutus est, ut sectatores eorum Cœlestiani etiam nuncupentur. Parvulis etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda nativitate dimitti: sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.* Idque confirmatur ex iis quæ lib. de peccato originali contra Pelagium & Cœlestium cap. 13 habet S. Doctor, referens Pelagii verba desumpta ex libro quem scripserat pro libero arbitrio: *Omne*, inquit Pelagius, *bonum ac malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur a nobis: capaces enim utriusque rei, non pleni nascimur, & ut sine virtute, ita & sine vitio procreamur. Atque ante actionem propriæ voluntatis, id solum in homine est quod Deus condidit.* Ad quæ Pelagii verba attendens Augustinus sic prosequitur: *Nempe cernitis in his Pelagii verbis, quod dogma contineatur amborum, de parvulis sine ullius vitii ex Adam contagione nascentibus. Non itaque mirum est, quod eos qui dicunt Adæ peccatum ipsi soli obfuisse & non generi humano, & infantes qui nascuntur in eo statu esse in quo fuit Adam ante prævaricationem Cœlestius damnare noluit.* Certum ergo est ex Hipponensi superius assertum.

Ad ejusdem asserti confirmationem addamus S. Hieronymum sub nomine Attici pugnantem cum Pelagio sub nomine Critobuli lib. 3. dialog. adversus Pelag. Sic loquitur Critobulus: *Dic quæso, & me omni libera quæstione, quare infantuli bapti-*

ptizantur? Respondet Atticus. *Ut eis peccata in baptismate dimittantur*. Critobulus. *Quid enim commeruere peccati, quisquam ne solvitur non ligatus?* Atticus. *Me interrogas? Respondebit tibi Evangelica tuba, Doctor gentium, vas aureum in toto orbe resplendens ... regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adam qui est forma futuri ... Cæterum omnes homines aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine tenentur obnoxii. Qui parvulus est, parentis in baptismo vinculo solvitur.* Frustra autem parvulos indigere baptismo ad peccati primi parentis liberationem, probaret Hieronymus, si illud omnibus esse commune peccatum non negassent Pelagiani.

Circa peccatum originale in multis aberrabant Pelagiani ac Cœlestiani, 1. in eo quod dicerent Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano, ut colligitur ex Augustino lib. de peccato origin., hocque Pelagius, ipsi in Palæstina Synodo objectum, simulate anathematizavit. 2. In eo quod vellent infantes, qui nascuntur, in eo statu esse, quo Adam erat ante prævaricationem. 3. Quod juxta ipsos non esset necessarium baptisma ut in parvulis deleatur originalis culpa, sed ut renascantur in Christo, & ad Cœlorum regnum jus hæreditarium obtineant. Vitam enim æternam distinguebant a cœlesti regno, a quo excludebantur parvuli non baptizati, qui vitam habebant æternam. Unde dicebat de illis Pelagius, *quo non eant scio, quo vero eant nescio*: cujus rei testem Augustinum aliquando afferemus. 4. Concupiscentiam dicebant fuisse in Paradiso, hancque bonam de se & innocentem, de naturali esse hominis conditione, non vero originalis peccati pœnam, ut ex Juliano aliisque Pelagianis habetur apud Augustinum lib. 1 oper. imperf. aliisque in locis. 5. Contendebant omnes quibus subjacemus calamitates & miserias, ipsamque mortem, de prima hominis esse conditione, non vero primi peccati effectus & pœnas: ut videre est apud eumdem in libris adversus Julianum, & lib. 1 de peccat. merit. & remiss. & alibi. Hos errores circa peccatum originale de Pelagio & Pelagianis refert Marius Mercator in suo commonitorio, quæ varia erroris capita, prout se dabit occasio, impugnabimus, veritates illis oppositas stabilientes.

Nec assertio infirmatur anathemate, quod in Diospolitano Concilio dixit Pelagius in credentes, Adam solum, non vero genus humanum, ipsius peccato fuisse læsum, ac in opinantes, in eo statu nasci parvulos in quo fuit Adam ante prævaricationem, ut refert Augustinus lib. de peccato origin. cap. 14., quin potius exinde illa roboratur. Cur enim Pelagio talia fuissent a Patribus Diospolitanis objecta, ipseque ut illa anathematizaret a Concilio postulatus fuisset, nisi ea propugnasset? Facilius ipsi erat respondere, se numquam talia protulisse, si hæc illi fuissent ex calumnia adscripta. Verum errores illos defendentibus anathema dixit, non sincero animo, sed simulate, ut Patrum Diospolitanorum fugeret animadversionem Pelagius, ut constat ex Augustino ibidem sic loquente: *Sed postea cum legissem quatuor ejus libros, de quorum primo libro paulo ante commemorata verba decerpsi, & invenissem hominem adhuc contra catholicam fidem de parvulis sententem, grave miratus sum tam impudens in Ecclesiastico judicio, & de tanta quæstione mendacium*. Falsa igitur expositione, impudentique tergiversatione, Episcopos Palæstinos

decepit Pelagius, ut ab illo concilio indamnatus abiret, non tamen ut veritatem Catholicam ingenue profiteretur, ut sequenti assertione dicenda manifestabunt.

ASSERTIO SECUNDA.

Etsi Pelagius in Palæstina Synodo, ut refert Sanctus Augustinus, anathematizaverit eos qui negabant nasci infantes cum originali peccato, doctrinam tamen Catholicam non est professus, sed Patres decepit Diospolitanos, qui non ore fidei, sed facti, Pelagium quasi catholice, & diversa ab hæreticis dogmatibus sentientem, non intellecta ejus versutia, absolverunt.

PElagium in Palæstina Synodo videri voluisse Catholicum, ac dixisse anathema iis qui infantes cum peccato originali nasci negabant, testis est Augustinus, lib. de peccato origin. cap. 11, ubi postquam ea quæ Pelagio in illa Synodo fuerant objecta, retulit, verba Pelagii in Synodo sic loquentis refert. *Reliqua vero & secundum ipsorum testimonium, quia ista non sunt pro quibus ego satisfacere debeam, sed tamen ad satisfactionem Sanctæ Synodi, anathematizo eos qui sic tenent aut aliquando tenuerunt.* Hæc Pelagius. Ideo plures in eodem libro, aliisque in locis miratur Hipponensis, quod de peccato originali non recte sentiat Pelagius, qui de illo Catholice sentire Patribus Diospolitanis voluit videri. Quod ita verum est, ut illius discipuli de tali retractatione illum increpaverint, ex eo quod in Concilio Palæstino peccatum originis in parvulis agnovisset. Quibus, ne mutasse sententiam crederetur, respondit, Adæ peccatum nocuisse generi humano imitatione & exemplo, non propagatione, sicque confessionem suam coram Synodo esse accipiendam. Illud habetur ex S. Augustino eodem libro cap. 15 hæc scribente. *Quid enim ad rem de qua nunc agimus pertinet, quod discipulis suis respondet, ideo se illa objecta damnasse, quia & ipse dicit non tantum primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum, non propagine sed exemplo, idest, non quod ex illo traxerint aliquod vitium qui ex illo propagati sunt, sed quod eum primum peccantem imitati sunt omnes qui postea peccaverunt.* Unde firmatum manet Pelagium errorem suum coram Diospolitanis Patribus ore tenus dumtaxat ejurasse, fidemque Catholicam in mente illum minime tenuisse.

Pelagium ergo sincere minus loquentem decepisse Episcopos Palæstinos evidens est, ipsosque ipsius fraude deceptos quasi catholice sentientem errore facti illum absolvisse. Hoc expresse memorat S. Augustinus eodem libro cap. 8. sic loquens. *Fefellit enim judicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus. Romanam vero Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit.* Cap. 10. *Jam nunc diligenter attendite, unde monstretur quod Palæstinos Pelagius fefellerit judices, ut alia taceam, in hac ipsa quæstione de baptismate parvulorum, &c.* Cap. 13. *Ac per hoc cum peccatum Adæ ipsi soli obfuisse non generi humano, secundum istam suam sententiam, verissimum patet, cur hoc damnaverit Pelagius, nisi ut judices Catholici fallerentur? . . Ut quid ergo & hoc damnavit Pelagius, nisi ut Catholica Synodus falleretur, ne novus hæreticus damnaretur?* Cap. 14. *In eisdem quippe libris & contra peccati ex Adam transitum loquitur, & de gestis Palæstini Synodi gloriatur, ubi eos qui sic tenent,*

nent, veraciter damnasse putatus est, & absolutionem suam fallendo furatus est. Et eandem cap. 16. *Numquid hæc dicendo verba propter aliud objecta, aliter exponendo, id egit, ut se judices non fefellisse demonstret? Prorsus non id efficit: tanto enim judices fefellit occultius, quanto exponit ista versutius.* Hæc Augustinus.

Non errarunt tamen in fide Patres Diospolitani, qui Pelagii doctrinam nedum non approbaverunt, sed etiam illam vere damnarunt. Quod expresse declarat idem Sanctus Doctor eodem cap. 16. post verba mox laudata immediate subjungens. *Episcopi quippe catholici quando audiebant hominem anathematizantem eos qui dicunt Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano, nihil aliud eum sapere existimabant, quam id quod Catholica Ecclesia prædicare consuevit. . . . & quando audiebant anathematizantem eos qui dicunt infantes qui nascuntur, in eo statu esse in quo Adam fuit ante prævaricationem, nihil eum aliud dicere credebant, nisi eos qui parvulos putant nullum ex Adam transisse peccatum, & secundum hoc in eo statu esse quo fuit ille ante peccatum. Etenim hoc illi objiciebatur, non aliud, unde quæstio versabatur. Proinde cum iste sic exponit, ut dicat infantes idea non in eo statu esse in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum sunt in eadem firmitate mentis aut corporis, non quod in eos transierit ulla culpa propaginis, respondeatur ei, quando tibi illa damnanda objiciebantur, non ita Catholici Episcopi sic intelligebant. Ideo eum illa damnares catholicum te esse credebant. Propterea ergo quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit, quod vero tu sapiebas damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda sensisti, sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda, cum te judices non intelligerent occultare damnanda.* Quibus verbis historiam texens Augustinus eorum, quæ gesta erant Diospoli in causa Pelagii, assertionem nostram firmat, idque disertε adeo, ut nihil expressius afferri possit.

Hipponensem de eadem re lib. de gestis Palæstinis cap. 21. loquentem iterum audiamus. Sic enim haber de Palæstinis Episcopis Pelagium absolventibus sermonem faciens. *Illi enim tamquam de ignoto judicantes, his præsertim absentibus qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentius examinare minime potuerunt, hæresim tamen ipsam, si eorum sequantur judicium qui pro ejus perversitate certabant, penitus peremerunt.* Cap. 35. *Pelagium ad omnia respondentem quatuordecim Episcopi provinciæ Palæstinæ secundum responsiones ejus alienum a perversitate hujus hæresis pronuntiaverunt, eam tamen hæresim sine ulla dubitatione damnantes.* Gratis ergo & absque fundamento Pelagium ab hæresi absolvisse, ejusque doctrinam in se ut catholicam habuisse dicerentur Patres Diospolitani, qui perversam opinionem ejurare videntes Pelagium, sincere, & absque dolo illum loqui existimarunt, ipsius errorem damnantes, sed hunc, quasi ab illo errore alienum, errore facti, absolventes.

In testimonium vocetur Sanctus Prosper. Ipsum videbimus Carmine de ingratis narrantem, Pelagium errore in illo Concilio accusatum, sua objecta damnasse, invitaque illius fraude, quæ ignota fuit illis Episcopis, fidem Catholicam fuisse firmatam. Sic loquitur cap. 2.

Non

. . . . . Non segnior inde oriente tis.
Rectorum cura emicuit, captamque nefandi
Dogmatis auctorem confrinxit lege benigna
Commentum damnare suum, nisi corpore Christi
Abjungi, & sancto mallet grege disjectari,
Lene quidem hoc nimiumque malis tolerasse videtur
Judicium, sed sancta fides examine in illo
Vicit abortarum diro de semine prolem,
Prospectum namque est divina & munere cautum,
Ut hoc insontem declinans bellis pœnam
Perfidiæ, secum sensus tenuisset eosdem,
Ipsa tamen propriam germen damnando necaret,
Ore malum extinguens sobolem quam protulit ore.

Nec audiendi sunt qui dicerent, ea fuisse a Patribus Diospolitanis approbata, quæ verbo aut scriptis discipulis suis tradiderat Pelagius. In sensu hæretico loquebatur ille docens aut scribens: at coram Episcopis Palæstinis se catholicum finxit. Et ad ea quæ in Concilio proferebat tantum attendebant illi Patres, de illius scriptis parum curantes, quem pro se catholice respondentem audiebant, objectosque errores reprobantem. Quare catholicum illum putantes, catholicum illum pronunciarunt, ex eo quod objectionibus in sensu minime hæretico responderet, ut ait S. Augustinus lib. 1 cont. Julia. cap. 2. Quomodo ea Patres Diospolitani approbasseut quæ Pelagium ipsum damnare cogebant? pro ipsis loquatur Augustinus, hoc in negotio aliis quibuslibet anteponendus. *Responses ejus non immerito approbaverant*, inquit lib. de gestis Palæst. cap. 1. *non curantes quomodo ea quæ objiciebantur in opusculis suis posuerit, sed quid de eis in præsenti examinatione responderit. Alia est enim causa fidei non sanæ, alia locutionis incautæ . . . . plane aliena non sunt quæ respondit. Illud vero quod de libro ejus prolatum est aliud sonat. Sed hoc Episcopi, græci homines, & ea verba per interpretem audientes, discutere non curarant, hoc tantum intuentes, quod ille qui interrogabatur sensisse se diceret, non quibus verbis eadem sententia in ejus libro scripta diceretur.* Nec aliquid in contrarium inferri potest ex Hieronymo hanc synodum, ut jam observatum est, vocante miserabilem, non eo quod errorem Pelagii approbassent Palæstinæ præsules, sed eo quod illusi a Pelagio, errore facti illum ut Catholicum absolvissent, quem diligentiori examina, reque maturius discussa, ac illius accusatoribus de novo auditis, & aliunde absentibus, hæreticum agnovissent.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Utrum ab Adam in ejus posteros transfundatur peccatum Originale.

NEdum cum Pelagianis tam veteribus quam recentioribus peccati originalis propagationem absolute negantibus, vel illud ad summum ex imitatione admittentibus, sed etiam cum aliis omnibus circa illud quacumque ex parte non catholice sentientibus, ut sunt Calvinistæ pluresque Sectarii, qui aliunde peccatum originale confitentes, negant illud contrahi ab iis qui a parentibus Christianis trahunt originem, rem nobis esse, ex supra observatis facile

le intelligitur. Unde varios illos errores ex omni capite impugnandos habemus, Catholicum dogma adversus ipsius hostes sic vindicatum, ut veritas, omnibus verbum Dei scriptum agnoscentibus, sacrasque traditiones amplectentibus, nec non Ecclesiæ auctoritatem in dirimendis circa fidem controversiis probantibus, demonstrata videatur, eo modo, quod ab iis solum, qui ratione sua abutentes, nihil credere volunt quod ab humano intellectu naturalis luminis ductu capi non possit, in dubium revocari queat.

ASSERTIO UNICA.

Ab Adam in posteros omnes qui ex eo per naturalem generationem habent originem, transmittit per verum propagationem originale peccatum, in illos etiam qui ex parentibus fidelibus nascuntur, ut omni tempore Sancta Mater agnovit Ecclesia, credere debet omnis Catholicus.

HOC præcipuum Christianæ fidei caput, ad retundendam, tum hæreticorum, tum impiorum pervicaciam, fundatum ostendemus, & in sacris Scripturis, & in veneranda patrum traditione, non minus quam in Ecclesiæ definitionibus, quibus rationes Theologicæ non paucæ accedunt, ut a fide omnium sæculorum se recessisse inania meditantes, fateri cogantur hæretici, sciantque nihil credentes Socinians, illisque in quavis parte adhærentes, non levibus duci momentis, qui hanc veritatem, humani intellectus captum superantem, sed a primo religionis exordio, primorum Patriarcharum tempore a cunctis Deo credentibus acceptam, cum Ecclesia Catholica confitentur. Ne autem in tanta rerum copia ob mediorum varietatem quædam oriatur confusio, diversa momenta quibus nititur catholicum dogma divisim attingemus, adversariorum argumentis, ad unumquodque illorum reducendis, dicentibus seorsum respondentes.

MOMENTA

ex Sacris Scripturis.

CElebris est præ cæteris in veteri Testamento, locus ille Genesis, cap. 17 *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo. quia pactum meum irritum fecit*. Pactum cum Abraham irritum parvulus irritum facere non poterat, cum rationis expers de imperata circumcisione nequidem cogitare posset. Unde de illo quod Deus inierat cum Adam in ligni prohibitione, est præsertim intelligendus ille textus cum Divo Augustino, lib. de peccato orig. cap 30. & lib. 3. contra Julia. cap. 18. aliisque in locis. Et a vero sensu Scripturæ recedere videntur, qui illum de pacto pro circumcisione unice volunt intelligi. Absurdum judicat Augustinus lib. 16 de civit. cap 27 quod ad parvulum pertinere possit pacti violatio, quæ ab illo esse non potest, licet in illo sit. Quapropter in ipsius mente de animæ morte, & damnatione intelligenda sunt hæc verba, *delebitur anima illius de populo suo*, ex eo quod juxta hebraicum sermonem, apponi ad populum suum, ut sæpius habetur in Scripturis, Sanctorum hæreditatem significet. Hinc est quod Julianum interrogans Hipponensis, si de pacto inito cum Adam, ac de peccato quod ex illo trahimus omnes, quod negabat Julianus, non intelligatur, ab illo quærit, *quid meruerat parvulus*,

currit Apostolus vanis Pelagianorum placitis, qui dicunt mortem juxta illum, pertransisse in omnes homines, quia Adæ prævaricationem imitati sunt, non quia in ipso omnes peccaverunt. Neque enim justitiæ nostræ auctor est Christus & causa, in quantum ipsum imitantes, justi efficimur, sed in quantum virtutis ipsius justificativæ proprie ac effective reddimur participes. Unde dixit 1. Corinth. cap. 15. *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Duorum hominum illa causa est. Per unum, nempe Adam, morimur, quia per illum in nos peccatum intravit, per alium, scilicet Christum, vivificamur, quia per justitiam suam nos a peccato liberat. Ad omnes omnino homines spectat quod in Adam peccaverunt & moriuntur, sicut ad omnes spectat, quod pro illis liberandis & vivificandis Christus mortem subiit, & surrexit a mortuis. Dicente eodem Apostolo 2. Corinth. cap. 5. *Æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus .... & resurrexit.* Inanis est igitur Pelagiani cujusdam recentioris post Erasmum idea, dum dicit prima Apostoli verba, de adultis dumtaxat esse intelligenda, non de parvulis Adamum imitari impotentibus. Hæc est mera cavillatio, non autem verborum Apostoli recta expositio. Et non nisi misertime ab ipso scriptum exstimamus, Augustinum minus recte hæc Apostoli verba adversus Pelagianos fuisse interpretatum.

SOLUTIO

Objectionum.

5. O*Bjectio*. Ex laudatis verbis Pauli ad Rom. non infertur peccati originalis propagatio in omnes homines, sicuti non infertur omnium justificatio per Christum: utrumque ad certum aliquem numerum hominum se extendit, illorum videlicet qui Christum & Adam fuerint imitati. Hinc est quod dicat multos constitui peccatores, & multos constituendos justos. Quare autem multos posuit, si de omnibus in utroque volebat intelligi?

Resp. Hanc difficultatem solutam habemus apud Augustinum, cui objecta fuerat a Pelagianis. Ideo ipsum respondentem audiamus lib. 6. cont. Julian. cap. 12. his verbis. „ Cum vero multos quod di„ xit postea, non vis intelligi om„ nes, quod prius dixerat, ideo „ existimans dictum fuisse multos, „ ne omnes intelligerentur: pote„ ris hoc dicere & de semine A„ brahæ cui promissæ sunt gentes, „ non omnes gentes ei fuisse pro„ missas, quia dictum est allo lo„ co, Patrem multarum gentium „ posui te. Est autem sanus intel„ lectus, ideo sic locutam scriptu„ ram, quia possunt esse aliqua om„ nia, quæ non sunt multa. Si„ cut omnia dicimus evangelia, „ & tamen brevi numero, id est „ quaternario continentur. Et rur„ sus possunt aliqua esse multa non „ tamen omnia, sicut multos di„ cimus credere in Christum, nec „ tamen omnes credunt. Non enim „ omnium est fides, ait Apostolus. „ Quod autem dictum est in semi„ ne tuo benedicentur omnes gen„ tes, & Patrem multarum gen„ tium posui te: easdem omnes, „ multas, & easdem multas, omnes

„esse monstratum est. Ita etiam cum dictum est, per unum in omnes transisse peccatum, & postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos: ipsi sunt multi qui & omnes. Similiter cum dictum est, per unius justificationem in omnes homines, ad justificationem vitæ; & rursus dictum est per unius obedientiam justi constituentur multi, non aliquibus exceptis, sed eosdem multos, omnes oportet intelligi: non quia omnes homines justificantur in Christo, sed quia omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari quam in Christo.... Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Id est, ex prima origine generis humani, nemo ad mortem nisi per Adam, & nemo per Adam nisi ad mortem, & nemo ad vitam nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam. Vos autem dum non omnes sed multos, sive per Adam condemnatos esse, sive per Christum liberatos vultis intelligi, horrenda perversitate Christianæ Religioni estis infesti. Si enim salvi erunt aliqui sine Christo, & justificantur aliqui sine Christo, ergo gratis Christus mortuus est.“ Hæc Augustinus. Volens ergo Apostolus, juxta illam Sancti Doctoris expositionem, virtutem passionis, abundantiamque meritorum Christi ostendere, justificantis eos omnes qui peccaverunt in primo homine, per hæc verba declarare voluit, tam universalem esse gratiam Christi redimentis, quam fuerat culpa Adæ occidentis. Et revera, ut ait Sanctus Leo Serm. 1. de Nativ. Dom. *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Quantum in ipso est, per sanctitatem suam omnes redemit Christus, quia omnes in peccati sui reatum Adam traxerat, licet efficaciter non justificentur omnes, nec fructum redemptionis Christi consequantur, ut dicitur in Tractatu de gratia mediatoris, quod in culpa non est salvatoris, qui in omnium salutem venit, ut fides catholica docet. Unde verum est quod ait Doctor gentium: sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, id est omnes, ita per obedientiam unius justi constituuntur multi, seu omnes.

2. *Objectio.* Ad propagationem peccati originalis, quasi ab omnibus Adæ posteris contrahatur, minime attendebat eo loci Apostolus, qui tunc sibi ipsi contrarius fuisset, cum velit plures a Christo salvari quam perdiderat Adam. Dicit enim ibidem, *sed non sicut delictum ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Illud autem cum originalis peccati in omnes propagatione verum esse nequit, unde dicendum, Apostolum talia dicentem, de iis qui peccando primi parentis Adami imitatores effecti sunt, esse intelligendum.

Resp. Gratis Apostoli verbis hujusmodi sensum a vero longe distantem a Pelagianis adscribi, cum Augustino facile ostendemus. Abundantiorem esse gratiam Christi damnatione Adæ, ostendit per hæc verba Apostolus, ex eo quod per gratiam ipsius liberamur, nedum a peccato quod ab illo traximus, sed etiam ab iis quæ propria voluntate originali culpæ addidimus. Isque est genuinus illius loci sensus, ut docet Hipponensis lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 11. & seq. Sic loquens. „Sed non inquit (Apostolus) *sicut delictum ita & do-*

„na-

„ natu. Si enim ob unius delictum
„ multi mortui sunt, multo magis
„ gratia Dei & donum in gratia
„ unius hominis Jesu Christi in
„ multos abundavit, non magis
„ multos, id est multo plures ho-
„ mines, neque enim plures justi-
„ ficantur quam condemnantur, sed
„ multo magis abundavit. Adam
„ quippe ex uno delicto suo reos
„ genuit, Christus autem etiam
„ quæ homines delicta propriæ vo-
„ luntatis ad originale in quo na-
„ ti sunt addiderunt, gratia solvit
„ atque donavit.... Ac per hoc
„ ab Adam in quo omnes peccavi-
„ mus, non omnia nostra peccata,
„ sed tantum originale traduximus:
„ a Christo vero in quo omnes ju-
„ stificamur, non illius tantum ori-
„ ginalis, sed etiam cæterorum quæ
„ ipsi addidimus peccatorum, re-
„ missionem consequimur: ideo
„ non sicut per unum peccatum,
„ ita & donum. Nam judicium
„ quidem ex uno delicto si non
„ remittitur, id est originali, in
„ condemnationem jam potest du-
„ cere: gratia vero ex multis de-
„ lictis remissis, hoc est non solum
„ illo originali, verum etiam omni-
„ bus cæteris ad justificationem
„ perducit. " Unde frustranea est
opinio ad pluralitatem eorum qui
justificarentur, recurrens, omnique
destituitur fundamento. Nec feli-
cius mentem Apostoli assequuntur
qui volunt in plures realiter & nu-
merice abundasse Christi gratiam,
quæ in Beatam Virginem, quæ in
Adam non peccaverat, & in E-
vam abundavit. Ad hæc enim, et
si aliunde vera, non attendebat
Paulus, cujus mentem & doctri-
nam optime assecutus est Augusti-
nus, Pelagianorum, verbis Aposto-
li abutentium, deliria invictissime
confutans.

Alterum Pelagianorum effugium,
quo volebant Apostolum intelligen-
dum esse de sola imitatione, peni-
tus delet pluribus in locis Sanctus
Doctor, vesaniam illorum manife-
stans, eo quod Adam potius dicen-
dus esset imitator Diaboli qui prior
peccavit, quam nos imitatores A-
dæ. *Nam si propterea*, inquit c. 13
*cæteri ob alterius hominis delictum
mortui sunt, quia illum in delinquen-
do præcedentem, subsequentes imi-
tati sunt, ille quoque & multo ma-
gis ob alterum delictum mortuus est,
quem Diabolus ita delinquendo præ-
cessit, ut ei delictum etiam ipse
suaderet. Adam vero nihil suasit
imitatoribus suis, & multi qui ejus
imitatores dicuntur, eum fuisse &
tale aliquid commisisse vel non au-
dierunt, vel omnino non credunt.
Quanto ergo rectius, sicut jam dixi,
Diabolum principem constituisset A-
postolus, a quo unum peccatum &
mortem per omnes transisse diceret,
si hoc loco, non propagationem sed
imitationem dicere voluisset, multo
enim rationabilius Adam diceretur imi-
tator Diaboli quem suasorem habuit
peccati.* Ostendit insuper Augusti-
nus ex propagatione peccatum es-
se, quemadmodum & justitiam ex
regeneratione. *Nam si sola imitatio
facit peccatores per Adam*, ait c. 15.
*cur non etiam per Christum sola imi-
tatio justos facit? Sicut enim*, inquit
(Apostolus) *per unius delictum in
omnes homines ad condemnationem,
sic & per unius justificationem in o-
mnes homines ad justificationem vi-
tæ.... Porro si propterea Christus
unus est in quo omnes justificantur,
quia non sola ejus imitatio justos fa-
cit, sed per spiritum regenerans gra-
tia, propterea & Adam unus est in
quo omnes peccaverunt, quia non so-
la ejus imitatio peccatores facit, sed
per carnem generans pœna.* Præter-
quam quod de peccantibus per imi-
tationem non loqui Apostolum cla-
re indicant verba illius, quæ imme-
diate præcedunt illa quæ objecta
sunt. *Sed regnavit mors ab Adam
usque ad Moysen, etiam in eos qui*

non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Si in illos regnavit mors quæ est pœna peccati, peccatum illud habuerint per propagationem necesse est.

3 *Objectio* Juxta Apostolum Rom cap. 4. *Ubi lex non est, nec prævaricatio est*. Cum igitur infantibus nulla sit lex, peccato obnoxii esse non possunt. Dicit insuper 2 Corinth cap. 5 *Omnes nos manifestandos esse ante tribunal Christi*, ut referat unusquisque propria corporis sui sive bonum, sive malum. Parvuli autem nihil habent proprium, nullius ergo peccati pœnas luent.

Resp. Nihil ad propositum esse hos Apostoli textus licet evidens sit legentibus, dicemus tamen cum Augustino, parvulos habere peccatum protoparentis quod ipsis est proprium, sicut est aliis hominibus quandiu non sunt in Christo regenerati. Unde objicienti Juliano neminem perire debere ob alienum peccatum, respondet Sanctus Doctor lib. 5. Operis imperfecti c. 48 *Aliena sunt, sed paterna sunt, et per hoc jure seminationis atque germinationis & nostra sunt.* Unde merito certe pœnas luimus peccati quod in protoparente commisimus, quodque omnibus hominibus proprium est factum. Parvulis legem esse positam in primo homine, & ab ipsis illo mediante cognitam, unde & prævaricati sunt, nemo ignorat, qui audierit Augustinum pluribi dicentem, quod omnes homines unus homo in Adam fuerunt, & quod illorum omnium voluntates in illius hominis unius voluntate continebantur quare factum est, quod illo prævaricante, omnes prævaricati sunt & pro suo proprio peccato punitur, qui pro peccato primi hominis, quod in omnes pertransiit, pœnas luit.

Testimonia Sanctorum Patrum.

Cum Sancto Augustino causam communem adversus hæreticos habentibus nobis, qua via sit, ad eorum retundendam pervicaciam, procedendum, ipse ostendat. Novatoris calumnia impetitus a Pelagianis Augustinus, quem fatiebant Manichæum, eo quod originale peccatum in omnes homines ab Adam pertransisse, adversus illos defenderet, hanc calumniam ut refellat Sanctus Doctor, qui Juliano dixerat lib. 2. de Nuptiis & concup. cap. 12. se non finxisse peccatum originale, quod catholica fides credidit antiquitus, sed illum, qui hoc negat, novum esse hæreticum: dogma illud catholicum, Patrum, qui a primis ecclesiæ diebus vixerant, auctoritate comprobat, ostendens Juliano, eandem ab illo ipsis fieri injuriam, a quorum sententia non recedebat Augustinus. Illorum ergo priorum sæculorum Patrum testimonia laudaturi, ea, prout leguntur apud hunc celeberrimum veritatis defensorem, referemus, ut, & ipsum loquentem audiat Hipponensem, qui ipsos audierit loquentes. Quid ergo Julianum alloquens & impugnans dicat lib. 1. contra Julian. cap. 2. videamus.

„ Sed tu qui tam crebro nobis
„ Manichæorum nomen opponis,
„ quos & quales viros & quantos
„ fidei catholicæ defensores tam
„ execrabili criminatione appetere
„ audeas si evigilas intuere. Non
„ quidem omnium de hac re sen-
„ tentias, nec omnes eorum quos
„ commemorabo, me congregatu-
„ rum esse polliceor, quia nimis
„ longum est, & necesse esse non
„ arbitror, sed ponam pauca pau-
„ corum, quibus tamen nostri con-
„ tradictores cogantur erubescere
„ & cedere, si ullus in eis vel Dei
„ timor, vel hominum pudor tan-
„ tum

Irenæus tum malum pervicaciæ superaverit. Irenæus Lugdunensis Episcopus, non longe a temporibus Apostolorum fuit: iste ait, non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martirii exaltatus a terra, & omnia traxit ad se, & vivificavit mortuos. . . . . Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia devicta per simplicitatem columbæ vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti . . . . Multo autem apertius de eadem fide beatissimus Martyr & Episcopus Cyprianus. Si homines, *Cyprianus* inquit, impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos, & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si gravissimis delictoribus & in Deum multo ante peccantibus, cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & a baptismo atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, prima nativitate contraxit?

Reticium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore Episcopatus sui, gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quoniam in urbe Romana Melchiade Apostolicæ sedis Episcopo præsidente, *Reticius* cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit . . . . Is cum de baptismo ageret ita locutus est. Hanc igitur esse principalem in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus . . . Olympus Hispanus Episcopus, vir magnæ in Ecclesia & in Christo gloriæ, *Olympius* in quodam sermone Ecclesiastico, Si fides, inquit, unquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquam protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur . . . Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos acerrimum defensorem venerandum quis ignorat Hilarium Episcopum Gallum? qui cum de Christi carne ageret, attende *Hilarius* quid dixerit. Ergo cum missus est, inquit, in similitudinem carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, a peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine. Rursus idem ipse in expositione centesimi duodevigesimi psalmi, cum ad id venisset quod scriptum est *vivet anima mea, & laudabit te*. Vivere se, inquit, in hac vita non reputat, quippe qui dixerat, ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum. Sentis ne quid audias? quæris ne quid dicas? Hunc virum tanta in Episcopis Catholicis laude præclarum, tanta notitia famaque *Aug.* conspicuum, peccato originali unde si quid tibi frontis est criminari. Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorem, quem veneror ut patrem . . . beatum loquor Ambrosium, cujus pro *Ambrosius* Catholica fide gratiam, costantiam, labores, pericula, sive ope-

operibus, sive sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus .... Fuit, inquit, Adam & in illo fuimus omnes. Periit Adam & in illo omnes perierunt. Rursus idem ipse in apologia prophetæ David antequam nascimur, inquit, maculamur contagio, & ante usuram lucis originis ipsius excipimus injuriam & in iniquitate concipimur. .. Idem ipse in expositione psalmi quadragesimi octavi, alia est, inquit, iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus. Et obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus. [Aug.] I nunc & mihi objice originale peccatum, dissimula ab istis, finge eos nescire quid dicant, & Sanctæ Ecclesiæ tot tantosque Doctores, qui vita optime gesta debellantes suorum temporum errores, gloriosissime de hoc sæculo, antequam vos ebulliretis, exierunt, velut eos non visis, in me impetum faciens, & velut nesciens, quod illis sub meo nomine laceras, tanquam securus insultas .... Si hæc illi verba venerandi Ambrosii non legisti, quomodo redarguendum librum in quo ea sunt posita suscepisti? Si autem legisti, quid adversus me furis, & illum in me primitus carpis? quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis tacitus ejus nomine Manichæum? Cernis nempe cum quibus tua maledicta sustineam, cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nulla consideratione sobria pulsare calumniis & expugnare conaris? cernis quam tibi perniciosum sit, tam horribile crimen objicere talibus, & quam mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus.

An ideo contemnendos putas quia occidentales Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus in eis est commemoratus a nobis orientis Episcopus? quid ergo faciamus cum illi Græci sint, nos Latini? .... Sed non tibi deerit magni nominis & famæ celeberrima illustris Episcopus etiam de partibus orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam latinam translata usquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis Patribus etiam Sanctus Gregorius. [Gregorius] .. Audi quid dicat ... de baptismo loquens, persuadeat, inquit, tibi de hoc quoque sermo Christi dicentis neminem posse introire in Regnum Cælorum nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu. Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ. [Aug.] Numquid & istum Manichæi sapere vel jactare venena dicturus es? Audis omnes uno corde, uno ore, una fide id ipsum dicere, & hanc esse Catholicam fidem non dissonante contestatione firmare ... Sed si vis addimus huic & sanctum Basilium, imo vel nolis addendus est ... [Basilius] In sermone de jejunio, jejunium, inquit, in Paradiso lege constitutum est, primum enim mandatum accepit Adam. A ligno sciendi bonum & malum non manducabis. Non manducabis autem jejunium est & legis constitutionis initium. Si jejunasset a ligno Eva, non isto indigeremus jejunio. Non enim opus habent valentes medico, sed male habentes. Ægrotavimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam.

[Aug.] Ecce etiam ipsum (Joannem Chrysostomum) numero illi adjun-

Joannes Chrysost. *Aug.* *Hieronymus*

„ jungo Sanctorum, ecce testes, „ vel inter nostros constitue judices, quem putasti patronum „ tuum .... Ingredere Sancte Joannes, ingredere, & conside cum „ fratribus tuis, a quibus nulla ratio, nulla tentatio te separavit ... Audi jam Juliane quid „ etiam Joannes cum caeteris catholicis Doctoribus dicat ad Olympiam scribens: Quando enim „ Adam peccavit, inquit, illud „ grave peccatum & omne genus „ hominum in commune damnavit, „ de moerore poenas luebat .... „ Quid dici potest expressius? quid „ ad ista respondes? si Adam grandi peccato suo, omne genus humanum in commune damnavit, „ numquid nisi damnatus parvulus „ nascitur? & per quem, nisi per „ Christum ab ista damnatione liberatus? ... Tractat idem Joannes in sermone quodam hujusmodi quaestionem, cur bestiae vel „ laedant homines, vel interimant, „ cum sententia Domini manifesta „ sit, qua eas homini subdidit, „ ut earum habeat potestatem? „ Quam quaestionem sic solvit, ut „ dicat ante peccatum omnes bestias homini fuisse subjectas: quod „ autem nunc hominibus nocent, „ poenam primi esse peccati ..... „ Dicunt tibi ore uno tot Sancti Episcopi Eulogius, Joannes, Ammonianus, Porphyrius, Fidus, „ Zozimus, Zoboennus, Nimfidius, Chromatius, Jovinus, „ Eleotherius, Clematius, Nos „ Pelagium non absolvimus, nisi „ quia damnavit eos, qui dicunt „ parvulos etiam si non baptizentur habere vitam aeternam.... „ Nec Sanctum Hieronymum quia „ presbyter fuit, contemnendum „ arbitreris... qui cum exponeret Jonam Prophetam apertissime dixit, quod etiam parvuli „ peccato offendentis Adam tenentur obnoxii ".

Tot Sanctorum virorum fidem Catholicam circa peccati originalis existentiam obtestantium relatis aliisque testimoniis, Julianum sic compellat Augustinus. *Ita ne tuum sic amabis errorem, in quem juvenili confidentia, & humano lapsu incautus decidisti, ut ab istis Catholicae unitatis & veritatis sacerdotibus, ex diversis orbis terrarum partibus, tanta inter se fidei concordia congruentibus, in tam magna causa, ubi Christianae religionis summa consistit, non solum dissentire, sed eos audeas Manichaeos insuper nuncupare.* Quid Augustino, quid illis Sanctis Patribus ab illo laudatis, quid aliis pluribus quos laudare possemus, respondeant recentiores Pelagiani, ipsi dicant. Quod si praeter ea quae respondebant majores eorum, pro ipsis loquente Juliano, nihil offerre valeut, se in suo antesignano, ab Augustino, pro Ecclesia Catholica causam agente, devictos agnoscant, nosque ferant illos verbis tanti Doctoris alloquentes, quibus & Julianum alloquebatur contra ipsum scribens lib. 2. *Quanto tibi essent isti judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra immites etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissime ac fortissime defenderunt. Talibus post Apostolos Sancta ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit.*

SOLUTIO

Objectionum.

OBjectio. Adeo constans non fuit prioribus saeculis Patrum opi-

equino circa peccati originalis propagationem, quidquid adversus Julianum jactet Sanctus Augustinus, Etenim Tertullianus, quem non latebant dogmata ab Ecclesia Catholica suo tempore accepta, peccatum originale non admittebat, quod ex duplici capite ostenditur. 1. Quia improbabat usum qui jam invaluisse videbatur, parvulos ante rationis annos baptizandi, cum *superfluum judicaret & præcox, innocentes ad remissionem peccatorum sistunt*; unde lib. de baptismo cap. 18 loquens de parvulis dicebat: *Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani cum Christum nosse potuerint, quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Illos autem non cito baptizari cur vellet, si illos primi peccati reos dum nascuntur crederet?

2. Tertullianus tenebat filios fidelium procreari sanctificatos, ex opposito cum infidelium filiis, quorum nativitatem dicebat immundam; sic enim loquitur lib. de anima, cap. 39. *Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa quam ex institutionis disciplina*. Talia autem dicere non poterat supposito originali peccato, ratione cujus non minus immunda est nativitas quorumcumque parvulorum.

Resp. Recte minus exinde colligitur Tertullianum peccatum originale non admisisse, qui illud in omnibus agnovisse facile ostenditur, unde illius patrocinio qui gloriantur ex adversariis, mentem ipsius & doctrinam minime assecuti sunt. 1. Pro se in baptismatis sponsione unumquemque hominum respondere ducens, si non absolute necessarium, convenientius tamen, Tertullianus, procrastinari parvulis baptismum, donec rationis usum haberent, æquum judicabat, ob varia incommoda, ex baptismi acceleratione, juxta ipsum orienda, ratione quorum gravi periculo exponebantur sponsores, parvulis ob indolem malam, sui juris per ætatem factis, sponsorum pro se baptismi vota sæpius, his temporibus, ubi Idololatria multum adhuc vigebat, irritantibus. Huic malo ut occurreretur, existimabat bonum Tertullianus, si nulla aliunde urgeret necessitas, parvulos, quos innocentes ideo vocat, quia sunt rationis experies, & carent cognitione, ut quid in eis sit, sciant ad sanctum baptisma non præsentari, nisi quando onus baptismi, ut tunc dicebatur, discernere poterant, ut promissis suis esse ipsis standum dignoscerent, nullumque ad idola declinandi locum superesse, sed fidem Christianam, cui per Sacramentum regenerationis dabant nomen, ad mortem usque integram & illibatam, se servaturos esse scirent. Non aliud esse mentem Tertulliani parvulos si urgeret necessitas volentis baptizari, manifestum est cuilibet illius verba pensanti: *Quid enim necesse est, inquit, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Veniant ergo dum adolescunt, &c.*

2. Quando filios fidelium sanctificatos vocat Tertullianus, id dicit comparate ad illos qui procreantur ab infidelibus parentibus idolorum cultui deditis, quorum nativitas pluribus abundabat superstitionibus, a quibus erat immunis nativitas eorum qui a parentibus Christianis ortum habebant. Hinc est quod loco laudato dicat, sic & omnibus genii deputantur, quod dæmonum nomen est.

est. Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique ethnicorum. Id moris fuit apud paganos, ut genio alicui consecraretur homo dum nascebatur, quod erat ex inveterata superstitione, a qua aliquos inter sapientes se abstinebant. Ad quod genus superstitionis attendens Tertullianus, dicit inter ethnicos nullam ferme nativitatem ab illa esse mundam. Notendum est illud *ferme*, quod auctoris mentem non obscure indicat, quem peccatum originale agnovisse iu omnibus Adæ posteris indubitatum habebit, quisquis verba ipsius sequenti capite 40. libri de anima legerit. *Omnis anima*, inquit, *eo usque in Adam censetur donec in Christo recenseatur tamdiu immunda, quamdiu recenseatur peccatrix autem quia immunda*. Et ex illa immunditie, ad illius deletionem, necessitatem hujusmodi inferebat verbis præcedentibus: *Alioquin meminerat dominicæ definitionis, nisi quis nascitur ex aqua & spiritu non ibit in regnum Dei*. Unde Tertullianum ab Augustino in testimonium causæ communis potuisse vocari evidens est.

2. *Objectio*. Sanctus Basilius, etsi ab Augustino laudatus ut peccati originalis testis, illud negasse videtur adeo præcise, ut potius Pelagianis favere sit dicendus. In quodam libro contra Manichæos, cujus meminit Hipponensis lib. 1. contra Julian. negat Basilius malum seu peccatum, aliquid esse substantiale seu naturale. Peccatum vero originis, si daretur, esset naturale, cum illud dum nascimur, a natura habeamus. Et aliunde dicit ibid. quod si castitas virtus est, corpus vero substantialiter esset malum, impossibile erat castum corpus inveniri, quia corpus turpitudinis, virtutis non fieret corpus. Unde concludebant Pelagiani non dari peccatum originale, ex eo quod si daretur, omne corpus fornicationis esset, & in eo castitas servari non posset, quod utrumque negat Basilius, unde ad Pelagianos accedit.

Resp. Verbis Sancti Basilii abutens Julianus, ab errore Manichæorum se recedere posse non arbitrabatur, nisi in errorem Pelagii sibi gratum incideret. Verum nihil invenire est apud Basilium quod illi faveat. Rem in illo libro habebat Sanctus Doctor adversus Manichæos, qui volebant malum universim spectatum (de hoc enim quæstio procedebat) esse aliquid substantiale suam habens materiam quamdam. Unde ipsis ostendit malum esse dumtaxat aliquid ex voluntate profectum: ut de ipso testatur Augustinus illius causam agens, dum respondet Juliano, libro jam laudato, his verbis: *Ista recte dixit S. Basilius, ut etiam de ipso malo, quod per Adam intravit in mundum, & per omnes homines pertransiit, bene possit intelligi, quia & ipsum accessit naturæ humanæ. Non enim sic est primitus condita & principium accessionis non substantiam habuit sed voluntatem*. Negetur ergo a S. Basilio, malum esse naturale, eo sensu quod ad naturæ primordia pertineat. & aliunde ibid. observat Hipponensis Julianum confutans, quod ille de libro Basilii putaverat esse ponendum, omnino non pertinere ad causam peccati originalis per unum intrantis in mundum, & per omnes homines transeuntis. Unde quid amplius respondeamus non invenimus, nisi hæc quæ objiciuntur, esse a proposito aliena, unde frustra proponuntur. A mente Basilii omnino recedebant Pelagiani, dum dicebant, quod si peccatum originale admitteretur, omne corpus fornicationis esset, proindeque impossibile castitatem in corporibus inveniri. *Hoc dictum est*,

inquit Augustinus, *adversus Manichæos, putantes atque affirmantes de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt, Deo bono coæternam habere originem corpora, & esse etiam ipsa immutabiliter mala, non adversus eos, qui tenentes veram & vere christianam fidem confitentur corpus nec tale primitus conditum, atque in Paradiso constitutum, nec tale semper futurum*, &c. Superfluum ergo his aliquid addere, cum ad causam præsentem nullum respectum habeant.

3. *Objectio.* Peccatum originale negasse Clementem Alexand. non diffitebitur omnis qui ea legerit quæ habet lib. 3 Stromatum, ubi parvulos eximit ab Adæ prævaricatione, qua illos non fuisse inquinatos contendit. Sic loquitur: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Adæ cecidit exsecrationem, qui nihil est operatus?* Idem colligitur ex ejus modo explicandi verba Davidis, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: per matrem intelligit Evam, vel concupiscentiam & malam consuetudinem, quæ est peccatorum mater.

Resp. Ex verbis laudatis, tantum abest ut recte inferatur Sanctum Clementem originale peccatum negasse, quin potius, ex ipsis evidens sit, illum tale peccatum supposuisse, & ex illius existentia, quam ostendere non satagit, utpote quæ, Pelagianis nondum exortis, non impugnabatur, contra hæreticos quos debellandos susceperat, argumentatum fuisse. Nec ullo modo probabile est, quidquid Bellarmino videatur, prædicta verba esse Juliani Cassiani, aliorumque quibuscum disputabat Clemens, ipsum legere satis est, ut dignoscantur illa esse Clementis Cassianum prementis. Basilidianos asserentes, animas fuisse creatas ante corpora, in illaque anteriori vita peccasse, & alias non esse peccatorum pœnas nisi transmigrationes animarum, impugnans Clemens, quærit ab ipsis, quomodo parvuli, de quibus jam non dubitabatur ipsos nasci sub Adæ exsecratione, in hac vita præcedenti quam ipsi fingebant, illam exsecrationem incurrerint, qui nihil sunt operati unde puniri possint, ut in corpora ad mali ante acti expiationem animæ immitterentur. Cui quæstioni cum non possent satisfacere, ut alium eorum errorem detegat Clemens, illumque publice prodere eos compellat (volebant enim nuptias esse a principio malo, eo quod nuptiale commercium non posse esse absque libidine, ut gnosticos sensisse in confesso est apud omnes) velut ipsos irridens, aliquid respondere impotentes, urget hæc verba. *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam corpus.* Quasi diceret Sanctus Clemens, infans incidit in exsecrationem Adæ, id certissimum est: verum quare? Id ne ob malum quod fecerat antequam corpus illud ingrederetur anima illius? Sed nihil adhuc operatus fuerat. Ergo dicatis oportet corporis generationem, animæque creationem esse malam, utramque etiam a malo principio proficisci, quod a fide catholica est omnimode alienum. Hanc autem mentem esse Clementis evincunt ea quæ dicit exponens verba præfata Davidis *in peccatis conceptus sum, & in iniquitatibus concepit me mater mea: dicit propheticè quidem matrem Evam, sed Eva fuit mater viventium.*

tium etsi in peccatis fuerit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum. Ibi enim originale peccatum commemorare videtur, ratione cujus in peccatis conceptus dicatur David. Et aliunde in libro primo pædagogi cap. 6 agnoscit per baptismum peccata remitti. Quænam autem infantibus, qui in Ecclesia semper fuit baptizati, peccata remitterentur, nisi originale quod solum habere possunt? Nec obstat quod aliquando allegorice matrem vocet cupiditatem & malam peccandi consuetudinem, id enim supponit originale peccatum. Cum enim anima, juxta hæreticos quos impugnabat, esset a bono principio, corpus vero dumtaxat a principio malo, & aliunde peccati reatus sit in anima, cupiditas & peccandi consuetudo, ut docet veritas catholica, non erant primordia naturæ, sed aliquam causam habebant, quæ alia nequit esse quam originale peccatum, quod ab utero Evæ matris unius in omnes ut labes primigenia diffunditur, quæ in damnatas nuptias nequit refundi.

4. *Objectio*. Inter Ecclesiæ Patres qui aliquid dixisse videantur peccato originali contrarium, ab hæreticis posterioris ætatis annumeratur S. Ambrosius in commentario quodam capitis quinti ad Romanos sic loquens. *Mors dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est & alia mors, quæ secunda dicitur in gehennæ, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquirimus, a qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, sed superiori, quasi in libera, quia ad cœlum ascendere non poterant.*

Resp. Sanctum antistitem Mediolanensis Ecclesiæ, qui diserte adeo de peccato originali locutus est, tum in commentario super Lucam, tum in Apologia David, ut eum inter eos qui illud perlucidius commemorati sunt recensendum judicaverit Augustinus, ipsi eripere cur excogitaverit Michael Servetus, difficile intelligitur, & eo magis, quo minus doctrinæ catholicæ de peccato originali adversatur laudatum ab eo testimonium, in quo, de peccato Adæ, quod omnes participant homines, directe loquitur. De morte æterna, quæ est in gehenna, & dicitur mors secunda quam patiuntur mali, in quibus per lavacrum regenerationis deletum fuit peccatum Adæ, differit Ambrosius, dicitque non illam acquirere non peccato Adæ, sed ejus occasione propriis peccatis. Quid enim loqui poterat ut originale peccatum ostenderet? Nonne certum est peccata personalia, propter quæ mali puniuntur morte secunda, a qua boni & justi sunt immunes, vel quia in mortalia, adjuvante Dei gratia, post regenerationem non sunt prolapsi, vel quia in ea si prolapsi sunt, per congruam pœnitentiam, eadem opitulante gratia, ab iis conversi sunt, Deoque ante mortem sunt reconciliati, occasionem habere a peccato Adæ a quo initium fuit omnis peccati? Ab illa morte certissime immunes omni tempore fuerunt boni qui in Domino moriuntur. Sed Christo nondum passo, cœloque omnibus clauso, justi erant in inferis, ad quos ante resurrectionem Christus descendit, beatifica visione privabantur, ad cœlum ascendere non poterant, quia peccatum Adæ nondum fuerat deletum, non patiebantur tamen pœnam quæ impiis debetur, unde dicit, quod tantum in inferno erant, sed superiori, quasi in libera. Cur autem detinerentur, licet justi, in inferno a Deo separati, rationem reddit Ambrosius per verba sequentia: *Senten-*

tia enim tenebantur data in Adam, quod chirographum in decretis mortis Christi deletum est . . Gratia Dei abundavit in defectu Salvatoris, omnibus (illis justis videlicet ante Christi mortem vita functis) *dans indulgentiam, cum triumpho sublatis eis in cælum.* Quid in illis verbis reperiatur quod Pelagianismum sapiat, unde ut sibi faventia illa nobis opponant heterodoxi, dicant qui noverint. Catholice de peccato originali sentit hujus commentarii auctor, qui si non esse Ambrosium, etsi aliunde certum non esset, ex eo evidenter deducitur, quod verba illa, si essent Ambrosii, & sensum minus catholicum præ se ferrent, illa, Augustino Ambrosium pro peccato originali in testimonium vocanti, certissime opposuisset Julianus. Vel potius illa, utpote veritate catholica penitus referta Augustinus, qui plura de Ambrosio adversus Julianum laudat, non omisisset, cum valide ex illis in eumdem potuisset argumentari. Et revera de illis commentariis in epistolas Beati Pauli testimonium ponit Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum, his verbis: *Nam & sic Sanctus Hilarius intellexit quod scriptum est in quo omnes peccaverunt: ait enim, in quo, idest, in Adam omnes peccaverunt. Deinde addidit, manifestum est in Adam omnes peccasse quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit nati sunt sub peccato.* Quis vero fuerit ille Hilarius hujus commentarii auctor, quem constat esse Pictavensi recentiorem, & Arelatensi antiquiorem, cum se dicat sub Damaso scribere, indubitatum non est. Quod fuerit, ut Theologis Lovaniensibus placet, Hilarius Diaconus, qui Luciferi Calaritani Schismati adhæsit, non concordare videtur quod illum Augustinus Sanctum dicat: nisi errore facti hunc commentarium Pictavensi Hilario adscribendum censuisset Hipponensis, de libri auctore parum sollicitus, cujus doctrinam ut vere catholicam circa peccati originalis propagationem probabat.

5. *Objectio.* Optatus Milevitanus dicit Seth Adæ filium patris peccato caruisse. Sic loquitur lib. 7. num. 1. in hæc verba Ezechielis: *Anima quæ peccaverit ipsa punietur, quæ res jam & antiquis sæculis in ipsis initialibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth filium Adæ Patris admissum.* Cur autem potius in cæteros Adæ posteros quam in Seth natum pro Abel, originale peccatum transiisset?

Resp. Nec unum verbum ibi reperire est, quo legitime dici possit, de peccato originali bene aut male sensisse Optatum Milevitanum, qui de illo eo loci nihil habet. Ipsumque nobis opponere non possunt, nisi ii quibus ignotum est Optatum loqui de crimine traditionis, & peccatis traditorum, ut comprobat integer contextus. De peccatis igitur actualibus agitur, quæ a parentibus in filios non transeunt, sicut Adæ peccata (primum si excipiatur) non pertinebant ad posteros ejus. Sic autem habet Optatus in verba prophetæ: *Quamvis ab ipsis* (patribus vestris) *ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa, tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris secundum judicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicens: Anima Patris mea est, & anima filii mea est: anima quæ peccat sola punitur, quæ res jam & antiquis sæculis* &c. Verum aliunde Optati dubia mens non est circa originalis peccati propagationem, cum sic loquatur lib. 4. num. 6. *Neminem fugit quod omnis homo qui nasci-*

nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in deserta loca fugatur.

ECCLESIÆ DEFINITIONES.

PRæter Diospolitanam Synodum quæ, licet errore facti, ut supra ostendimus, Pelagium quasi catholice sentientem absolverit, hæresim tamen de qua accusatus fuerat, proscripsit, cuique Synodo prævierat circa annum 412. Concilium Carthaginense sub Aurelio episcopo, in quo damnatus fuit Cœlestius, eo quod diceret peccatum Adæ humano generi non obfuisse plura habita sunt Concilia in quibus Pelagianorum errores proscripti sunt. Aliud sub eodem Aurelio circa annum 416. sexaginta octo Episcoporum adversus Pelagium & Cœlestium licet absentes, Carthagini celebratum est. Illorum extat Episcoporum ad Innocentium I epistola, in qua de præsenti Pelagianorum errore ex parte agitur. Circa idem tempus in Provincia Numidiæ Milevi habitum est Concilium Episcoporum unius supra sexaginta qui de eadem re ad Summum Pontificem scripsere. Canone secundo negantibus peccati originalis propagationem anathema dicitur. Synodi Constantinopoli sub Attico hac de causa celebratæ meminit S. Augustinus lib. 3 contr. Julian sicut & Marius Mercator, qui etiam loquitur de alio Concilio Alexandriæ habito contra Pelagianos sub Theodoro Episcopo. Novemdecim annorum spatio quatuor supra viginti adversus hæresim Pelagianam habita sunt Concilia. Ab œcumenica Ephesina Synodo, quæ est tertia generalis, Sancto Augustino jam hac vita functo, dogma catholicum de peccato originali contra Pelagianos statuitur, ut habetur in Epistola Synodica ad Cœlestinum Papam. Idem prætorea dogma definiere Concilia Arausicanum secundum anno 529. Canone secundo, Florentinum œcumenicum in decreto Eugenii, & tandem Tridentinum sess. 5 can. 2 his verbis. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, sibi soli & non nobis etiam perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.*

Idem dogma definitum fuerat a Sancto Innocentio Papa I in decreto quod fecit contra hæresim Cœlestii & Pelagii, in quo statuit parvulos etiam ex Christiana muliere natos, esse baptizandos, ut in eis regeneratione mundetur quod prima generatione traxerint. Illius habetur epistola ad Concilium Milevitanum cujus decreta ab ea confirmantur. Item a Zosimo summo Pontifice in quadam epistola ad Episcopos totius urbis, de qua, licet nunc non extet, plura habet Sanctus Augustinus ad Optatum, verbis Zosimi ab ipso relatis subjungens. *In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua, atque fundata, certa & clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.* Item Cœlestinus in epist. ad Galliæ Episcopos, & capitulis illi annexis, quæ, si Cœlestini ipsius non sint, ut quibusdam viris doctis videtur, illius tamen jussu vel approbatione edita sunt, prævaricationem Adæ, originaleque peccatum ad omnes homines pertinere, agnoverat, nec non in epist. ad Nestorium, aliaque

que ad Clerum Constantinopolitanum. Item S. Leo Magnus epist. 86 ad Nicetam Aquilejensem alibique docuerat unumquemque hominem originali vulnere sauciatum nasci, & nisi baptizetur in peccato Adæ reum teneri. Gelasius item Papa in Epistola ad Picenos, sicut & Gregorius Magnus variis in libris & epistolis.

RATIONES THEOLOGICÆ.

CHristum Dominum omnium esse Salvatorem qui in cunctorum hominum redemptionem venit, fides docet catholica. Quomodo autem parvulorum post susceptum baptisma decedentium Christus Salvator diceretur ac redemptor, si in omnes Adæ posteros originale peccatum non propagatur. Hac ratione utitur S. Augustinus contra Pelagianos lib. de peccat. merit. & remiss. cap. 23 his verbis, de peccato originali, quo per gratiam Christi liberantur parvuli, differens. *Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cujus naturaliter filii sunt, qui etiam si per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat nisi Agnus Dei qui tollit peccata mundi, non nisi medicus qui non venit propter sanos sed propter ægrotos, non nisi salvator de quo dictum est generi humano: Natus est vobis hodie Salvator, non nisi redemptor, cujus Sanguine deletur debitum nostrum. Nam quis audeat dicere, non esse Christum infantum Salvatorem nec Redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?* Idem fere argumentum S. Doctor resumit cap. 28. ostendens omnes egere morte Christi, quia omnis homo vel est cum Christo vel cum diabolo, quia, inquit, nullus alicui medius est locus ubi possit esse, sicque antequam baptizetur parvulus est cum diabolo, cum non sit cum Christo, & ad hoc baptizatus ut sit cum Christo, quia tunc fructum mortis Christi consequitur. Erat autem adversus Christum ex peccato, quod in illa ætate est nisi originale, ait, & antiquum: una est quippe caro peccati, in qua omnes ad damnationem nascuntur.

Peccato originali omnes Adæ posteros nasci coinquinatos invictissime ostendit baptismi necessitas, tam pro parvulis, quam pro adultis etiam si ex parentibus baptizatis & fidelibus procreatis, dicente generaliter Christo & absolute Joan. cap. 3. „ Nisi quis renatus fuerit ex „ aqua & Spiritu Sancto, non pot„ est intrare in regnum Dei." Cujus Sacramenti necessitas invite adeo peccatum originale supponit, ut ex illa contra Palagianos multoties argumentetur Augustinus. Ut quid autem parvuli sunt baptizandi, & ita necessario, etsi filii sint baptizatorum, ut deficiente in eis sicut in adultis gratia baptismatis excludantur a regno cælorum æternum a Deo separati? Ad quod attendens Concilium Tridentinum sess. 5. can. 4. dixit anathema negantibus, parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicentibus, in remissionem quidem peccatorum baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam. Quod vero definiere Patres Tridentini, tenuerat ecclesia ab initio temporum, cum illius definitiones ac Sanctorum Patrum dicta tam de filiis baptizatorum, quam de filiis infidelium, perpetuo fideles ab illa edocti intellexerint. Hac pariter de causa ante Christum circumcidebantur parvu-

li,

li, etiam qui nascebantur ex parentibus circumcisis, in quibus jam deleta fuerat originalis culpa per circumcisionem, quæ apud Judæos erat figura baptismi. Hoc argumento auctoritate Sanctorum Cypriani & Joannis Chrysostomi utitur S. Augustinus lib. 2. cont. Julian. his verbis: *Merito idem beatus Joannes, etiam ipse sicut Martyr Cyprianus, circumcisionem carnis, in signo præceptam commendat esse baptismatis. Et vide quomodo Judæus, inquit, circumcisionem non differt propter comminationem, quia omnis anima, quæcumque non fuerit circumcisa die octavo, exterminabitur de populo suo. Tu autem, inquit, non manu factam circumcisionem differs quæ in expoliatione carnis in corpore perficitur, ipsum Dominum audiens: Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in regnum cælorum. Cernis quemadmodum circumcisionem circumcisioni, comminationem comminationi vir ecclesiastica doctrina præditus comparavit. Quod ergo est octavo die non circumcidi, hoc in Christo non baptizari. Et quod est perire de populo suo, hoc est non intrare in regnum cælorum. Et tamen vos in baptismate parvulorum expoliationem carnis, hoc est circumcisionem non manufactam celebrari negatis, cum nihil eos quo expoliari debeant habere contenditis:* Qui peccatum originale non habent parvuli, non habent consequenter quo expolientur in non manufacta circumcisione sive baptismo. Cum ergo ex opposito infantes habeant quo expolientur in baptismo, illud que aliud esse non possit quam culpa originalis, in ipsis, sicut & in cunctis Adæ posteris, agnoscenda est, ut fides catholica docet.

Eamdem culpam originalem ad omnes homines transmissam, etiamsi a baptizatis procreatos, non leviter demonstrant exorcismi quos in baptismo a principio adhibet ecclesia, ut liberentur baptizandi a diaboli potestate, in quam cadere infantes non potuere, nisi ratione peccati originalis. Hoc argumentum premens adeo visum est Augustino, ut eo utatur adversus Pelagianos lib. 1 de Nupt. & concupiscen. cap. 20. hæc scribens: *Non enim fides dubitat Christiana, quam novi hæretici oppugnare cœperunt, & eos qui lavacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate diaboli, & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam parvulos filios redemptorum sub ejusdem diaboli esse potestate captivos, nisi & ipsi eadem Christi gratia redimantur. Ad omnes namque pertinere non dubitamus ætates, illud de quo Apostolus loquitur beneficium Dei, qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii claritatis suæ. Ab hac igitur potestate tenebrarum, quarum est diabolus princeps, quisquis eruit cum baptizantur negaverit parvulos, ipsorum ecclesiæ Sacramentorum veritate convincitur. In veritate itaque non in falsitate potestas diabolica exorcisatur in parvulis, eique renunciant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, ut eruti a potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur. Quid ergo in eis est per quod in potestate diaboli teneantur, donec inde eruantur per sacramentum baptismatis Christi, quid est nisi peccatum? Non enim aliud invenit diabolus, unde possit humanam suo juri mancipare naturam, quam bonam bonus auctor instituit. Nullum autem peccatum parvuli in sua vita commiserunt proprium. Remanet igitur originale peccatum per quod sub diaboli potestate captivi sunt, nisi inde lavacro regenerationis & Christi Sanguine redimantur, & transeant in regnum redemptoris sui frustrata potestate captivatoris sui, & data potestate qua* fiant

cessarium, unde salventur ipsis non habentibus. Hinc est quod ex doctrina peccati originalis sequi nuptias esse improbandas & malas, parentes iis utentes peccare, hæc contendebat, ex eo quod, inquiebat, ab ipsis tunc erat in parvulis, ut a causa immediata, culpa illa originalis. Huic respondet S. Doctor his verbis. „ Prorsus, inquit Julianus „ si malum de nuptiis trahitur, accusari possunt, excusari non possunt, & in diaboli jure opus eorum fructumque constituis, quia omnis causa mali, expers boni est .... quasi nos nuptias causam dicamus esse peccati, quamvis homo qui ex illis nascitur, non nascatur sine peccato. Nuptiæ quidem institutæ sunt causa generandi, non peccandi, propter quod illa a Domino est benedictio nuptiarum, *crescite & multiplicamini & replete terram*. Peccatum autem quod a nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum quod accidit hominibus, quorum conjunctione sunt nuptiæ. “ Sic Juliani illatio vana ab Augustino refellitur. Illamque ut plenius conterat cap. 27. sic loquitur „ Ad omnia ista hinc (*Juliano*) respondit Apostolus qui neque voluntatem arguit parvuli quæ propria nondum est in illo ad peccandum .... neque nuptias in quantum nuptiæ sunt, quæ habent a Deo non solum institutionem, verum etiam benedictionem .... neque parentes in quantum parentes sunt, invicem licite atque legitime ad procreandos filios conjugati, sed per unum hominem, inquit, peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt .... Ob unius delictum multi mortui sunt, judicium ex uno in condemnationem .... per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Ecce per quid delictum invenitur in parvulo. “ Juliano autem abutenti verbis Christi dicentis ex fructibus dignosci arborem, & exinde volenti nuptias esse arborem malam ex qua fructus malus, scilicet originale peccatum sic respondet Sanctus Doctor cap. 26. „ Quid est ergo quod ait (*Julianus*) ex fructibus suis arbor cognoscitur, quia hoc in Evangelio dixisse Dominum legimus, numquid inde Dominus loquebatur, & non potius de duabus voluntatibus hominum bona scilicet & mala, istam bonam, illam malam arborem dicens, quia de bona voluntate bona opera nascuntur, & mala de mala, nec possunt bona de mala, & mala de bona .... nihil proinde valet ad istam quæstionem similitudo illa Evangelica, quia non sunt nuptiæ causa peccati quod trahitur a nascente, & expiatur in renascente, sed voluntarium hominis primi, originalis est causa peccati.

Verum adhuc instabat Julianus, hoc semel admisso, non posse dici unde possit culpa originalis oriri. Illius objectionem habemus, simul ac responsionem Augustini, cap. 28. *Quid est quod dicit* (Julianus) *Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit, per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?* Cui Augustinus: *Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? per unum hominem ait Apostolus, per unius delictum ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis ait Apostolus, quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Quid quærit inculcatius? Si peccatum, inquit, ex voluntate est, mala voluntas quæ peccatum facit, si ex natura, ma-*

la natura; cito respondeo, ex voluntate peccatum est. Quærit forte, utrum & originale peccatum? Respondeo prorsus, & originale peccatum, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, ut & in illo esset, & in omnes transiret. Prosequitur deinde Hipponensis, ut ostendat ex eo non sequi naturam esse malam. Audiant ergo recentiores Pelagiani, & cum ipsis increduli ac Deistæ moderni, existentiam peccati originalis inter aniles fabulas computantes, cum non sit, inquiunt, unde possit profitisci, & aliunde istam propagationem intellectus capere non possit humanus. Quid amplius a nobis quærunt illi, qui nolunt ab Apostolo audire, unde & quomodo in Adæ posteris inveniatur, per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, dicebat ex Apostolo Juliano respondens Augustinus. Ipsis ergo respondent paginæ sanctæ, cum in his ratio deficiat humana, per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo uno homine peccaverunt omnes, quando in illo homine uno, Deo sic constituente, omnes homines unus ille homo fuerunt. Et quid refert, quod in concipienda culpæ illius originalis existentia, simul ac propagatione, creatus cæcutiat intellectus? Quod fidei Christianæ veritates, Religionisque nostræ misteria Intellectus nostri captum superent, & ab illis mentis nostræ acies obtundatur, sequitur ne exinde renuenda esse illa misteria, negarique posse veritates illas? Solus impius sic audebit concludere, qui recte parum ea scit quæ confiteri recusat inter catholicæ fidei dogmata, quæque ex opposito, quæ credere sibi videtur eis adversa aut fingit, penitus ignorat.

2. *Objectio.* Juxta ipsius Augustini principia nulli ignota, ubi voluntas non reperitur nec delictum reperiri potest: voluntatem autem parvulis dum nascuntur, saltem quantum ad usum aut effectum, quis posset concedere? Etenim si voluntas in eis est, ex ea, cum peccatum originale oritur, mala hæc debet esse: hæc vero mala voluntas in parvulis non potest esse nisi a Deo. Ab illo ergo erit, & malum. Manichæus sic necessario efficitur, qui cum Pelagio hac in causa sentire recusat.

Resp. Ex iis quæ in confirmationem catholicæ veritatis adduximus variis momentis solutum esse dici posset præsens argumentum; huic difficultati, ut directe faciamus satis, observandum duplici modo aliquid posse reputari voluntarium, vel quando aliquid ex propria, & personali voluntate eligentis proficiscitur, vel quando aliquid ex voluntate oritur unius, qui sponsor alterius est, & vas, illumque repræsentat, ut evenit parvulo quandiu sub tutoribus & actoribus est, in iis quæ ex lege sunt, quod illi ipsius nomine gerunt, illud parvulus velle censetur, & iis quæ gesseruut, ille deinceps stare tenetur. Eodem modo in societatibus aut hominum conventibus, quæ juxta legum præscripta a præsentibus statuuntur, vel statuta libere fuerunt, ea velle aut voluisse judicantur ejusdem societatis qui fuerunt, licet abessent, veluti si ipsi pactis illa fuissent, & ita est de eorum posteris, qui hujusmodi pactis propria voluntate accessisse reputantur, ideoque ipsis revera tenentur. Vices ergo hominum omnium gerente Adamo, eorumque capite hac in causa constituto, illo propria voluntate peccante, nos pariter cum ipso peccavimus; quod fecit ille quia voluit, nos, & pro nobis illo

illo volente, etiam fecimus, ex quo accidit peccatum ejus factum esse, & nostrum. Unde adversus Pelagianos ad propositum præsens sic loquebatur Augustinus lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 7. *Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino ad parvulos non pertineant, siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.* Et Juliano talia objicienti quæ nobis opponuntur respondebat S. Doctor lib. 3. contr. Julian. cap. 5. *Frustra itaque putas ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc enim recte dicitur propter proprium cujuscumque peccatum, non propter primi peccati originale contagium*, lib. 1. operis imperfecti cap. 57. *Sic autem*, inquit, *aliena sunt originalia peccata propter nullum in eis voluntatis nostræ arbitrium, ut tamen propter originis contagium inveniantur & nostra.* Et eodem libro cap. 48. sic ex Sancto Ambrosio Julianum fuerat allocutus. *Si haberes oculum Christianum, fide cerneres, si intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuisse omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis orituri. Unde Ambrosius Doctor meus, fuit Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Et rursus de omni humano genere loquens Hipponensis relative ad culpam originalem epist. 98. hæc scribebat. *Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, & in illo a quo traxit, quando quod traxit admissum est.* Voluntas igitur, & delictum in parvulis inveniuntur, & de utroque nihil ambigit, qui oculum habet Christianum juxta fidem catholicam novit ambulare.

Ergo ne concludetur malam parvulorum voluntatem esse a Deo, in illum proindeque malum ex illa proveniens esse refundendum? nullomodo. Voluntatem esse a Deo certum est, sed in quantum voluntas: in quantum vero mala voluntas, illam esse ab homine est indubitatum. Quod voluntas sit, illud naturæ est, hæcque a Deo. Quod sit mala, illud est defectus naturæ aut vitium, & est ab homine. Hæc enim duo sunt cum Augustino apprime distinguenda in hominis procreatione, natura scilicet, & naturæ vitium. *Simul utrumque propagatur*, inquit lib. de peccato originali, cap 32. *& natura, & naturæ vitium, quorum unum est bonum, & alterum malum: illud de conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur: illi est causa bona voluntas Dei summi, huic mala voluntas hominis primi. Illud indicat Deum creaturæ institutorem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem.* Refelluntur insuper proposita objectio omnibus Augustini argumentis quibus sæpissime probat adversus Manichæos Deum non esse auctorem mali, neque malam esse hominis naturam, etsi prave hominum voluntate eveniat malum. Unde dicit contra Pelagianos, nullam naturam, in quantum est natura, malum esse, sed quia deficit a natura.

3. *Objectio*. Non potest admitti in nascentibus peccatum originale, quin nascentium in peccato diabolus auctor dicatur, cum ab illo solo peccatum esse possit. Sic qui sentiret Venustiano faveret ac Paternianis qui Manichæis similes dicunt, a lumbis in quibus est carnalis concupiscentia usque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis, unde nostræ carni inest ma-

li necessitas. Restat igitur in Manichæismum necessario incidere qui Pelagianismum vitare conatur.

Resp. Huic objectioni quam Juliani calumniam vocat Augustinus respondet lib. 5. contra Julian. cap. 5. his verbis: *Namquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas foetor fulsitatis? Quod cum ego in libro meo posui, cui cedere utinam quam resistere maluisses, longe distet ab illis Paternianis seu Venustianis. Ego cum secundum catholicam fidem totum hominem, totam scilicet animam, totumque corpus ejus Deo summo, & vero tribuo Creatori, diabolum autem dico humanam vel aliquid ejus non creasse, sed vitiasse naturam, contraque ipsam diabolicam plagam, quæ Dei opitulatione sananda est, donec ab ea penitus liberemur, nobis esse pugnandum. Quod si parum est, certe damno, & anathematizo eaque Paternianos seu Venustianos sentire dixisti. Adde etiam Manichæos, utrosque cum cæteris hæreticis execror, damno, anathematizo, detestor.* Jam probaverat Augustinus contra Julianum lib. 1. quod Pelagiani veros plurimum adjuvant Manichæos, quorum dogmata amplectuntur: dicunt enim utrique quod arbor bona non potest malos fructus facere, sicque cum boni sint, & mala, duplex debet esse natura, una boni, altera mali, quæ nimirum cum a bono Deo esse nequeat, a malo principio suam trahere debet originem, proindeque ut Manichæis placuit, duplex erit rerum principium, malum unum, bonum alterum. Quæ cum ita sint, coguntur fateri Pelagiani ex bonis mala oriri, ex natura quæ bona est malam voluntatem, & ex ea mala opera nasci. *Relinquitur ergo*, inquit Hipponensis, *ut mala ex bonis esse fateamur, quia si hoc negaverimus, ex malis erunt & Manichæis atque suffragabimur.* Unde fit manifestum in ipsos Pelagianos cadere Juliani exprobationem. Nec minus verum est, & indubitatum quod dixerat Sanctus Doctor lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 28. opus diaboli seu peccatum & malum transiisse in opus Dei seu naturam, quæ bona est atque laudanda. Vanum igitur, & falsum ostenditur Pelagianorum post Manichæos ratiocinium, quo volebant peccatum originale, si esset, oriri debere a mala natura perversoque principio. Fictitium pariter, & veritati oppositum apparet quod fabulabantur Paterniani, & Venustiani, quasi a diabolo partim factum dici debeat corpus hominis, ne judicetur homo peccato obnoxius, quasi ad hoc satis non sit prava voluntas, a qua, etsi bona sit natura, quæ in quantum est natura, semper est bonum, opera mala oriantur, quin aliqua supponatur inesse carni nostræ mali necessitas. Multum ergo distat a Manichæismo, quicumque a Pelagianismo recedens, propagationem peccati originalis in omnes Adæ posteros admittit, nec nascentium in peccato diabolum auctorem dicere propterea censendus est.

4. *Objectio.* Juxta Philosophos, quod est in subjecto, nequit esse sine illo in quo subjectatur, illique ita inest ut alteri rei non possit transmitti, ex eo quod accidens transire non potest ex uno subjecto in aliud. Cum ergo peccatum quod est purum accidens, sit in parente velut in subjecto, non potest reatum transmittere proli ad quam pervenire non potest. Quod si aliter res se haberet, ita ut peccatum Adæ ab ejus posteris contraheretur, sequeretur illud quod fuit accidens in Adamo, peccatum scilicet illius, fieri naturale contrahentibus illud. Non potest autem quod est accidens in uno esse in

in altero naturale. Repugnat igitur culpæ originalis propagatio.

Resp. Juliano talia objicienti ostendit Augustinus, peccatum primi parentis pervenire ad posteros, illisque reatum transmittere. Illum adversus Pelagianum disserentem audiamus lib. 5 contr. Julian. cap. 14. *Magnum aliquid te dialectica docuit, rem quæ in subjecto est, sine illo re esse non posse, in quo subjecta est. Et ideo putas malum quod est in parente utique in subjecto, alii rei, id est proli ad quam non pervenit, reatum non posse transmittere. Recte hoc diceres si malum concupiscentiæ de parente non perveniret ad prolem. Cum vero sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur, quomodo dicis eo non pervenire quo transit? Non enim Aristoteles cujus cathegorias insipienter sapis, sed Apostolus dicit, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per omnes homines transit. Nec sane tibi dialectica illa mentitur, sed tu non intelligis. Verum est quod ibi accepisti, ea quæ in subjecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subjecto in quo sunt, esse non posse, sicut est in subjecto corpore color aut forma, sed afficiendo transeunt non emigrando, quemadmodum Æthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate, corpus quod de illis propagatur afficiunt.* Ex qua Augustini argumentatione intelligitur quomodo culpa originalis sit in parvulis velut in subjecto, licet in parente velut in subjecto primitus fuerit.

Nec obstat quod dicunt adversarii cum Juliano apud Augustinum, inde sequi peccatum quod accidens fuerat in Adamo, posteris ejus fieri naturale, hoc enim verum est, sumpto naturali, non pro eo quod est de essentia rei, sed pro eo quod contrahitur cum natura, etsi a natura secundum essentiam considerata, sit diversum. Iis vero quæ opponunt, quod est accidens in uno, non posse esse naturale in altero, optime Respondet Augustinus resumens totum argumentum lib. 6. contr. Julian. cap. 6. his verbis. „ Cum ergo „ vos generaliter negaveritis posse „ gignentes in prolem trajicere „ quod non habent ipsi, „ si fuerit „ inventum quod possit hoc facere, ita superamini . . . . Cum „ igitur dentur naturalia per ac„ cidens non converti si vel unus „ quispiam fuerit inventus qui „ vitiatus aliquo casu cum eodem „ vitio genuerit filium, factumque „ sit proli naturale quod parenti accidens fuit, nempe tua de„ finitio etiam ista destruetur & „ frustrabitur. Item cum definis „ parentem quod ipse non habet, „ in suam prolem non posse trans„ mittere, nonne definitio etiam „ ista destruetur, cum tibi fuerint „ demonstrati nati homines integer„ rimis omnibus membris ex his pa„ rentibus, qui nonnulla membra „ perdiderant? audiebamus a majo„ ribus nostris, qui se id nosse ac „ vidisse dicebant, Fundanum Car„ thaginis rhetorem, cum pater „ accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse, quo exem„ plo evertitur illa tua sententia, qua dicis naturalia per ac„ cidens non converti. Accidens „ quippe fuit in patre, quod fa„ ctum est in filio naturale. Illam „ vero alteram qua dicitis paren„ tes in filios ea quæ non habent „ non posse transfundere, alius „ Fundani filius, quod maxime „ mirarum est, cum duobus oculis „ de lusco natus everterit, & innu„ merabiles qui nascuntur oculati „ de parentibus cæcis. " Sic peccatum primi hominis quod ipse non traxerat cum natura, sed accidens fuit,

suis, posteris est naturale, quia omnes ab illo illud trahunt cum natura. Nec dicatur sequi exinde culpandos non esse Adæ posteros, cum nemo in naturalibus sit culpandus, illudque peccatum non habere in illorum non sit potestate. Culpandi siquidem sunt omnes Adæ posteri propter originale peccatum, etsi, illo non inquinari ex quo cecidit Adam, non possint; illud enim omnes libere & voluntarie commisimus, libere ac voluntarie peccante Adamo, in quo omnes fuimus, ut sæpius dictum est. Et licet omnibus sit naturale, est tamen in cunctis culpabile, cum non sequatur naturam secundum ipsius naturæ a Deo institutionem, sed secundum ipsius ab homine corruptionem, ut ait Sanctus Bonaventura.

5. *Objectio.* Non magis nocere debuit parvulis non peccantibus Adæ peccatum quam potuit prodesse justitia Christi non credentibus. Cum ergo non credentibus in Christum nihil prosit justitia illius, ita non peccantibus nocere non potuit primi parentis peccatum. Et aliunde justitiæ divinæ contrarium est quod ita alieno peccato subditi sint homines qui nihil operati sunt, ut magnis afficiantur pœnis, qui ante peccati illius expiationem per baptisma intereunt.

Resp. Falsum semper dicemus homines & parvulos non peccasse: omnes enim in Adam peccavimus, & inde sumpsit præsens disputatio exordium. Unde nihil est divinæ contrarium justitiæ, si ob unius hominis peccatum quod & nostrum est, magnis afficiamur pœnis, nisi in Christo regenerati ab illo liberemur. Peccatum Adæ alienum nobis proprietate est actionis, sed nostrum est contagione propaginis, ut ait Augustinus difficultatem desumptam ex justitia Christi, quæ non credentibus in eum non prodest, ex qua a simili argumentabantur Pelagiani, & dicebant, non peccantibus non nocuisse peccatum illius, solverat nunquam satis laudandus Augustinus, lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 2. "Attende, inquit Marcellinum ad quem libros suos direxerat alloquens, „ attende, quemadmodum cum dicunt, si Adæ „ peccatum, etiam non peccantibus nocet, ergo & Christi justitia etiam non credentibus „ prodest: absurdissimum utique „ & falsissimum judicant, ut Christi justitia etiam non credentibus prosit, unde putant confici „ nec primi hominis peccatum parvulis non peccantibus nocere potuisse, sicut & Christi justitia „ prodesse illis non credentibus „ non potest. Dicant itaque Christi justitia quid baptizatis parvulis prosit . . . . . . Prodesse „ sicut etiam ipsi asserunt non credentibus non potest. Unde coguntur parvulos baptizatos in „ credentium numero deputare, & „ auctoritati Sanctæ Ecclesiæ consentire, quæ fidelium nomine „ eos censet indignos, quibus justitia Christi etiam secundum „ istos, prodesse non nisi credentibus posset. Sicut ergo eorum „ per quos renascuntur, justitiæ „ spiritus responsione sua trajicit „ in eos fidem, quam voluntate „ propria nondum habere potuerunt: sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in „ eos noxam, quam nondum vita „ propria contraxerunt. Et sicut „ eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus „ mortis in Adam genuerat peccatores". Suo igitur gladio sese jugulant Pelagiani: & contra ipsos concludit eorum comparatio, cum non minus prosit parvulis spiritualis per baptismum generatio, per

quam

quam ipsis prodest justitia Christi, quam ipsis nocuerat carnalis ex Adam generatio, per quam in ipsos transiceat illius injustitia. Hinc apparet nihil urgere hoc argumentum, quin potius pro nobis stet. Adæ peccatum nihil nocet non peccantibus. Hoc verum est. Christi justitia nihil prodest non credentibus, hoc pariter certum est. Quid inde? omnes homines ex Adam nascentes, vere in illo peccaverant; quicumque etiam parvuli in Christo baptizati in credentium numero vere deputantur: ergo Adæ peccatum non nisi peccantibus nocet, & justitia Christi non nisi in eum credentibus prodest. Sicque sua objectione perimuntur Pelagiani.

Hic ita expositis cum Augustino, Dei justitiam, quam calumniare non verecundantur iidem Pelagiani, ob pœnas quibus officiuntur illi, qui hac vita funguntur, antequam ab originali culpa per baptismum liberentur, contra ipsos eum eodem Sancto Doctore vindicemus. Id vero argumentum eorum in illos retorquentes facile exequemur. Deum summe justum dedecet, inquiunt, quod magnis pœnis afficiantur qui nihil proprium operati sunt, si ante alicui peccati expiationem moriantur. Sed si alicui jam baptizato & innocenti pœna quædam sive levis sive magna infligatur, hoc ne Deum summe justum non dedecebit? hoc utente argumento sic cum Pelagiano quodam loquitur Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli. *Sed si quod vis, parva sit pœna, & ipsa parva magna est, si nulla culpa est. Hic defende justitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur innocenti in quo nullum invenitur omnino peccatum?* Hanc quæstionem autem ut solvat Hipponensis, quam se profundam sentire fatetur, seque ad fundum illius rimandum virium impotentem judicat, ad inscrutabilia Dei judicia recurrit, illumque hæc exclamare libet quod Paulus, o altitudo divitiarum! *Parvulus*, inquit, *non baptizatus pergit in damnationem (Apostoli enim verba sunt, ex uno in condemnationem) non satis invenio dignam causam, quia non invenio, non quia non est. Ubi ergo non invenio in profunde profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem. Ergo prorsus exclamo, nec me pudet, o altitudo divitiarum, &c.* Insuper, si injustum videtur dicentibus Pelagianis, damnare peccato parvulos omnes ob unius Adæ prævaricationem, nonne in eorum sententia remanet eadem injustitia? Cur enim parvulos nullius peccati conscios, si ante baptismum obeant, excludunt a cælorum regno propter hæc Christi verba, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, quapropter sicuti ex hac parte nulla censetur injustitia, ita nec ex altera potest censeri.

6 *Objectio*. Data propagatione peccati originalis in Adæ posteris, saltem illud non contrahent filii baptizatorum. Si enim baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato, cum non potuerint ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Unde sicut peccator genuit peccatorem, ut parvulo ejus reatus originalis peccati in baptismi acceptione solvatur, etiam justus justum gignere debuit. Cur enim de homine baptizato natus, jam velut baptizatus non haberetur? non minus in lumbis patris sui potuit baptizari, quam Levi secundum Epistolam quæ ad Hebræos scripta est, in lumbis Abrahæ potuit decimari: non enim unius

paret discrimen quod intercedit decimationem inter & baptismum, ut ex una non valeat illatio pro altero. Unde nihil valet paritas.

Etsi nihil remaneat difficultatis ex proposita objectione, auditis quæ ex Hipponensi retulimus, ne aliquid tamen residuum videatur deesse ad totalem argumenti solutionem, cum objicitur eos qui ex duobus baptizatis nascuntur culpam originalem non fore contracturos, parentibus non valentibus transmittere ad posteros quod non habuere, mundato in ipsis per baptismum antiquo illo delicto, alioquin evacuata videretur virtus illius Sacramenti, audiatur idem Sanctus Doctor rem pro nobis explanans ac definiens lib. 3 de peccat. merit. & remiss. cap. 9. Dum loquitur cum Pelagianis quos sic interpellat, postquam ipsis dixit ex christianis non nasci christianos, & ideo censent ipsi Pelagiani filios christianorum fieri debere christianos, *quid respondebitis, nisi, quare de christiano non christianus nascitur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio christianos? Hanc igitur vobis reddite rationem, quia similiter a peccatis nemo nascendo, sed omnis renascendo mundatur. Ac per hoc de hominibus ideo mundatis, quoniam renati, homo qui nascitur, renascitur, ut etiam ipse mundetur. Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Non solum sicut frumenta paleam, & præputium circumcisus, sed etiam quod & vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt, quod non est jam illorum per spiritum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt, mortalis seminis vitium. Nam utique quos parvulos per Sacramentum fidelium fideles faciendos esse judicatis, fideles natos ex parentibus fidelibus non judicatis.* Refelluntur his verbis quicunque volunt in filios baptizatorum cadere culpam originalem non posse, ex eo quod antequam filios procreaverint ab ea fuerint, per aquam baptismalem mundati. Quod si eo confugerent, ut modum quo contrarium eveniat, a nobis quærerent, seque in errore suo dicerent remanere, eo quod non intelligere possint qui illud fieri queat, nihil aliud ipsis respondendum habemus, nisi quod majoribus eorum, capite præcedenti, dixerat Augustinus hæc loquens: „ Si mihi apud obtusos & contentiosos „ propter rerum naturæ obscuritatem difficultas refellendi falsa, & persuadendi vera resisteret, ad hæc forte quæ in usu „ atque in promptu essent exempla confugerem, vicissimque interrogarem, ut quia eos moveret, quomodo peccatum quod „ mundatur per baptismum, maneat in eis quos genuerint baptizati, ipsi explicarent quomodo præputium quod per circumcisionem aufertur, maneat in eis quos genuerint circumcisi, quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu qui de purgato tritico nascitur. "

7. *Objectio.* Filios fidelium minime esse baptizandos, exindeque originali peccato non esse inquinatos, quin potius sanctos nasci declarat Apostolus 1 Corinth. c. 7. sic loquens: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Et aliunde dixerat ad Rom. cap. 11. *Si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.*

Resp. Quid sit nobis sentiendum de illa sanctificatione, de qua Paulus ad Corinthios, ex qua in filiis fidelium peccati originalis exem-

 pelo-

rionem concludere volebant Pelagiani, docet Augustinus propositæ objectioni pro nobis respondens lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 36 his verbis. „ Illa sanctificatio cujuscumque modi sit, „ quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus, ad illam de baptismo & de peccati origine, „ vel remissione quæstionem omnino non pertinet. Nam & conjuges infideles in conjugibus „ fidelibus sanctificari dicit eodem „ loco ita loquens: Sanctificatus „ enim vir infidelis in uxore, & „ sanctificatur mulier infidelis in „ fratre, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Non opinor quisquam „ tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut „ ob hoc existimet etiam maritum „ non christianum quia christiana „ fuerit uxor ejus, neque jam „ baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem pervenisse, & in regnum cœlorum esse „ intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore." Textum Pauli adeo a proposito alienum judicat Sanctus Doctor, ut eodem utatur argumento lib. 3. cap. 12. ostendens filios fidelium, licet Sancti ab Apostolo vocentur, ab originali culpa non solvi absque baptismo. „ Illud sine dubitatione „ tenendum est, *inquit*, quæcumque illa sanctificatio sit non valere ad christianos faciendos, „ atque ad dimittenda peccata, „ nisi christiana & ecclesiastica institutione & Sacramentis efficiantur fideles. Nam nec conjuges infideles quamlibet sanctis „ & justis conjugibus hæreant, ab „ iniquitate mundantur, quæ a „ regno Dei separatos in damnationem venire compellit. Nec „ parvuli de quibuslibet sanctis „ justisque procreati originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in „ Christo fuerint baptizati pro quibus tanto impensius debemus loqui, quanto pro se ipsi minus „ possunt." Quid ergo volebat Apostolus, facile intelligit quisquis Ecclesiæ nascentis exordia non ignorat. Ad fidem Christi conversi infideles, ab uxoribus adhuc infidelibus, & uxores pariter factæ fideles, a viris adhuc infidelibus, aliquando recedebant, quod ab ipsis non postulabat Christiana Religio, nisi fidem perdendi & ad idola revertendi urgeret periculum, præsertim cum ex mutua que consensione spes oriretur infidelem posse ab uno ex consortibus fideli ab infidelitate revocari, & ad fidem converti. Quapropter eos hortabatur Apostolus, ne fidelis discederet ab illo qui nondum erat fidelis, nisi discederet ipse infidelis. Quod dicit sanctificari, id christianum fieri significat. Quod vero dicit de filiis eorum, ut parentes ab invicem non discederent, ne filii eorum spurii, quod est immundi, reputarentur & adulterini, & aliunde ne filii fide, quod est sanctitate, privarentur, ut evenire poterat si remanerent in potestate illius ex consortibus, qui in odium Religionis christianæ a consorte fideli ac christiano discedebat: sic vere est intelligendus textus ille Apostoli, nullum alium sensum præ se ferens. Unde manifeste apparet quantum scripturis omni tempore ad erroris sui defensionem abutantur hæretici, textus varios in pravum sensum sibi specie faventem detorquentes, qui nullum ad quæstionem de qua inter ipsos & catholicos agitur, ordinem dicunt.

Iis quæ ex epistola ad Romanos objecta sunt, cum nihil, etiam indirecte, faciant ad propositum, ubi de propagatione peccati originalis res est, supersedemus, ne frustra tempus & oleum insumamus, id

unum

nuum volente Apostolo gentiles scilicet docere, non debere gloriari quod Judæis ad tempus reprobatis, ipsi ad gratiam Evangelii vocati sint, cum Judæi qui nunc sunt rami fracti, ut gentiles nomine oleastri designati insererentur in bonam olivam, sint iterum inserendi, & ad Christi fidem adducendi, quando plenitudo gentium intraverit; Deus enim, inquit Paulus, non repulit plebem suam quam præscivit, & cæcitas ex parte contigit in Israel: ideoque, cum sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei, Judæi qui semen sunt Abrahæ, & secundum electionem Deo charissimi propter patres, misericordiam tandem consequentur. Radix enim eorum sancta est, lex nempe Mosaica, quam ob omni vitiositate purgavit Christus, rami proinde iterum inserendi sancti sunt in spe, illorum qui futuri sunt saluti ac conversioni minime nocentibus illis, qui ex incredulitate ceciderunt, & veluti rami totidem fracti, a radice sancta, & sua virtute non spoliata, separati sunt. Verum de his pro nunc hæc sint satis.

QUÆSITUM TERTIUM.

An Pelagianismi circa propagationem peccati originalis notari merito potuerint Origenes, Sanctus Joannes Chrysostomus, & Theodoretus?

CUM ex variis locis illorum Patrum male intellectis, vel in pravum sensum detortis, illos præstantissimos Ecclesiæ Doctores Pelagianismo circa originale peccatum notare nonnullis placuerit, imo Chrysostomum Pelagiani suum esse aliquando voluerint, quo fundamento nitantur abs re non erit examinare, ut exinde innotescat, an merito, an falso hæc nota ipsis inuratur, & utrum circa illud fidei catholicæ dogma dubii & ancipites fuisse censeri possint. Horum textuum qui difficiliores videntur elucidatione sententia negativa firmabitur.

ASSERTIO UNICA.

Nec Origenes, nec Joannes Constantinopolitanus Episcopus cognomento Chrysostomus, nec Theodoretus Cyrensis Episcopus, Pelagianismi circa peccati originalis propagationem merito notari unquam potuerunt, nec circa illud fidei catholicæ dogma ancipites aliquando fuerunt.

I. *Ab illa Pelagianismi nota vindicatur Origenes.*

SI Pelagianismi suspicio qua ab indoctis aut malevolis aliquando notatus est Origenes, qui in ecclesia Christi scientiarum varietate, studio ac labore, parem non habuisse videtur, quique in hoc sæculo degens celebris erat doctrina, post mortem controversiis, quæ de illo sæculis sequentibus ortæ sunt, celebrior adhuc evasit, si hæc, inquam, suspicio ab illo non semper longe fuisset, in erroris sui patrocinium illum advocare non omisissent Pelagiani, quos forte non latebat tanti Doctoris celebritas, qua si gloriati fuissent, nullus potuisset improbare. Illum autem, eo tempore quo nondum exortis Pelagianis, ut scribit Augustinus, securius loquebantur Sancti Dei homines, recte & catholice de peccato originali sensisse demonstrant ea quæ habet homilia 14. in Lucam, de eo quod scriptum est cap. 2. „Cum autem impleti essent dies purgationis ejus" *Parvuli baptizantur*, inquit, *in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? Vel quo tempore peccaverant? Aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum*

 sen-

sensum, de quo paulo ante diximus: Nullus mundus a sorde, nec si unius diei quidem fuerit vita ejus super terram? Et quia per baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poterit intrare in Regnum Cœlorum. Parvulos dicit Origenes per baptismum deponere nativitatis sordes juxta Christi institutionem & præceptum, ut a Cœlorum Regno non excludantur. Illæ autem sordes, a quibus ante baptismum nemo mundus est, aliæ non sunt quam culpa originalis quæ ab Adamo in nos omnes pertransfit.

Nec infirmari potest horum verborum efficacia dicendo, quod si ex illis legitime infertur Origenem in omnibus Adæ posteris agnovisse culpam originalem, necessario sequeretur illum voluisse in Christo etiam fuisse hanc culpam, cum dicat ibidem, nec ab his sordibus mundum fuisse Christum. *Ergo Jesus*, inquit, *purgatione indiguit, & immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed Scripturarum auctoritate commotus vide quid in Job scriptum est, nemo mundus a sorde, &c.* Ex iis enim quæ de Christo, pro ut sunt intelligenda, dicit, sequitur Salvatorem Mundi habuisse secundum exteriorem hominem sordem illam, quam ex Adamo realiter habent ejus posteri, cum omnibus ipsius consectariis, de quibus agemus ubi de pœnis & effectibus peccati originalis, minime vero maculam ipsam peccati, quod esset impium dicere. Licet enim Christus peccatum non fecerit, cum esset vere impeccabilis, pro nobis tamen, ut ait Apostolus, factus est peccatum, quando Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne. Et ob illam peccati similitudinem Christus voluit circumcidi, etsi ab omni inquinamento liber, utpote qui veniebat peccatores salvos facere. Hanc autem præcise mentem esse Origenis ostendunt verba ipsius in eadem homilia, ubi est sui ipsius interpres. *Omnis anima*, inquit, *quæ humano corpore fuerit induta habet sordes suas. Ut autem scias Jesum quoque sordidatum fuisse secundum ignominiam Crucis, non secundum ipsam quam assumpsit functum carnem, de qua Apostolus ait, in similitudine carnis peccati fuisse propria voluntate, quia pro salute nostra humanum corpus assumpserat, Zachariam Prophetam ausculta dicentem, Jesus erat indutus vestibus sordidis.* Speciem ergo peccati ac similitudinem habuit Christus secundum exteriorem hominem, pro nobis factus homo, sordes specie tenus ferens, etsi iis in veritate careret, & ex sordibus illis quæ in eo apparebant, concludere videtur Origenes veritatem carnis Christi, quæ jam a nonnullis hæreticis impugnabatur.

Ipsum vero recte fuisse locutum de peccato originali indicant ea quæ dicit lib. 5. in epist. ad Rom. in hæc verba Pauli „Sicut per unum „ hominem peccatum intravit in „ mundum, &c." *Vide mihi Apostolum naturæ ordinem tenuisse & ideo quoniam de peccato loquebatur, ex quo mors in omnes homines pertransierat, successionem posteritatis humanæ quæ huic morti succubuit ex peccato venienti non mulieri adscribit, sed viro. Sed ut evidentius fiat quod dicimus, addimus etiam hoc quod idem Apostolus ad Hebræos scribit. Sed & Levi qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lumbis erat Patris Abrahæ, cum obviavit ei Melchisedech regresso a cæde regum. Si ergo Levi qui generatione quarta post Abraham*

sam nascitur, in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur, multo magis omnes homines qui in hoc mundo nascuntur & nati sunt, in lumbis erant Adæ cum adhuc esset in Paradiso, & omnes cum ipso vel in ipso expulsi sunt de Paradiso, cum ipse inde pulsus est, & per ipsum mors quæ ei ex prævaricatione venerat, consequenter & in eos pertransit qui in lumbis ejus habebantur. Investigat eo loci Origenes, cur ex homine trahamus peccatum per quod mors in mundum venit, cum ante Adam mulier peccaverit, & ante ipsam serpens qui & diabolus. Id autem non investigaret, & quæstionem solvere non curaret, si peccatum originis quod ab Adam trahunt omnes qui in lumbis ejus erant, & cum eo prævaricatores extiterunt, non admisisset ut aliquid omnimode indubitatum. Ab hac doctrina non recedit, quin potius illam expresse tenet hom. 8 & 12 in Levit hom 3 in Cant lib 4 & 7. contra Celsum. Unde illum Pelagianis prælusisse gratis asseretur.

Nec obstat quod in eumdem locum Pauli mox laudatum dicat Origenes, Apostolum mundi nomine intelligere homines terrestres & mundanos, in quos vult intrasse peccatum. Neminem enim movebit hæc allegorica Origenis interpretatio, qui in ipsius operum lectione fuerit versatus. In omni Scripturæ Sacræ loco ad morum institutionem allegorias quærebat Origenes ob ingenii sui concinnitatem. Sed sensus allegoricus, ut norunt omnes sensui litterali non contrariatur, & uterque ab Origene ibi admittitur. Quod verum est adeo, ut infra juxta litteræ sensum agnoscat, omnes in homines, etiam justos, pertransisse mortem, quia omnes peccaverunt. *Absoluta sententia*, inquit, *pronunciavit Apostolus in omnes homines mortem pertransisse peccati in eo in quo omnes peccaverunt, sicut & alibi, omnes enim peccaverunt, & egent gratia Dei. Et ideo etiam si Abel illum justum dixeris, non potest excusari, omnes enim peccaverunt.* Et laudatis quampluribus Patriarchis, qui in Scripturis Sacris justi vocantur, illos dicit omnes aliquando Deo non placuisse primis diebus scilicet vitæ suæ, peccato originali nondum in ipsis deleto. *Unde*, inquit, *ex his omnibus invenitur non immerito ab Apostolo dici in quo omnes peccaverunt.* Quod si eodem libro videatur exponere mortem de qua Apostolus loquitur, de morte animæ seu peccati, non vero de morte corporis, quæ est vera peccati originalis pœna, id pariter non obstat, cum id allegorice etiam dicat, sensu litterali jam exposito, quod indicant hæc ipsius verba. *Hæc* inquit, *de ipsis eloquii Apostolici continentia diximus. Videamus nunc quid etiam interior habeat intellectus.* Unde mortem animæ atque mortem corporis optime distinguit: istam dicit esse omnibus communem, illam vero non gustasse Christum, qui ab illa nos redemit, unde de illo sic loquitur: *Christus ad hoc opus non conditionis necessitate, sed sola miseratione permotus accessit. In forma enim Dei erat & videns unius hominis delicto mortem regnare per populos, creaturæ suæ non obliviscitur, non rapinam duxit esse se æqualem Deo: exinanivit igitur se ipsum de æqualitate & forma Dei, & servi suscepit formam, & fit homo, ad quem tentandum auderet quidem venire ille qui regnabat in omnibus, sed transire non posset.* Mortem tamen istam suscepit communem, cum illam peccati quæ regnabat in omnibus non receperit. Cum hoc Origenis loquendi modo qui stare possit in illo fictitia hæc de Pelagianismo suspicio, dicant qui fidem illius in hac

hac parte minus sanam existimant, & volunt, hæc commentaria, quæ illum ita catholicum demonstrant, adscribenda esse Rufino ipsius paraphrastæ, quod inde evincitur falsum, quod eruditorum maxima pars velit, Origenis scripta ab illo Rufino fuisse viciata, & ad ipsum referendos esse quamplures errores eorum qui Origeni tribuuntur. At certe in iis quæ ex illis commentariis retulimus, nihil vitium redolet, & non obstantibus allegoriis Origeni familiaribus, catholice adeo de peccato originali loquitur, ut nihil supersit, iis quæ scribit, addendum.

Opponunt 1. qui volunt ipsum non recte de peccati originalis propagatione sentire, Origenem censere Adæ peccatum non transisse in ejus posteros nisi per imitationem, dicit enim, inquiunt, regnasse mortem ab Adam usque ad Moysen, non super omnes, sed in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Adduntque ex similitudine prævaricationis quam imitati sunt cæteri homines, Adam dici ab ipso juxta Apostolum, formam futuri, quia peccandi exemplum ipsis reliquit. Dedit Adam, dicente Origene, peccatoribus formam per inobedientiam, Christus vero ex opposito justis formam per obedientiam posuit. Unde concludunt Origenem tenuisse peccatum originale in sensu Pelagii, non in sensu catholico.

Resp. Mirum non est quod Origenes dicat mortem non regnasse super omnes homines. De duobus hominum generibus loquens, justis nempe, & injustis, dicit mortem in homines justos pertransire, sed in illos minime regnare, in injustos vero illam nedum pertransire, sed & in illas regnare, & in ipsos imperium exercere. Justi moriuntur ratione conditionis humanæ, iniqui autem ratione peccati sub sua tenet potestate mors, & ab illa non liberabuntur quæ est mors secunda, & æterna, a qua liberandi sunt boni, æternum cum Christo regnaturi. Quid doctrinæ catholicæ magis conforme? illum sic loquentem audiamus. *Introivit quidem mors in mundum, & in omnes pertransiit. Non tamen in omnes regnavit. Aliud est enim pertransire, & aliud regnare. Peccatum enim pertransiit etiam justos, & levi quadam eos contagione perstrinxit: in prævaricatoribus vero, id est his, qui se et tota mente, & devotione subjiciunt, regnum tenet, & omni potestate dominatur.* Ea in sensu allegorico loqui Origenem nemo non videt, qui ad verba quæ sequuntur, quibusdam interpositis, attendit. *Verum in hæc per excessum quemdam prolapsi videmur, sed ad propositum redeamus.* Unde fatetur infra Apostoli verba non de imitatione sed de propagatione esse intelligenda, & ad omnes quoslibet homines pertinere, ut legenti fiet manifestum. Ex illa ergo parte nulla oppositio, quæ cum iis quæ scribit Origenes stare nequit. Nec refert quod dicat Adam peccatoribus per inobedientiam extitisse formam futuri, sicut justis Christus per justitiam. Inde solum sequitur injustos, dum in peccata labuntur, hominem primum imitari, justos vero bonum operando Christi effici imitatores. Illud enim nullo modo pugnat cum culpæ originalis propagatione, & aliunde exponit Origenes quo sensu Adam forma futuri sit dicendus, dum sic loquitur. *Qui Adam forma futuri est, non secundum quod prævaricatus est, sed secundum hoc quod sicut per ipsum mors, ita per novissimum Adam vita ingressa est in hunc mundum, & sicut per illum in omnes homines condemnatio, ita & per Christum in omnes homines justificatio.* Quæ ad litteram verissima sunt.

Op-

Opponunt a. Origenem dicentem plures a Christo salvos fieri quam damnaverit Adam, ideoque abundantius esse donum quam delictum, quod stare nequit cum sana doctrina de peccato originali. Et aliunde dici peccato unius, non omnes homines, sed multos fuisse constitutos peccatores, quapropter Apostolum vult, modo dicendo omnes, modo multos, mysteria secretiora contegere. Verum intellecta culpæ originalis propagatione juxta perpetuum Ecclesiæ sensum, quid mysterii altioris in verbis Pauli esse potest?

Resp. Eodem sensu ibi loquitur Origenes, quo in præcedentibus ostendimus locutum fuisse Apostolum, cujus verba refert ille Doctor sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia, & donum in plures abundavit. Et revera abundantius delicto fuit donum, per quod, ut diximus cum Augustino, nedum a culpa originali, sed etiam ab iis quæ peccato Adæ addidimus, liberati sumus. Hanc autem esse Origenis mentem & non aliam, nisi quando a sensu litterali ad allegoricum progreditus, agnoscet, qui ipsius scripta attente perpenderit. Hinc est quod omnes, & multos idem esse in sensu Apostoli judicaverit, ait enim *Nec multum interesse quod ibi in omnes homines, dixerit pertransisse peccatum, hic vero donum, & gratiam Jesu Christi in plures abundasse, cum & omnes homines plures esse intelliguntur, & plures omnes intelligi non videatur absurdum, maxime cum in subsequentibus dicat apertius, sicut per unius delictum in omnes homines, &c.* Præterea in mente Origenis ad litteram verissimum est, gratiam Christi in plures abundasse quam peccatum Adæ, eo quod, *ille etiam ipse, ex quo*, inquit, *in cæteros mors peccati diffusa est*, *additur numero eorum, eo quod cum omnibus quos ipse fecerat sub delicto, etiam ipse salvetur . . Sic ergo plures Christus reducit ad vitam, quam Adam duxit ad mortem, quia etiam ipsum Adam qui cæteris consortibus extitit mortis, Christus revocavit ad vitam, ut verum sit, &c.* Quid fortius desiderari potest iis quæ de Origene retulimus, ut a Pelagianismi nota vindicetur? cæterum quod existimaverit Pauli Apostoli loquendi modum mysteria altiora vel secretiora contegere, quid inde, cum ostendat varium sensum, quem habere possunt ipsius verba, & aliunde sensus allegoricus, ut diximus, minime adversetur litterali, cui nihil oppositum dixisse Origenem invictissime probatum manet.

II. *Ab eadem Pelagianismi nota vindicatur S. Joannes Chrysostomus.*

Etsi satis superque per Augustinum lib. 1. contr. Julian. cap. 2. vindicatus extet Joannes Constantinopolitanus, quem in suas partes trahere conabantur Pelagiani, cum in materia præsenti a nonnullis opponatur, & aliquid difficultatis in iis quæ scripsit, inveniatur, ipsius mentem investigare non erit superfluum. Igitur ut hunc sanctum, simulac doctissimum Præsulem, nihil recte minus quod Pelagianis in rei veritate faveat, scripsisse, nemo adhuc valeat dubitare, præter ea quæ jam Augustino ex ipso Julianum alloquente, supra retulimus, quæque consuli poterunt, legamus alia hujus sancti viri testimonia, eodem nos ducente Hipponensi, Chrysostomi causam agente. *Venit semel Christus*, inquit, *& paternis nos cautionibus invenit astrictos, quas conscripsit Adam, ille initium obligationis ostendit, peccatis nostris fœnus*

nus accievit. Quæ verba, subdit Augustinus, e verbo (græco) interpretata sic se habent: *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis*. Contentus non fuit Joannes, inquit Hipponensis, *dicere paternum chirographum, nisi adderet nostrum, ut sciremus antequam fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, jam illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere*. Ubi optime distinguit Chrysostomus, paterni chirographi debitum quod nobis hæreditarium factum est, ab iis debitis quæ nobis propria sunt, & per quæ fœnus nostrum auximus.

Verum ut minor remaneat circa Chrysostomi mentem scrupulus, legantur semper apud Augustinum, quemadmodum exponat idem ipse vir sanctus eumdem ipsum Apostoli locum ubi scriptum est, *per unum hominem peccatum intravit in mundum*: ibi enim ait Augustinus, luce clarius in hujus fidei catholicæ veritate versatur. Quod totum quia longius esset intexere, pauca inde contingamus. *Manifestum est*, inquit Chrysostomus, *quemadmodum non ipsum peccatum, quod ex legis transgressione, sed illud peccatum, quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminavit*. Et paulo post: *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos qui non peccaverunt. quomodo regnavit? In similitudine transgressionis Adæ, qui est forma futuri, propterea, & forma est Christi Adam. Quomodo forma est, ait? Quoniam sicut ille ex semetipso nascentibus, quamvis non manducaverint de ligno, factus est causa mortis, quæ per cibum inducta est, ita & Christus iis, qui ex ipso sunt, tametsi nihil juste egerint, factus est provisor justitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonavit*. Ex quibus Joannis verbis, aliisque ex ipso prolatis, concludit Augustinus contra Julianum, illum nihil adjuvisse, quod Joannis Constantinopolitani, tamquam ipsi suffragaretur, testimonium posuisset. Quod satis esset ad retundendam Pelagianorum perviaciam.

Opponunt 3. Pelagiani apud Augustinum, Sanctus Joannes Constantinopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum. Nam homilia quam de baptizatis habuit, enumeratis bonis quæ ex baptismo hominibus veniunt, vides, inquit, quot sunt baptismi largitates, & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint. Si ergo parvuli ante baptismum peccato non sunt coinquinati, qui aliud præter originale nullum possunt habere, non immerito dicitur Chrysostomum negavisse peccatum originale.

Resp. Falso a Juliano opponi hæc Chrysostomi verba, quibus detraxerant haud dubie Pelagiani, ostendit Augustinus sic Juliano de iis respondens: *Ita ne ista verba Sancti Joannis Episcopi audes tamquam contraria tot taliumque sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? absit, absit, hoc malum de tanto viro credere aut dicere*. Postquam dixit Augustinus Joannem, de liberatione paterni chirographi quæ fit per Christum in baptismo, ac de morte quæ per Adam facta est, eadem tenuisse ac alii Episcopi, quorum meminit, sic prosequitur: *Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit*,

cit, hoc docuit & Joannes. Sed tu ejus verba in vestrum dogma convertis. Peccatum dixit parvulos non habere, sed propria . . . Comparans ergo eos (parvulos) Joannes majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos non habere peccata, non sicut verba ejus ipse posuisti, non coinquinatos esse peccato, dum vis utique intelligi, non eos peccato primi hominis inquinatos. Addit deinde Augustinus, vel scriptoris errore, vel varietate interpretis, peccatum in singulari numero, licet sic in plurali, forte ex vitio cujusdam Pelagiani, positum fuisse. Et Joannis verbis græco idiomate relatis, quæ latine sic sonant, ideo, & infantes baptizamus quamvis peccata non habentes, concludit. *Vides certe non ab eo dictum esse parvulos non coinquinatos esse peccato, sive peccatis, sed non habere peccata intellige propria, & nulla contentio est.* Cæterum verba Joannis prout opponebantur a Juliano, ipsum agnoscere peccatum originale non obscure indicant nonnulli, aiunt, deputant cælestem gratiam in peccatorum remissione consistere. Primarius ergo baptismi effectus est remissio peccatorum, sed parvuli, de iis enim quæstio movebatur, quænam peccata habere dicendi sunt, si dematur peccatum originale? Et aliunde quomodo tale peccatum non admisisse dici potest, qui de baptizatis, & Neophytis ibidem sic loquitur: *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur ante captivi. . . & justitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati.* Quæ libertas, quæ captivitas, quæ injuria, si parvuli qui peccata propria non habent, peccato non tenentur originali, a cujus confusione per aquam baptismi liberantur? Quare ergo, inquiunt enim Juliano Sociniani, dicens Chrysostomus parvulos ad baptismum venientes peccata non habere, non addidit propria, unde omne dubium tolleretur? *Cur putamus*, respondet Juliano Augustinus, *nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.*

Opponunt 2. Absurdum videri Chrysostomo quod ex peccato unius alii peccatores habeantur, cum dicat hom. 10. in epist. ad Rom. "Illo enim, scilicet Adamo peccante „ac mortali effecto, & qui ex eo „orti sint, eos tales esse nihil ab„surdum". At ex illius inobedientia alternm peccatorum extitisse, id vero quam, obsecro, congruentiam consequentiamque habeat?

Resp. Etsi verba laudata esse minus Chrysostomi sententiam, quam eorum quos impugnat, objectionem, satis probabile sit, hæc tamen peccato originali nihil dicere contrarium, non difficile ostenditur. Quod per inobedientiam unius peccatores alii extitissent, de hoc Apostolum inter, & Judæos non controvertebatur, illis dicente Paulo, Christi justitiam omnes in homines derivari, & per illius obedientiam justos constitui multos. Quod Judæis non intelligentibus, argumentatur a simili Apostolus, ex eo quod unius delicto multi mortui sunt, ejusque inobedientia peccatores constituti. Quomodo utrumque illud accideret, & qua ratione id fieri potuisset, quæri posse, illudque non esse absque difficultate censet Chrysostomus. De hoc autem ibi solum agi, nec de peccato originali quæstionem moveri demonstrant sequentia hæc Chrysostomi verba. *Quod autem in quæstionem cadit, est, quo id de causa factum est? Sed nondum hoc addit* (Apostolus Paulus). *Neque enim ipsi ad præsens conducit. Num ad-*

versum Judæum constituta pugna est, ambigentem ac deridentem quam per unum justitiam factam esse vult. Idcirco cum ostendit, & supplicium ex uno in omnes derivatum fuisse, qua id de causa acciderit nondum addidit. Neque enim supervacaneus est, sed ea tantum persequitur, quæ necessaria sunt. Hæc enim jam non ipsum magis quam Judæum cogebat certaminum lex dicere, quapropter insolutum relinquit. Nec ulla est difficultas ex iis quæ habet deinde Chrysostomus dicens, non solum nihil nos accepisse nocumenti a morte ac condemnatione Adami, sed si sapuerimus, nos mortales effectos lucrum etiam facere. Cum ibi solum enarret, & extollat bona quæ per merita Christi accepimus, quæ tanta sunt, & adeo in nobis abundant, ut in comparatione illorum pro nihilo fere possimus habere, quod peccato illius, & morte, mortales fuerimus effecti ac peccatores, cum multum nos fuisse lucratos dicere liceat, cum juste efficiamur per Christi justitiam, quæ nostra facta est, & qua cum innumeris frui possumus bonis, quæ per passionem suam & mortem nobis ipse promeruit. Hanc esse mentem Chrysostomi fatetur omnis qui illum legit. Et hæc nedum peccato originali nedum non opponuntur, sed etiam illud distincte supponunt, & astruunt.

Opponunt 3. dicere Chrysostomum nos minime perire propter Adamum ut videre est hom. 17 in 1 Epist. ad Corint. neque omnes in Adam esse mortuos morte peccati, cum Noe, Abraham, Job, aliique plures fuerint justi in generatione sua dicti: sicut nec omnes in Christo esse vivificandos, cum multi sint in æternum damnandi, ut habetur hom. 39. in eamdem.

Resp. Hæc sincere minus a Pelagiania tum veteribus tum modernis ac Socinianis opponuntur. Nimium enim sunt perspicaces, ut optime non videant ea, quæ habet Joannes in his duabus homiliis in Paulum, veram peccati originalis doctrinam præ se ferre. Populum Constantinopolitanum alloquens Chrysostomus, homines baptizatos jam, in quibus culpa originalis fuerat deleta, reprehendit, qui damnationem, quam ipsis minabatur, in Adam refundere volebant, & querebantur quod propter illum perirent. Illos objurgat eis dicens, propter gravia peccata ab iis perpetrata esse perituros, quæsi non haberent, non ipsis formidandum quod propter Adam perituri sint. Unde immerito damnationem suam, si eam incurrerent, in Adami peccatum, tanquam in causam rejiciebant. Quid doctrinæ catholicæ de peccato originali magis conforme desiderari potest? Ad illud peccatum non attendebat Chrysostomus homilia 39 unde ex illa nihil ad propositum inferri potest. Exponens ibi Sanctus Doctor hæc Apostoli verba: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, inde duo vult inferre, & animæ nostræ immortalitatem, & certitudinem futuræ corporum resurrectionis. De illa enim, & de vita futura ibi quæstionem movebat Paulus, quapropter eo in sensu textus sequentes Apostoli explicat Joannes, contra Manichæos probans futuram corporum resurrectionem. Unde dicit cum illo, quia enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum, sicque ut Adami peccatum vitam a nobis aufert, illam nobis reddet gratia Christi, qui est primitiæ eorum qui obdormierunt: per quæ verba hæretici confutantur, quia si Christus

pro-

primitiæ mortuorum resurrexit, etiam mortui resurgant oportet. Textus Apostoli Manichæis intelligentibus de morte peccati & resurrectione a peccato, non de morte & resurrectione corporis, in stabilienda corporum resurrectione totus fuit Chrysostomus, & dicit, quod si illi resurrecturi sunt secundum spiritum qui peccatum non habent, nullus resurget, cum omnes peccatum habeant. *Quod si resurrectionem*, inquit, *peccati liberationem dicit*, (Apostolus) *cum liber peccato mortalis nemo sit, nam & Paulus nihil mihi conscius sum quidem, sed ob id non justificatus sum, inquit, quomodo erunt juxta vos qui resurgant quidam. Vides de corporibus sermonem esse, quem ut probabiliorem reddat, assidue Christum in medium adducit in carne resurgentem.* Mirum igitur videri non debet quod Chrysostomus cogere volens hæreticos ad confitendam corporalem resurrectionem, quosdam dicat fuisse a morte peccati liberos, cum hoc textu sumpto de morte peccati, hæretici abuterentur. Aliunde verum erat Noe justum fuisse in generatione sua, aliique plures e Patriarchis justi merito dicti sunt, non quia primi hominis peccatum, quod omnibus commune pluries asserit Chrysostomus, non contraxerunt, sed quia a morte peccati ex Adamo contracta liberati, cum justificati fuerunt per fidem Christi, & per Sacramenta legis naturæ, propria non habuere peccata, quibus acceptam justitiam amiserint, ob quæ peccata propria multi in gehennam adducentur. Verum ut dictum est, ad peccatum originale non attendebat hoc in loco Chrysostomus. Unde gratis in præsentibus illa opponuntur, sicut & alia quæ afferri solent, in quibus nulla est difficultas, quæ, vel unica Chrysostomi lectione non solvatur, vel extra quæstionem de qua agimus esse non dignoscatur. Unde illis etiam supersedemus.

III. *Ab illa Pelagianismi nota Theodoretus vindicatur.*

Adeo diserte de peccato originali loquitur Cyranus Episcopus, ut non nisi ex male intellectis aliquot ejus verbis, aut a malevolis ab antecessorum suorum sententia & fide recessisse dici queat. Nec multum laborare nobis opus est, ut ab illo hæc injuria propulsetur. Legantur ea quæ habet, tum expositione in Psalmum quinquagesimum, tum libro quinto hæreticarum fabularum, & a Pelagianorum placitis alienus brevi agnoscetur. In primo loco hæc ejus sunt verba. *Olim & a principio peccatum in naturam imperium obtinuit, quia mandati transgressio Evæ conceptionem præcessit, post transgressionem enim divinamque sententiam & paradisi privationem, cognovit Adam uxorem suam Evam, & cum concepisset, peperit Cain.* Ubi advertendum non dicere Theodoretum, mortem in homines imperium obtinuisse post Adæ peccatum, sed a principio peccatum obtinuisse imperium in naturam per transgressionem mandati factam per Adam. Naturam ergo in qua imperium obtinebat peccatum, ab Adamo trahentibus ipsius posteris, & peccatum cum ea ipsos traxisse existimat Theodoretus. Idque ita verum est, ut sic prosequatur; *Hoc igitur vult dicere, quod cum peccatum majores nostros invasisset, viam quamdam & tramitem per progeniem effecit. hoc & Beatus Paulus, quoniam enim per hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in qua omnes peccaverunt.* Peccatum

Hh 2 quod

quod majorem nostrum Adam & Evam invasit, cum Dei mandatum transgressi sunt, idem peccatum effecit vitam quamdam & damnatam per progeniem, illamque pariter invasit, & ex invasione illa, peccato illo ingresso in mundum, omnes illud peccatum in Adam homines peccaverunt. Hic germanus est sensus verborum Theodoreti, quem qui prima fronte non intuetur, oculos claudat ne videat oportet, quid enim tramites est illa, quam per progeniem Adæ & Evæ fecit illorum peccatum, nisi illa propagatio istius mandati divini transgressionis, quam cum natura, quæ ex illa vitiata extitit, participant eorum posteri?

In secundo loco, lib. 5. nempe hæret. fabul. cap. 11. exponens Theodoretus hæc verba Apostoli, *sed non sicut delictum, ita & donum*, sic loquitur. *Superat benignitatis munificentia justitiam. Justitiæ namque decretum, cum unus peccasset, universum genus morti tradidit. Divino autem misericordiæ, cum omnes homines sub maledicto essent, & peccati loqueis essent irretiti, per unius justitiam dedit omnibus salutem.* Quid peccatum originale magis indicare potest? ex unius peccato morti traditur omne genus hominum, cui peccatum factum est proprium, omnes enim illud cum natura humana participant. Omnibus sub illius peccati, ex quo mortales facti sunt, maledicto exstantibus, & laqueis ejusdem peccati unius qui prior peccavit, irretitis subvenit misericordia, omnibus ut condemnetur sub maledicto dans salutem per unius Christi justitiam. Nonne hæc est tota Catholicæ Ecclesiæ de peccato originali, illiusque remedio doctrina? Theodoretum vero de peccato illo verba facere manifestant ea quæ subdit. *Cum sic ostendisset (Apostolus) unius justitiam communis peccati remedium extitisse, ostendit per ipsum mortis quoque perniciem destructionem.* Quodnam peccatum, si vocatur originale, potest dici commune, ad quod delendum filius Dei factus homo mortem subiit? Originalem culpam si non admisisset cum Ecclesia Catholica Theodoretus, quomodo in caput quintum Epistolæ ad Romanos verba sequentia scribere potuisset? *Dicit itaque divinus Apostolus quod cum Adam peccavisset, & mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus humanum pervenit. Ad omnes enim homines mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt.* Nec obstat quod subjungat. *Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscepit.* Non præcise morimur ob peccatum Adæ, in quantum est personale ipsi, sed quia peccatum illud in omnes homines pertransiit, illorum factum est, hinc unusquisque morti subjacet ob suum peccatum ex eo quod illud primum peccatum unicuique factum sit personale, unde peccati proprii, potius quam alieni, nos pœnas luere verissimum est. Et tantum abest quod hæc ultima Theodoreti verba propagationem peccati originalis impugnent, quin potius, eo magis a Pelagianorum sententia recedant, quo Ecclesiæ doctrinæ, & Theologorum, circa modum explicandi illius peccati communicationem, dictis magis consentiunt. A Pelagianismo igitur toto multum distat Theodoretus.

Opponunt tamen, & dicunt illum docere in Psalmum quinquagesimum, peccatum non esse homini naturale, alioquin non juste supplicii plecteremur, cum necessitate peccaremus. Peccatum autem originale non esse

se naturale quis pronunciare auderet?

Resp. Mirum certe quod inde aliquid Pelagianismum redolens inferatur. Nonne hæc est sana & orthodoxa omni ex parte doctrina peccatum de primæva hominis conditione, & aliquid naturæ essentialiter inhærens esse, quis Catholicus pronunciaret. Hominem nedum ad peccatum esse proclivem, sed etiam non posse non peccare, ideoque in malum necessario ferri, proindeque de peccato non posse juste puniri, nonne illud verissimum esset, si peccatum aut proclivitas ad peccandum essent primordia hominis naturalia, & peccatores ex institutione creatoris facti essemus? quis culpandus in eo quod vitare non potest? quis legitime mulctandus ex, eis in quibus non est culpandus? recte igitur scripsit Theodoretus, *Cæterum per hæc omnia ostendimus, non peccati naturalem vim esse: nam si ita se haberet, a supplicio liberi essemus: sed naturam ad peccatum esse proclivem, ab affectionibus turbatam: vincit tamen ratio laborum auxilio fulcita.* Hæc peccati vis non oritur a natura, sed a peccato primi hominis quod viciavit naturam, & ab illo vitio oriuntur inclinatio, facilitas ad peccatum, sicut & pravæ affectiones quæ ad malum nos movent. Cum ergo hæc omnia ad naturam, ut natura est spectatam non pertineant, & a ratione auxilio laborum, gratiæ scilicet supernaturalis, subnixa vinci possint, liberi a supplicio non sumus quando non vincimus. De malo quod non facimus inviti, non est quod naturam accusemus: nec de proclivitate ad peccatum, aut variis animi perturbationibus, culpandæ sunt nuptiæ, quæ in causa non sunt, sed peccatum primi hominis, quod omnibus ejus posteris naturale factum est, in quantum illud trahunt una cum natura, ut alias dictum est, in quo ultimo sensu peccatum originale omnibus hominibus naturale esse non diffitetur Theodoretus, ut legentibus innotescit.

Nec doctissimi istius Episcopi fidem dubiam reddere valent circa peccatum originale, quæ habet, cum epitome divinorum decretorum, ubi de incarnatione Christi loquens, hæc verba Apostoli *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*, &c. Interpretatur de peccatis actualibus, & dicit multos in utroque necessario poni, cum multi in Adam non perierint, & multi per Christum non salventur. Tum lib. 5 hæret. fabul cap. 18 ubi dicit parvulos dum baptizantur nondum peccata gustasse, quod recte non dicitur, supposita peccati originalis in omnes propagatione. Hic, inquam, contra Theodoretum dubium nullum legitime fulciretur. Quid enim in tali expositione verborum Apostoli allegata intendit? Nihil certe quod cum recta fide circa originale peccatum non stet. De iis loquens in quibus jam deleta fuerat culpa originalis, quemadmodum de Sancto Joanne Chrysostomo agentes diximus, in sensu latiori exponens verba Pauli, quæ directe sunt ad peccatum originale, & ad actualia illa extendens modo accommodatiori sensum literalem non evertenti, dicit quod exacte & in Adam & in gratia posuit illud *multi*, & rationem reddit, quia in illis, nempe sub lege tum naturæ, tum scripta, invenimus aliquos qui a majoribus peccatis alieni fuerunt, ut Abel, Enoch, Noe & alios qui insignes fuere virtute ac religione, & post gratiam seu post Christum multos invenimus, qui vitam ducunt perversam & injustam, &

sicut

sicut primi propter Adæ peccatum non pereunt, ita nec alieni salvantur per Christi justitiam, quæ ipsis non prodest, ob majora in quæ labuntur crimina, & in quibus ultimum diem agunt. Sed quid inde contra peccatum originale vel pro illo? Alioqui in loco dixit Theodoretus, infantes, quos baptizamus, non gustasse peccatum, intelligamus proprium, ut dicebat Augustinus in causa Chrysostomi, & nulla contentio est aut difficultas, omne dubium evanescit. Referamus Theodoreti verba: *Non enim ut amentes putant Messaliani, novaculæ tantum imitatur baptismus, præcedentium auferens peccata. Hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat baptismatis, quorsum infantes baptizamus qui peccatum nondum gustarunt?* In eo delirabant Messaliani, quod volebant actualia peccata ab adultis ante baptismum commissa, ab illo deleri, & huic Sacramento vim delendi originale peccatum negabant, existimantes dæmonem in uno quoque homine a nativitate inhabitantem, eumque ad prava opera instantem, sola posse oratione fugari. Retorquet igitur merito Theodoretus in ipsos usum baptismi parvulorum actuali peccato carentium, dicens: *Quorum infantes baptizamus qui peccatum nondum gustarunt?* His sic intellectis semper probatum nonnisi calumniose, aut inerudite plane, circa peccati originalis in omnes Adæ posteros propagationem, Theodoretum Cyri Episcopum a nonnullis in suspicionem vocari, velut Pelagii errore quodam in parte imbutum. Hoc vero non immerito aspersum fuisse testantur ipsius scripta, quæ si exacte discutiantur, uti & scripta Origenis ac Chrysostomi, atque in vero & proprio sensu accipiantur, illos nusquam Pelagianis favisse nullus poterit diffiteri.

Hæc de existentia culpæ originalis, illiusque in omnes, qui ex Adam per veram ac naturalem generationem trahunt originem, propagatione, differere a nobis doctrinæ ordo postulabat, ne quæstionem, licet arduam sane, sed primam inter Christianæ Religionis præcipua dogmata, culpabili silentio prætermisisse videremur. *In causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam, proprie fides christiana consistit*, inquit Augustinus, lib. 2. de gratia Christi contra Pelagium cap. 24. De illa ergo tacere Theologo non licet, iis præsertim diebus, in quibus Pelagianismo Socinianorum ope redivivo, errores olim ab Augustino omni ex parte egregie adeo debellatus, & ad nihilum quasi redactus, undequaque erumpere conantur. Nec interest quod jam sæpius actum agere dicamus. Si enim Dei unius existentiam, de qua nec ratio potest tacere, trinitatem personarum, incarnationem verbi, contra veterum ac recentiorum Hæreticorum cavillationes defendere adhuc licet Theologo, quamvis de iis multoties actum sit, quare adversus impietatem longe lateque diffusam, ad obstruenda incredulorum ora, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus acceptum est circa peccatum originale, quo semel in dubium revocato, evanescit cuncta nostræ Religionis œconomia, defendere quotidie non liceret? Et ideo, quia de Pelagianis olim plenam reportavit victoriam Augustinus, hunc accuratius, iis in difficultatibus non levibus nec paucis, Magistrum audimus, ducem sequi-

sequimur, ipsique tamquam veritatis oraculo firmiter adhærere religioni habemus; verum veteris illius primique peccati perpetuitatem inter Adæ posteros demonstrare, de natura illius simul ac traductione sequenti paragrapho agendum occurrit.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De natura peccati originalis ejusque traductione.

Peccatum originale veram peccati rationem habere illudque in omnes qui ex protoparente Adamo per naturalem veramque generationem ducunt originem fidei principiis freti, omnibus, quibus probari catholica veritas potest, momentis ostendimus. Duo adhuc circa illud veluti corollaria habemus examinanda. Peccati illius natura primum determinatur oportet, ut credentes & confitentes quod sit, non ignoremus, si fieri potest, quid sit, modum quo omnes homines pervadit deinde investigatur, simul inquirentes utrum talis & tanta fuerit primæ illius prævaricationis lues, ut ab illa nemo liberari potuerit qui verus sit Adæ filius.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quodnam sit peccati originalis constitutivum?

Quam merito dixerit Augustinus de ratione formali originalis peccati cogitans lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 22 nihil esse illo ad intelligendum secretius, licet illo nihil sit ad prædicandum notius, ostendunt variæ, non dicam hæreticorum opiniones, sed etiam catholicorum inter se dissidentium sententiæ. Peccatum originale malam quamdam esse substantiam, a dæmona, cujus est essentialis imago, productam, & amissionem cujusdam bonæ substantiæ quæ erat imago Dei, a Manichæorum partibus non longe stans, somniavit Matthias Illyricus, ex Centuriatoribus Magdeburgensibus clarior. Unde velut somnium pertransiit vana hæc opinio, cæteris vulgo, cum Protestantibus & Lutheranis, cum Calvinistis ac Sectariis, existimantibus culpam originalem formaliter constitui per totalem naturæ corruptionem, ex qua vitium voluntatis, cæcitas mentis, libidinis concupiscentia, quæ ab illa separari nequeunt. Peccatum originale nihil aliud esse quam ipsum Adæ peccatum posteros denominans peccatores, voluere inter Catholicos, Albertus Pighius, & Catharinus. Aliis non paucis illud denominare placuit, vitiosam quamdam in anima qualitatem ex morbida, ut ajunt, carnis affectione. Illorum est communior sententia, qui veram hujusce peccati rationem reponunt in privatione justitiæ originalis. Hanc amplectuntur Thomistæ, ac Scotistæ Magistris suis adhærere putantes, hæc S. Anselmum lib. de conceptu virginali auctorem habere videatur. Sentiunt tandem nonnulli ex Augustini doctrina, peccatum originale in suo esse formali dicere reatum concupiscentiæ ex actuali peccato Adami relictum, & per generationam ad ejus posteros transfusum, in illisque manentem, donec per aquam baptismi deleatur, remanente tamen in illis concupiscentia post baptismum absque illo reatu. Hæc opinio, licet inter Scholasticos communior non sit, naturam originalis culpæ rectius aliis explicare videtur unde ut veriorem tenendam judicamus.

AS-

ASSERTIO PRIMA.

Neque per malam substantiam, quasi homo peccans fuerit substantialiter corruptus & mutatus, ut voluit Illyricus, neque per naturæ humanæ integram depravationem, quæ sit ipsa concupiscentia ex qua peccati fomes, peccatum originale formaliter constituitur.

Quam invisa fuerit Sanctis Ecclesiæ Patribus hæc Manichæorum doctrina sæpius ab Ecclesia proscripta, ex qua finxere videtur modus ille peccati originis rationem explicans formalem ab Illyrico excogitatus quis ignorat? Non existimandum est aliquam esse substantiam mali, aut malitiam aliquid esse subsistens, dicebat olim Sanctus Basilius. Falso crederetur aliquam esse mali essentiam, aut illud per se subsistere, aiebat Gregorius Nazianzenus, & post ipsum Sanctus Epiphanius. Exploditur ergo Illyrici excogitatum illud, omnibus argumentis, quibus refelluntur ab Augustino errores Manichæorum de duobus principiis ac origine mali. Is enim affine nimis est Illyrici commentum, ut ulterius debellari possit. Quid enim est prava illa substantia a dæmone, cujus est imago, producta per peccatum, nisi malum a perverso principio ortum? Illyricus ergo ex hac parte Manichæus. Protoparentes substantialem igitur peccando passi sunt mutationem: mutationem pariter substantialem patiantur oportet in baptismo homines, dum deletur in illis peccatum originale, unde pravæ illi substantiæ diaboli imagini substituatur bona substantia, quæ est imago Dei, per baptismum in anima regeneratorum impressa. Christus ergo (qui Deus & homo, cum non contraxerit peccatum originale, variæ fuisse speciei, diversæque a nobis naturæ dicendus erit. Quot errores ex uno fonte fluunt! Sed hæc deliria diutius refutare quid opus est?

Nec audiendi sunt qui dicunt hominem, qui ad imaginem Dei ejusque similitudinem fuerat factus, ab hac dignitate peccando decidisse, & imaginem diaboli induisse, dicente Christo Judæos alloquente, *vos ex patre diabolo estis*: hæc enim moraliter, non physice sunt accipienda. Imaginem Dei juxta quam factus dicitur homo, quæque in ipsius animæ substantia fundatur, ille semper conservat. Filius vero diaboli & illius imago efficitur, non in natura, sed in moribus, in quantum per prava opera, pravaque sui cordis desideria fit illius imitator, ut tradit S. Augustinus tract. 4. in 1. epist. Joan. in hæc verba: *Qui facit peccatum de diabolo est*. Nostis, inquit, quid dicat, imitando diabolum. Nam neminem fecit diabolus, neminem genuit, neminem creavit: sed quicumque fuerit imitatus diabolum, quasi de illo natus, fit filius diaboli imitando, non proprie nascendo. Idque significaverat Christus dum in Evangelio dixerat, filios Abrahæ illos esse qui opera ejus faciebant, filios vero diaboli illos esse qui opera faciunt diaboli, unde ait Christus: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Vultis me interficere, hoc Abraham non fecit, ideo filii ejus non estis*. Si aliquando Scriptura peccata, aut hominum corruptionem designet per verba substantiam quamdam designantia, ut dum loquitur de corde duro, de homine terrestri, de homine veteri quem dicit Apostolus esse crucifixum, de corpore peccati, de viperarum genimine, aliisque similibus, hæc omnia non juxta litteræ sensum, sed secundum metaphoricam expres-

pressionem sunt accipienda. Multa aliunde essent quæ non possent explicari, si secundum sensum litteralem intelligi deberent, & in iis non fieret a sensu proprio ad sensum improprium metaphorica translatio, ut cum Christus dicitur Leo de tribu Juda, agnus qui tollit peccatum mundi, lapis angularis, &c. Unde ad propositum optime ait Tertullianus lib. de resurrectione Carnis, quod evacuant corpus delinquentiæ per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ.

Nec dici potest naturam nostram legi, ut quodam in loco habetur, repugnare in quantum est natura, sed solum ob peccatum adjectum, & vitium ipsi annexum. Ex quibus sequitur dumtaxat, originale peccatum vitiasse naturam quoad justitiam, a qua decidit protoparens per divini mandati transgressionem, totam suam posteritatem in eamdem trahens prævaricationem, non autem secundum substantiam, in qua nullam mutationem passa est humana natura. Si quis varia Illyrici argumenta vel potius sophismata desideret, Cardinalem Bellarminum lib. 5. controversiæ secundæ generalis, quæ est de amissione gratiæ, sive de statu peccati, de iis fusius disserentem legat. Peccatum igitur originale minime consistere in suo esse formali per fictitiam illam Illyrici malam substantiam, quasi mutatio quædam homini per peccatum evenerit, certissimum esse ab omnibus habetur.

Non magis constituitur originalis culpa per naturæ humanæ integram depravationem quæ sit ipsa concupiscentia, ut volunt communiter recentiores alii hæretici. Exinde enim necessario sequeretur, peccatum originale nec posse remitti, nec posse deleri in baptismo, quo peracto remanet in regeneratis fomes concupiscentiæ. Idque tenent novatores, volentes reatum originalem tegi solummodo nec imputari, quod a veritate catholica omnino alienum declaravit Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. per hæc verba: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Aliunde certum est, ut ex infra dicendis ostendetur, concupiscentiam esse pœnam & effectum peccati originalis, unde ipsum esse nequit. Quod si ulterius probandum esset, audiremus Jacobum Apostolum epist. cap. 1. unumquemque tentari dicentem, a concupiscentia sua. *Deinde*, inquit, *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Aliud ergo est concupiscentia, & aliud est peccatum. Nec aliquid Calvinus, quoquomodo hunc Jacobi textum velit intelligi, affert quo suum intentum probet, & ostendat ipsam concupiscentiam posse dici peccatum sive actuale sive originale. Et aliunde, quid erit illa totalis naturæ depravatio, per quam peccatum illud originis fiet concupiscentia? Numquid mutatio erit aliqua essentialis, qua homo facultate aliqua ad naturam humanam ut talis pertinenti spoliatus fuerit? Et si verum esset, quod falsum in sequentibus ostendemus, non erit, ut jam de concupiscentia ipsa diximus, ipsum illud originale peccatum, sed solummodo pœna illius aut effectus. Fictitia ergo hæc Novatorum de constitutivo formali originalis culpæ opinio, quæ eo tendit ut illius peccati in Adæ posteros propagationem tollat. Illorum fundamenta, si tali nomine possunt donari, legantur apud Bellarminum ibidem, cum illius responsis. In his diutius immorari non libet.

ASSERTIO SECUNDA.

Peccatum originale, quod neque per morbidam qualitatem in anima ex carnis affectione, neque per privationem justitiæ originalis, etsi eam importet formaliter constituitur, non est ipsum Adæ peccatum posteros illius denominans peccatores, vel in ipsis duntaxat moraliter manens.

1. QUantum ad vitiosam illam qualitatem in anima existentem ex morbida, ut ajunt, carnis affectione, nec quid sit, nec unde sit assignari potest. Est ne quid physicum, vel quid morale? Est ne animæ ex unione cum corpore quid essentiale, vel est ne accidens? Non potest dici aliquid essentiale animæ ex affectione carnis, ex eo quod sequeretur animam durante unione illius cum corpore, non posse ab illa liberari morbida qualitate, proindeque non deleri per baptisma peccatum originale. Si est accidens, quodnam est subjectum illius? Est ne anima, est ne caro? Si anima est illius subjectum, quomodo anima quæ in sua creatione hoc accidente carebat, potest illo supervestiri ex carnis commercio? Illud dicant, si possunt, qui tale commentum excogitarunt. Si caro dicatur subjectum illius accidentia, quomodo anima quæ est substantia spiritualis potest maculari ab illo, vel potius, quomodo potest illud transire in animam, illamque afficere, realiterque ipsi inhærere, nam peccatum est in anima, non in corpore? Diceturne morbida illa qualitas quid physicum vel quid morale? verum illud unde est? Producitur ne a Deo vel a natura? Neutrum est. Non quidem a Deo: ab ipso enim malum sive peccatum esse nequit. Nec etiam a natura quæ animam minime creat; corpus vero non potest in animam agere, nec in illam immittere morbidam illam qualitatem: quæ cum unde sit, aut quid sit, nequeat assignari, nonnisi ficte dici potest per illam in suo esse formali constitui peccatum originale, quod, admissa chimærica hac morbida qualitate, nihil esset reale.

Nec huic opinioni quolibet fundamento carenti favere fingendus est Augustinus, dum lib. de Nupt. & concup. cap. 25. loquitur de quadam affectione malæ qualitatis ad instar languoris, & cap. 31. de morbido quodam carnis affectu: & dum dicit lib. 5. cont. Julian. c. 3. quod anima in corpore corrumpitur tanquam in vase vitiato: cum per morbidum carnis affectum, malamque qualitatem sicut languorem, intelligat Sanctus Doctor propensionem quam ad malum habemus, & difficultatem ad bonum operandum quam experimur, quæque tum proclivitas, tum languoris difficultas in nobis sit, ex eo quod caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, quæ pugna originem habens a concupiscentia, est effectus ac pœna culpæ originalis, quæ cum remaneat in baptizatis, non potest constituere ipsum peccatum originale. Cum autem dicit animam corrumpi in corpore, illud metaphorice loquitur, cum spiritalis substantia corrumpi nequeat, id significans, quod anima dum unitur corpori, eo instanti quo filius Adæ fit homo, originali peccato inquinatur. Legatur Augustinus, & hunc esse sensum ipsius nemo dubitabit. Eodem modo intelligendi sunt alii Patres de morbis animæ loquentes, quos dicunt pœnam & effectum peccati originalis, quo donis supernaturalibus, ut postea dicemus, spoliatus fuit homo, eoque factus est secundum animam infirmus, sentiens in membris

bris legem repugnantem legi mentis.

2. Privationem justitiæ originalis quamvis secum importet originale peccatum, illud formaliter non constitui per talem privationem inde ostenditur, quod carentia justitiæ originalis non fuit in Adamo ipsius peccatum, bene vero talis ejus peccati effectus ac pœna, non potest ergo esse in ipsius posteris privatio hujusce justitiæ peccatum originale. Peccatum protoparentis quod in genus humanum transiit, est ipsius inobedientia, qua præceptum Dei de non edendo de ligno vetito transgressus est, qua transgressione justitia originali nudatus est in pœnam prævaricationis suæ. Et ipsum non latuit hæc nuditas, seque ab hac originali justitia decidisse eodem instanti agnovit. Non minus enim de nuditate animæ, quam de nuditate corporum quam non ignorabant, sed de qua verecundarentur non habebant, ut quodam loco dicit Augustinus, intelligenda sunt hæc verba Geneseos cap. 3. *Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos.* Igitur privatio justitiæ originalis in Adæ posteris pariter est effectus & pœna inobedientiæ illius, illamque sequitur talis justitiæ primitivæ carentia. Unde per illam impossibile est constituatur culpa originalis, cum non sint quid unum causa & effectus. Et revera quis non videt, transgressionem divini mandati, in qua consistit peccatum Adæ, cujus formale fuit privatio rectitudinis debitæ, conformitatis scilicet cum voluntate Dei imperantis, ut ab esu ligni vetiti abstineret, esse aliquid prius & distinctum a nudatione seu privatione justitiæ ob talem transgressionem? Peccatum actuale, certissimum est, importat privationem gratiæ sanctificantis: ex eo enim quod homo mortaliter peccat, ex eo caret in eodem instanti tali gratia, quia impossibile est quod aliquis eodem tempore sit in peccato & in gratia. Ergo ne privatio gratiæ erit ipsum peccatum? Nullo modo. Erit effectus peccatum necessario sequens, & ipsum peccatum erit hominis actus devians a lege, a qua deviatione caret rectitudine quæ huic actui deberet inesse. Igitur peccatum originale quod necessario sequitur privatio justitiæ originalis, non erit hæc ipsa illius justitiæ carentia.

Nec videtur aliquid in contrarium recte deduci ex doctrina Scoti, cujus mens alia non est a mox a nobis expositis. Dicit enim ex Anselmo in 2. dist. 32. quod aliud nequit intelligere per peccatum originale in infantibus, quam nuditatem justitiæ debitæ factam per inobedientiam Adæ, per quam omnes sunt filii iræ. Subditque ex consequenti, quod peccatum originale, quod est carentia justitiæ originalis, non est nisi carentia justitiæ debitæ. Perpendantur ipsius verba, & videbitur Scotum, si dicatur illum definitionem tradere peccati originalis, illud definire per effectum, non vero per causam. Quod ita verum est ut dicat, se intelligere per originale peccatum, justitiæ debitæ nuditatem factam per inobedientiam Adæ. Inobedientia est juxta Doctorem peccatum ex quo facta est nuditas justitiæ. Quare ergo quod fuit in Adamo pœna vel effectus peccati, esset in posteris ipsum peccatum? Illud noluit Doctor Subtilis. Peccatum originale in posteris Adæ constituitur per hoc quod in ipso fuit peccatum actuale. Inobedientia fuit actuale peccatum Adæ. Talis ergo inobedientia erit peccatum posterorum ejus. Etenim illud est posterorum ejus peccatum, per quod ejus posteri omnes sunt filii iræ. Unde sequitur quod, cum illi juxta Do-

ctorem tales efficiantur per inobedientiam Adæ, non autem per nuditatem justitiæ, quæ est ejus inobedientiæ effectus, quod non nisi ex male intellecto Scoto diceretur, illa nuditas justitiæ ex illo, non est, nisi pro ut effectus, peccatum originale. Insuper esto quod dicit Doctor, peccatum formaliter esse injustitiam, ideoque tale peccatum esse talem injustitiam quid inde? Nihil. Non ibi quæritur utrum peccatum originale secundum formale dicat privationem justitiæ debitæ, illud est absque dubio, & est commune cuilibet peccato consistenti formaliter in carentia rectitudinis debitæ, ut alias diximus. Hic consideratur peccatum originale ut ex materiali & formali constans simul, unde fit præcise tale peccatum, & quæritur, per quod illud peccatum, in quo includitur materiale cum formali, constituatur formaliter in suo esse, ratione cujus non simpliciter sit peccatum, sed insuper tale peccatum, nempe originale: quæ sic proposita quæstio, ut in præsenti movetur, per verba relata Doctoris, vel per sequentia minime solvitur. Et miror quod Scotistæ qui volunt videri, & sæpe Scoto vale dicunt, in rebus minoris momenti aut per se levioris difficultatis Doctorem ambigue, & lucide parum loqui contendant, ubi faciliora sunt ipsius verba, & in quæstionibus in quibus a majori Theologorum numero obscurus habetur, ac cujusnam sit propriæ sententiæ, ut in præsenti, difficilis æstimari, illum facilem & minime intricatum habeant. Quare igitur sententia quæ tenet originale peccatum esse ipsum Adæ peccatum, posteros ejus denominans peccatores, dicitur a multis melioris notæ Scotistis, genuina Doctoris Subtilis opinio, licet isti forsasse non majori fundamento illud teneant, quam alii qui præcedentem sententiam illi attribuunt? Indicent ergo nobis, qui privationem justitiæ originalis tanta cum fiducia affirmant absolute dici a Scoto peccatum originale, quomodo intelligenda sint hæc sequentia ipsius verba: „ Secundo „ modo originale peccatum est in„ justitia & carentia justitiæ, un„ de magis comparatur peccato „ quasi quiescenti in anima post „ actum transeuntem, quam pecca„ to actuali, quod dicitur a vo„ luntate peccante. ” Nec ipsi quæstionem præsentem attingunt. Sic enim opinionem suam, quam affirmant esse Scoti, quod instantanee ipsis concedere nihil vetat, probare tentant. Peccatum, inquiunt, quodlibet statuendum est in privatione alicujus rectitudinis debitæ, & quidem debitæ actui si sit peccatum actuale, vel debitæ naturæ, si sit peccatum naturæ. Sed peccatum originale est peccatum naturæ, nam certum est non esse personæ, & consequenter nec proprii actus. Ergo originale statuendum est in privatione rectitudinis debitæ naturæ. Atqui hæc rectitudo debita naturæ est justitia originalis, qua originaliter revera homo nunc privatur. Ergo in privatione justitiæ originalis peccatum originale est ponendum. Novum dialecticæ genus, multa loqui, nihil interea dicere. Quid sibi vult peccatum naturæ? Quandonam in natura ut in subjecto fuit peccatum? Numquid omne peccatum non est in persona, vel potius in voluntate? Peccatum quodlibet in homine est ex voluntate propria, ut fuit in Adamo, vel ex voluntate aliena, ut in nobis est primum illius peccatum. Præterea admittatur vel non admittatur præcedens illorum argumentatio, nihil interest, cum non sit ad propositum. Non enim, ut jam observavimus, quæritur an de formali

pec-

peccatum originale sicut & actuale, dicat privationem alicujus rectitudinis debitæ, quis hoc ignorat? Verus quæstionis status est, ut non lateat illos quibus extra placet vagari, per quid formaliter constituatur ille actus peccaminosus, per quem ex propria voluntate a justitia originali decidit Adamus, & per quem, licet in illo actu transierit, ex aliena voluntate ab illa justitia deciderint posteri Adami, qui omnes in eo peccaverunt. Causam ergo quærimus carentiæ talis justitiæ, & quid sit illud originale peccatum ex quo hujusmodi carentia, de ipsa carentia, de qua non ambigitur, seu de effectu & pœna illius peccati, quæstio minime procedit. Quo posito, quæstionem qui modo jam exposito ex eorum argumentis, movent, aut sententiam suam consequenter probare sibi blandiuntur, aerem verberant. Nec ipsi Scotum intellexerunt, quod ipsi commune est cum pluribus Doctoris Subtilis interpretibus, vel potius corruptoribus, qui Scotum, juxta sui intellectus mensuram, loquentem inducentes, verbaque ipsius in sensum a proprio alienum detorquentes, Doctorem, quem enucleare susceperant, magis ac magis implicarunt, reddentes, ut dicitur, obscurum per obscurius. Ex quo factum est, ut vitio interpretum nonnullæ opiniones, multis insulsæ, Doctori Subtili tribuantur, quæ ab ipsius mente tam alienæ sunt quam quod maxime, quod quarumdam enumeratione facile fieret manifestum, si nobis talis esset provincia commendata. Hæc per transennam Doctoris gratia, omnium oppositum sentientium pace, dicta velim. Neque enim aliquem carpere, vel quocumque modo lædere aliquando intendimus. Dum igitur privationem justitiæ originalis vocat Scotus peccatum originale, lato modo loquens intelligatur, effectum sumens pro causa. Eodem modo dixerunt illud Patres Tridentini, ut jam olim dixerant Arausicani, mortem animæ. Ipseque Augustinus originis peccatum sæpe designat per privationem vitæ, per carentiam justitiæ originalis, per animæ mortem, id unum volens ostendere Pelagianis, omnes per Adam fuisse constitutos peccatores. Nec ipsi definire logice voluerunt illud peccatum, nec ejus explicare naturam, illius propagationem & existentiam, præcipuoque ipsius effectus, contra Hæreticos stabilire tantummodo intendentes, sicque sunt exponendi alii Patres.

3 Peccatum originale non est formaliter ipsum Adæ peccatum ipsius posteros denominans peccatores, vel in ipsis moraliter duntaxat & habitualiter manens. Hæc opinio exinde falsa apparet, quod veram peccati rationem in parvulis videtur tollere, & satis a Pelagii errore non distat. Tunc enim posteri Adæ denominantur peccatores eo sensu, quod sicut aliena voluntate peccaverunt, ita alieno peccato tenentur, non quod illud in se contraxerint, sed quod ab Adamo descendentes, illius peccati experiantur effectus, & pœnas luant. Ex quo sequi videtur, peccatum originale in nobis esse meram denominationem, quod propugnari nequit, docente fide, peccatum originale ab Adamo tractum cuilibet homini inesse per generationem transfusum, vereque omnes in illo homines peccasse, unde illis proprium factum sit illud peccatum.

Neque etiam ab hac sententia nobis videntur recedere Scotistæ quidam celebres dum dicunt, originale peccatum esse in nobis ipsum Adæ peccatum manens moraliter, vel habitualiter. Et dum illud probare putant ex Scoto, cujus esse contendunt veram opinionem, non ha-

habent initium, cum nec ullum verbum quod illud insinuet, habeat Doctor, cujus verba retulimus, præcedentem quorumdam Scotistarum, & aliorum opinionem confutanter. Quomodo illud ex Scoto probasse censeri volunt per hæc verba Cavelli quæ afferunt, dicentis ex Doctore: *Originale peccatum esse privationem justitiæ originalis, non est tamen privatio illius doni habitualis, sed rectitudinis debitæ inesse per modum termini ex actu secundo, in voluntate causato, & generatione transfusa. Unde non formaliter, sed causaliter privat habitibus.* Lynceos habere oculos satis non existimarem, ad videndum in illis Scholiastæ Scoti verbis, vestigium quodcumque, vel etiam minimum, unde dignoscatur per ea posse significari, quod voluerit Doctor, peccatum originale posterorum Adæ esse ipsummet illius peccatum manens in ipsis moraliter. Quoquomodo vertantur laudata verba, quæcumque illorum fiat translatio, illud in iis non reperitur. Id intellexerit Cavellus, esto: sed ejus verba id non præseferunt. At qui illum sequuntur verba ipsius laudanter, recte intelligant, nec ne, litem dirimant quibus compertum erit. Interea videtur, quod dicendo originale peccatum esse in nobis ipsum peccatum Adæ manens moraliter aut habitualiter, significetur illud aliter non esse quam denominative aut per imputationem, quod non videtur satis esse, ut unicuique proprium juxta doctrinam Concilii Tridentini dici possit. Et aliunde rationes quibus utitur opinio illa, nihil aliud probant nisi existentiam & propagationem hujus peccati, vel illud initium habere a peccato primi hominis, naturam vero illius ac rationem formalem non assignant, licet de ista præcise moveatur quæstio.

ASSERTIO TERTIA.

Verisimilius est peccatum originale formaliter constitui per reatum concupiscentiæ ex actuali peccato Adæ, ad posteros per generationem transfusum, quique omnibus inest, & singulorum animas afficiat, donec reatus ille, remanente tamen concupiscentia, in baptismo deleatur.

Quod per talem concupiscentiæ reatum vere constituatur peccati originalis natura, absolute asserere mens nostra non est. Neque illud formale ratio peccati præcise, vel exacte statuere possibile existimamus. Quod enim in præsenti materia compertum non habuit Magnus Augustinus, quem in iis quæ ad Pelagii errores spectant, Magistrum habere & Ducem sequi omni ævo gloriatur Christi Ecclesia, nonnisi temere resolvere consideremur. Illud attingere non judicaverunt Sancti Doctores, unde peccatum originale per varios illius effectus describere, magis quam illud definire ipsos in mente habuisse non leviter crederemus, ex quo oritur, quod in eorum verbis reperitur intricatum. Ideo dicimus, verisimilius constitui formaliter peccatum originis per illum reatum concupiscentiæ ex actuali peccato in nos transfusum.

Certum est, & de fide, Adamum peccasse, omnesque homines in illo peccasse: neque enim solus peccavit Adam, eo sensu quod pro nobis ille peccatum fecerit, ita ut nonnisi per imputationem ejus peccatum factum sit nostrum, sed etiam omnes nos vere peccavimus, dicente formaliter Apostolo, *in quo omnes peccaverunt*. Hoc ergo peccatum unicuique nostrum fuit personale, quod & ipsi Adæ fuit magis adhuc personale si fas

si fas sit ita loqui. In ipso velut in capite tota natura humana realiter continebatur, vices nostras ille gerebat, cum omnes homines in Adamo, ut ex Ambrosio & Augustino alias diximus, unus homo essent. In ipsius voluntate, in ipsius persona, velut in radice erant omnium voluntates, omniumque personæ, unde voluntate propria, licet non formali sed virtuali tantum, cum illo peccavimus, & ex illo peccato reatum concupiscentiæ ad nos derivatum, & in nobis habitualiter manentem, donec per baptismum deleatur, contraximus, qui reatus, quo vere, Deo sic volente, tenemur obnoxii, videtur esse in posteris Adæ illud de quo loquimur, peccatum originale. Habitualiter in ipsis manet nondum baptizatis, in quibus est per modum habitus, talis autem esse nequit, quin actu aliquo modo præcesserit, cum actus prior sit habitu, ipsque illum necessario supponat (demantur tamen habitus supernaturales infusi, de quibus est diversimode sentiendum). Ex quo fit peccatum originale esse in omnibus hominibus unum & individuale, ut ita dicam, aliquid cum Adæ peccato, quod omnes ex eo participant, quia omnes cum illo vere peccatum illud fecerunt, unde ipsis vere inest, eorumque afficit animas. Hic peccatum originale explicandi modus, quo ex tali concupiscentiæ reatu formaliter constituitur, & juxta quem concupiscentia habetur pro materiali, reatus vero pro formali, unde intelligitur illius culpæ originalis in omnes Adæ posteros transfusio, nec non debitum pœnæ æternæ ipsi respondens, videtur recte sequi ex verbis Concilii Tridentini, maculam peccati originalis in reatu constituentis, vel certe ad ejus rationem pertinere significantis, dum sess. 5. canon. 5. sic loquitur: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod verum & proprium peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

Et hæc etiam videtur esse mens Augustini volentis, hunc reatum esse originale peccatum, illudque eo nomine appellantis. Sic lib. 1. de nupt. & concup. cap. 25 & 26. *Si autem quæritur*, inquit, *quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum.... ad hæc respondetur dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra.... In eis ergo qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur in æternum manebit, sic illius concupiscentiæ quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratia, fecerit adulterium, etiam si nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur.* Quibus verbis reatum & concupiscentiam optime distinguens S. Doctor, in baptismate dicit remitti reatum, per quem designatur peccatum originale, quo tenemur obnoxii donec regeneremur, & quo totaliter in baptismo liberamur, quamvis occultissimo, sed justissimo Dei judicio remaneat in no-

bis

his concupiscentia, quæ tamen in peccatum non imputatur. Jam hæc scripserat cap. 19. *Ex hac igitur concupiscentia carnis quod nascitur, utique mundo, non Deo nascitur. Deo autem nascitur, cum ex aqua & Spiritu Sancto renascitur. Hujus concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit.* Quis per talem reatum culpam originalem intelligi non videt? Quid enim trahitur generatione, quod homini dimittatur regeneratione nisi peccatum originis? Et adhuc cap. 32. ait, *Hæc itaque remissio peccatorum, quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illo sit, qui eum teneat æternæ supplicii debitorem. Hoc enim trajicit parens in prolem carnalem, quod & ipse carnaliter natus, non quod spiritaliter est renatus; quia id ipsum quod carnaliter natus est, quamvis reatu soluto non impediat fructum ejus, tamen tamquam in semine olivæ latet. ... Hoc autem quod in parente regenerato tamquam in oleæ semine sine ullo reatu, quo remissum est, tegitur, profecto in prole nondum regenerata velut in oleastro cum reatu habetur, donec illic etiam eadem gratia remittatur. Ex qua enim Adam ex olea tollitur, in qua nec semen erat ejusmodi, unde amaritudo nasceretur oleastri, in oleastrum peccando conversus est, quod tam magnum peccatum fuit, ubi magna in deterius fieret mutatio naturæ, totum genus humanum fecit oleastrum, ita ut quemadmodum nunc in ipsis videmus arboribus, si quid inde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primæ nativitatis, quod erat originale peccatum, de carnali concupiscentia traductum, & tractum remittatur, tegatur, non imputetur.* Inde tamen oleaster nascatur, nisi & ipse in oleam eadem gratia renascatur. Quis esse potest ex Augustino reatus ille per quem non regeneratus tenetur æterni supplicii debitor, nisi peccatum originale? Numquid illud non est quo solvitur qui renascitur, quod in illo tegitur quia remissum est, & quod habetur in non regenerato, quem oleastro comparat Augustinus, donec baptismi gratia remittatur? Quisnam est primarius hujus Sacramenti effectus, nisi culpæ originalis deletio? Unde videtur Hipponensis, in reatu concupiscentiæ peccatum originale formaliter constituere, ut testantur multa alia loca quæ ex ipso afferri possent.

Nec aliquem moveat quod lib. 6 contra Julian. cap. 19. reatus nomine videatur intelligere obligationem ad pœnam, quem reatum manere dicit in occultis Dei legibus, ut nulla sit iniquitas impunita. Nihil eo loci est difficultatis. Quis enim negaret reatum, sive de peccato originali agatur, sive de peccato actuali, esse obligationem ad pœnam, donec remittatur, & mediatoris sanguine expietur? Tollatur reatus, nonne & tolletur pœna? Neque enim esset cur puniretur homo, nisi esset aliquid unde reus esset. Verum ad pleniorem hujus loci elucidationem, ex quo male intellecto, Augustinum inania dixisse putaverunt nonnulli etiam doctissimi, sed in hac parte hujusce doctoris interpretes minus periti, rem ab ovo resumamus. Concupiscentiam, licet peccati reatus solvatur per baptismum, remanere actu, probare intendit Augustinus, ut indicant hæc ejus verba. *Sed utrum in eis etiam hoc sit quod a me positum est, restat attendere, idest, utrum sicut verum est reatu manere peccata quæ præterierunt actu, ita sit verum quod concupiscentia maneat actu, & præ-*

tereat

tergat reatu. Quod ut assequatur hoc utitur argumento. Quemadmodum reatu manent peccata quæ præterierunt actu, sic econtrario fieri potest ut actu maneat concupiscentia quæ præterierit reatu. Primum Julianus admittebat, secundum negabat, exemplum adducens idololatriæ, in quo, idolis sacrificandi actu præterito, remanebat reatus, soluto vero reatu non remanebat actus. Illum refellens Augustinus, respondet idololatriæ exemplum non esse simile exemplo concupiscentiæ, quæ est effectus peccati Adæ, & causa peccati nostri, dicitque ex peccato primi parentis actuali manere concupiscentiam cum reatu, & soluto reatu, manere eamdem concupiscentiam actu, cui exemplo simile esse non potest exemplum idololatriæ, in quo præterito actu, licet maneat reatus, non tamen præterito reatu manet actus. De natura peccati originalis non agebatur eo in loco, sed de veritate hujus reciprocationis occasione peccati originalis, ut est indubitatum legenti apud Augustinum verba præcedentia illa quæ retulimus, quæque hic referre longius esset. Deinde urget Julianum Augustinus, ex iis quæ concesserat, manere scilicet reatum peccati actualis in peccatore, quem negabat remanere in parvulis ex peccato Adæ, ut illum faterí cogat posse in parvulis manere reatum, sicut ipse concedebat manere in adultis, manebat enim, utcumque maneret, cum parvulum constitueret reum damnationis æternæ, nisi per baptismum illo solveretur, & illo reatu intrinsece faceret hominem obnoxium chirographo decreti divini, quod ipsum est esse peccatum. Unde sententia Augustini de peccato originali, quod sit concupiscentiæ reatus confirmata manet.

Hinc mirum videre debet quod indocte adeo, Vasquez vir sane acutus, & eruditus, circa hunc Augustini locum erraverit, ut dixerit hunc Sanctum Doctorem in explicando illo reatu, quem volebat esse formalem rationem peccati originalis, defecisse, neque Juliani objectioni quid responderet invenisse & ex male intellecta Hipponensis sententia voluerit, qui eam sequuntur necessario incidere in errorem Pelagii culpam originalem negantis, ex eo quod, inquit, si reatus, de quo Augustinus, sit obligatio ad pœnam, & hæc non sit peccatum, sed effectus illius, sequatur nullo modo esse peccatum. Vere ipse ex omni parte defecit, qui Augustini verba eo loci non capiens, ideoque eorum parum fidus interpres, sententiam temere fucillavit veritate referram. Falsum est quod dicit, Augustinum reatum censuisse chirographum, cum dicat per undam baptismi dilui reatum tamquam in chirographo scriptum. Falsum pariter quod infert, peccatum originale non esse, si reatus sit obligatio ad pœnam, quin potius ex hac obligatione ad pœnam, directe, & necessario inferatur peccatum originale. Unde enim illa ad pœnam obligatio ex Augustino, nisi ex reatu? cum ergo pœna sit propter peccatum, & ubi non est peccatum, nec pœna, vel obligatio ad pœnam esse potest, reatus ipse peccatum sit ex Augustino necesse est. Advertendum insuper ipsi etiam, concupiscentiam, de cujus reatu agebatur, esse simul peccatum, & pœnam peccati, atque etiam causam peccati. Pœnam peccati comparate ad Adæ transgressionem, peccatum, quandiu remanet ejus reatus parvulos Deo infensos constituens, peccati causam, dum ab illa abstractus homo ad illicita se fert. Id si intellexisset,

melius consultus Vasquez, Augustinum leviter adeo non reprehendisset, cujus sententiam fortasse fuisset amplexus. Sed illud, homini in rebus Theologicis versatissimo, & inter doctiores merito annumerando, vitio non vertamus, etiam aliquando bonus dormitat Homerus. Quam longe sint ab errore Pelagii, qui Augustinum sequentes reatum illum concupiscentiæ dicunt originale peccatum, videant omnes qui intelligunt, reatum illum vere esse peccati maculam, qua fit parvulus Deo odibilis, & ab illo aversus, existentem ex Adæ actuali peccato, ad nos transfusam per generationem naturæ, nobis inhærentem, & cum ipsa concupiscentia conjunctam, ab ipsa per baptisma separandam, & in nobis per ipsum vere diluendam. Culpam ergo mortiferam dicamus illum reatum, qui nisi per gratiam remittatur, æternæ damnationi nos tenet obnoxios. Quod si voluisset confiteri Julianus, illum vere ex hac parte catholicum prædicasset Augustinus, cujus sententiam non nisi calumniose ac inepte in Pelagianismum reincidere demonstrarunt, qui Augustinum hac in parte vindicarunt.

Peccatum originale per concupiscentiæ reatum formaliter constitui, qui reatus ex actuali peccato Adæ transfundatur ad posteros ejus per generationem, quique omnibus insit, eorumque afficiat animas, cum magis ad mentem Concilii Tridentini accedere videatur, sitque vera Augustini sententia, verisimilius esse non immerito dictum est. Et ab hac sententia non recessisse Divum Thomam, Divumque Bonaventuram, atque etiam ipsum Doctorem Subtilem non temere judicarem. Culpæ originalis formale reponentes in privatione, defectu, vel carentia justitiæ debitæ seu originalis, concupiscentiam illius materiale dicunt. Angelicus Doctor 1. 2. quæst. 82. art. 2. *Ita peccatum originale, inquit, materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiæ.* Quæ concupiscentia vocetur ab illo inordinatio virium animæ. Seraphicus Doctor in 2. dist 30 art 2 sic loquitur. *Dum quæritur quid sit originale peccatum, recte respondetur quod sit concupiscentia immoderata: recte etiam respondetur quod sit debitæ justitiæ carentia.... Concedendum est igitur, quod originale peccatum est concupiscentia, & hæc non quæcumque, sed concupiscentia prout claudit in se debitæ justitiæ carentiam.* Et tandem Doctor Subtilis in 2. dist. 32. § *Dico igitur*, hæc habet respondens eidem objectioni. *Concupiscentia prout est pronitas in appetitu rationali, id est in voluntate ad concupiscendum delectabilia immoderate .... hoc modo concupiscentia est materiale peccati originalis.* Juxta hos Doctores concupiscentia est materiale in peccato originali, defectus justitiæ est formale. Per carentiam autem justitiæ originalis, seu ex ipsius privatione, rei, & peccatores formaliter constituuntur Adæ posteri. peccatum igitur originale, pro ut simul dicit materiale, & formale, erit illa concupiscentia immoderata, qua carent homines justitia debita unde per istius concupiscentiæ reatum formaliter constituetur peccatum originale, & tali modo, quod per illum fiat tale peccatum, & per illum distinguatur a quocumque alio peccato. Et sic exponendo mentem horum Doctorum eo magis ipsis adhærere existimo, quo magis ipsi in omnibus Divo Augustino adhærere voluerunt. Quapropter dum a nonnullis huic Ecclesiæ Patri in qui-

bus-

bursdum contrariu perhibentur isti Doctores, id ex male intellectis eorum verbis judicari libentar dicerem, donec me in tali ferendo judicio hallucinatum fuisse, a perspicacioribus, qui tam æqua lance perpenderint, fuerit demonstratum. Quod dictum velim ne a Scoto hac in parte recessisse, eoqua contrarius dicar ab illis, qui hunc Doctorem sæpa faciunt suum, in iis etiam, in quibus ab illo directe recedunt, ejus dicta pro nutu exponentes, licet forte in præsenti quæstione ipsius mentem non fuerim recte assecutus.

Non dicendum tamen huncconcupiscentiæ reatum formaliter constituentem originale peccatum, esse ex morbida quadam qualitate contractum. Neque enim illud sequitur ex verbis Augustini, quidquid videatur aliquibus majoris notæ Theologis omni ex parta venerandis. Affectio illa malæ qualitatis sicut languor, est fomes concupiscentiæ, effectus, & pœna peccati, & remanat in baptizatis, in quibus solutus est reatus illius, donec sanetur omnis infirmitas nostra. Ex illoque concupiscentiæ fomite in nobis remanante post baptismum, fit perpetua illa pugna, in qua caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, indeque lex illa in membris quæ repugnat legi mantis, cui consentire nolans christianus, & æstuantis illius concupiscentiæ, cui servire non vult, fluctibus agitatus, exclamare cogitur cum Apostolo, *infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* hunc peccati originalis effectum quem ipsi justi experiuntur, illumque concupiscentiæ fomitem advarsus quem sumus perpetuo pugnaturi quandiu mortales erimus, qui tamen, dicente Augustino, *quotidie minuitur in proficientibus, & continentibus, accedente autem senectute multo maxime*, ut designet, in quantum potest designari quod est veluti metaphysicum aliquid & spirituale de quo vera, & exacta neque haberi idaa, hunc, inquam, originalis culpæ effectum, ut designet Augustinus, de illo a simili loquitur, de rebus sensibilibus ac corporalis desumens exempla, unde possit intelligi, illumque dicit affectionem malæ qualitatis sicut languor, qui languor ab ipso vitium dicitur & libido, ibique philosophice loquitur sicut contra ipsum argumentabatur Julianus, ut manifestant hæc ipsius verba lib. 6. contra Julian. cap. 7. *Ego*, inquit Hipponansis, *ipsum vitium quo animus vel illa pars ejus ipso modo vitiosa est, libidinem dica. . . . quia, & illi philosophi locutione tropica mihi videntur vitiosam partem animi appellasse libidinem, in qua parte est vitium quod vocatur libido, sicut appellatur domus pro eis qui sunt in domo.* Evidens igitur est vitium illud ex morbida qualitate non dici ab Augustino peccatum originale, bene vero illius effectus ac pœna. Quod ita verum est, ut ex illo languore, jam reatu originalis culpæ soluto per baptisma, oriri dicat *hæc intestina bella sanctorum in hac vita*, quæ licet minuantur non quiescunt. *Si melius languor est*, inquit, *non ergo adversus eum spiritus concupiscat.* Illum autem de rebus sensibilibus exempla solummodo sumere indicant ea quæ dixarat cap. 2. *Nec secundum id quod sunt, sed secundum id quod significant, de illis similitudines damus.* Illudque dicere ut ostendat Juliano in quantum potest, quomodo habitualiter remaneat in baptizatis concupiscentia, etsi non imputetur, quod intelligere nolenti Juliano, & quærenti, dato quod illa remaneat, an substantia sit vel accedens, di-

cit Augustinus lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 25. *non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor.* Ex quibus verbis, quæ non de concupiscentia, an remaneat in baptizatis illius reatu qui est originale peccatum soluto, sed quomodo in illis remaneat, dixerat Augustinus argumentari sophistice Juliano volenti, ad frustra fieri & extra rem esse respondet lib. 6. contra Julian. cap. 7. sic loquens: *Quod vero te libuit tam multum de qualitatum differentia disputare, quia ego semel nominavi qualitatem, dicens non substantialiter manere concupiscentiam, sicut corpus aliquod aut spiritum, sed esse affectionem quamdam malæ qualitatis, sicut est languor, ita ne nihil ad rem pertinere non sentis?* In doctrina igitur Augustini, ut paucis absolvam, non est peccatum originale vitium ex morbida qualitate contractum, sed morbida qualitas illa seu vitium est ex peccato originali contracta. Neque hac in parte Sancti hujus Patris mentem fuisse ad unguem assecutum non arroganter crediderim affirmare.

Per hunc concupiscentiæ reatum originali peccato formaliter constituto secundum Sancti Augustini principia, non difficile solvuntur quæ in contrarium opponi possent. Inde intelligitur quomodo vel quare homini baptizato, & consequenter deleta originali culpa, non restituatur originalis & primitiva integritas. Dignoscitur pariter quomodo in omnibus originale peccatum idem est quoad ad maculam & justitiæ carentiam, etsi vitiosa perturbatio in anima, actualisque concupiscentia in quantum est illius effectus, peccati ac pœna in diversis variæ sint ac diversæ.

Hinc etiam videtur quomodo per baptismum tollatur quidquid vere & proprie rationem habet peccati, licet ipsa non tollatur concupiscentia quæ simul peccatum, pœnam peccati, quandoque caussam peccati esse exinde intelligitur. Quo sensu peccatum originale dici possit ipsum peccatum Adæ in posteros transmissum in eis habitualiter manens, & tamen non sit formaliter ipsum Adæ peccatum, & quomodo unicuique proprium dicatur origine peccatum, pariter discernitur, nec non quare carentia justitiæ originalis minime dici queat originale peccatum licet eam importet & prius aliquo modo illa sit. Et tandem quomodo per peccatum originale constituamur natura filii iræ, & tamen illud peccatum non sit in natura nisi suo modo & improprie, in quantum scilicet contrahitur cum natura, sitque in persona velut in subjecto, cum eo instanti contrahatur quo corpori sufficienter organizato anima recenter creata infunditur, unde homo, sic terminata natura & reddita singulari, constituitur formaliter filius Adæ, ipsiusque peccati hæres & particeps. Quæ cum ita sint, ut fatebitur quisquis duce bona fide rem ad rationis trutinam libraverit, recte concludendum videtur, peccatum originale, ut fert assertio, verisimilius constitui formaliter per reatum hunc concupiscentiæ; unde hæc sententia omnibus aliis anteponenda merito judicetur.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quomodo ad omnes & singulos Adæ posteros traducatur originale peccatum?

MOdum quo fiat illa peccati originalis in omnes & singulos Adami posteros propagatio non

non intelligenter Pelagiani, propagationem ipsam admittere noluerunt. Ut in omnibus circa culpam originalem similes Sociniani, utrumque pariter sugillare non desistunt. Verum ex quo aliquid esse desit, quia modus quo fit capi non potest? quot phænomena in rerum natura, ut de sacræ nostræ Religionis mysteriis taceam, quorum naturam, vel modum quo in dies eveniunt, explicare impares semper fuere Philosophi, qui tamen de illis quod sint aut fiant, nulquam dubitarunt. Existentiam simul ac propagationem peccati originalis de cujus veritate constabat, plenis fiducibat destruere adversus Pelagianos non destitit Augustinus, de modo traductionis, qui in occulto erat, minime sollicitus, rem ipsam tenens, modum vero non inquirens. Utque argutiis Pelagianorum non daret locum, difficultatem circa modum propagationis quam non revelaverat fides, declinabat, sed peccati propagationem, quam docuerat fides, defendebat. Necessariam habebat connexionem quæstio de traductione originalis culpæ, cum quæstione de animæ humanæ origine, quæ si absque dubio visa esset Augustino, modum traductionis facilius invenisset. Verum sanctum hunc Doctorem de origine animæ, dubium semper vixisse, quicumque in ipsius operum lectione fuerit versatus non diffitebitur, quod cum non paucis aliis Ecclesiæ Patribus commune illi fuit. Unde sic loquebatur Sanctus Papa Gregorius Epist. 53. ad Secundinum lib. 7 Epist. *De origine animæ inter sanctos patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem, gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi quia si de Adam substantia, anima cum carne moritur. Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc sit incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta.* Quæ Sancti Pontificis verba sufficiunt ad retundendam, levitatem dicam an temeritatem, quorumdam Theologorum, qui ex tali dubio Augustinum prædicant criminandum, quod non nisi indocte, si multos Patres dubio in tali fuisse versatos illos lateat, valent pronunciare.

Animæ spiritualitatem ac immortalitatem asserebant Sancti illi Doctores, dubium ipsorum de origine animæ hic nihil detrahere arbitrantes. Jam pluribus ab hinc sæculis evanuit inter doctos tale dubium, animas quorumcumque hominum eo instanti quo in corpora infunduntur, recenter a Deo creari, omnibus consentientibus. Non inde tamen concludendum cum Bellarmino, levem & facilem ideo evasisse quæstionem de traductione peccati originalis, quam difficillimam existimavit Augustinus. Eadem circa eam difficultate semper homines laborabunt, cum hæc in naturæ secretis, vel melius in Dei arcanis occlusa maneat. Quapropter si non quid certum, sed quid sit in præsenti causa verisimilius qui invenerit, habebit intentum. Nec rem ut est in se invenisse sibi blandiatur doctissimus ille Purpuratus, cujus modum explicandi propagationem culpæ originalis undecumque anima exsistat, quod non multum ad causam dicit interesse, probare non possumus, nec illi consentire dum se credit, vel potius credere fingit, argumentum Pelagianorum facile solvisse, quod semper Augustino dif-

difficillimam, ac pene insolubile visum fuit, unde modum traductionis, ut jam observatum est, attingere nolebat. Quot ex capitibus deficiat hæc Bellarmini opinio, & quam sit insufficiens modus ejus explicandi originalis propagationem peccati, nec non duplex aliorum Theologorum sententia, hic ostendere mens nostra non est, ne nos carpendi loquentibus iniqua ansam præbeamus: & alias de ne longius progrediatur præsens de peccato originali dissertatio, maxima inter quæstiones Theologicas ob dicendorum abundantiam. Quod in quæstione quæ nunc movetur judicamus verisimilius, statuemus, de Bellarmini hac in re placitis remittentes ad doctissimum nostrum Magistrum Patrem Franciscum Macedo, qui collat. 8. differ. 3 sect. 1 & 2. nihil de variis opinionibus circa traductionem peccati originalis desiderandum reliquit, de origine animæ & culpæ originalis traductione sequentibus sectionibus erere differens, suamque sententiam optime firmans.

Utrum animæ essent ex traduce, vel ex nihilo a Deo creatæ corporibus infunderentur, dubitantibus olim non paucis, locos in Sacra Scriptura de ea re expressos non videntibus, nunc autem prima repulsa opinione cum secunda quæ affirmat animas creari singulas de novo a Deo, & in corpora infundi, sit ab omnibus ut fidei consona accepta, de modo quo in anima contrahitur peccatum originale, per quod vere immunda redditur ac fœdata, procedit quæstio, Theologorum ingenia mirabiliter torquens, quam, ut ut poterimus, directe solvamus oportet, si non vera ac evidentia, verisimilia saltem dicturi, nihil de origine ipsa animæ circa quam nulla est controversia inquirentes.

ASSERTIO UNICA.

Verisimilius dicendum videtur traduci in Adæ posteros peccatum originale in quantum ex carnali concupiscentia per seminalem generationem procreantur, eo instanti quo anima in corpus sufficienter organizatum infusa, individuum illud naturam humanam participans constituitur filius naturalis Adæ, secum deferens ex unione illa animæ cum corpore, reatum concupiscentiæ per quem ipsius Adæ peccati formaliter particeps efficitur.

Præsentem sententiam, quam esse Doctoris Subtilis ac Sancti Thomæ mox ostendemus, indicare videtur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 3. his verbis. *Sicut revera homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt, ita nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur.* Injustitiam ergo quæ est originale peccatum, quod omnibus fit proprium, habent quia propagantur ex Adæ semine ejus posteri, & si ex illo non nascerentur per naturalem generationem, injusti non nascerentur ex concilio, tradux igitur & vehiculum culpæ originalis dicendæ est carnalis concupiscentia, per cujus seminalem viam dum est filius Adæ qui generatus est, anima quæ pura exit e Dei manibus, polluitur ex carnis consortio, contrahens reatum illum concupiscentiæ, per quem eodem instanti quo generatus constituitur homo ex Adamo descendens, eodem instanti ipsius peccato particeps, ipsique personale redditur procoparentis delictum.

Hanc

Hanc vero sententiam quam probavere patres Tridentini sequi ex Augustini principiis non difficile ostenditur. Licet libentius crederet Sanctus Doctor animas fieri ex traduce, id est propagari ex primi hominis anima, unde enim originalis peccati transfusio facilius multo intelligebatur, quam animas singulis novas creari, ut constat ex epistola 28 & 29 ad Hieronymum, ubi sicut & aliis in locis adversus Pelagianos ignorantiam suam circa originem animarum humiliter confitetur, cum habituali concupiscentia in Adæ posteros propagari originale peccatum non obscure declarat, ex eo aliquos tale peccatum contrahere significans, ex quo illius sunt filii. Unde lib. 2. de gratia Christi, vel melius de peccato originali contra Pelagium & Cœlestium cap. 31. sic loquitur. *Quid sibi ergo vult pro nullo propriæ voluntatis admisso, tanta damnatio? . . . Unde ergo recte infans illa perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & juste intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus?* Cap. 32. de circumcisione parvuli facta ait: *Circumciditur autem in expoliationem corporis carnis, id est, ut debitum, quod contagio carnalis generationis attraxit, gratia spiritalis regenerationis absolvat.* Cap. 33. *Peccato certum est*, inquit, *vitiatam esse naturam, simul autem utrumque propagatur, & natura, & naturæ vitium.* Cap. 38. *Hominem voluntate peccantem*, inquit, *justo judicio cum stirpe damnavit*, (Deus) *& ideo ibi quidquid etiam nondum erat natum, merito est in prævaricatrice radice damnatum, in qua stirpe damnata tenet hominem generatio carnalis, unde sola liberat generatio spiritalis.* Peccatum ergo originale habent Adæ posteri quia ex illo carnaliter generantur, simul propagato peccato illo cum natura, ex Hipponensi. Traducitur itaque peccatum originale in Adæ posteros, in quantum ex carnali concupiscentia per seminalem generationem procreati, filii illius constituuntur.

Hujus peccati propagationem repetere ex illa filiatione carnali quæ per concupiscentiam seminali generatione homines efficit filios Adæ, Sancti Doctoris principiis est adeo conforme, ut inde ostendat Pelagianis peccatum originale non contraxisse Christum quia filius non esset Adæ, nec seminali generatione cum concupiscentia conceptus. Sic autem loquitur lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 24. *Ex hac concupiscentia carnis tamquam filia peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcumque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia virgo concepit. Propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.* Quod jam expressius insinuaverat cap. 12. Hæc habens de conjugio inter Mariam & Joseph loquendo: *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, ut hinc etiam doceret omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quando quidem sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Ex quibus directe sequitur assertio.

Ab Augustini doctrina minime recedens Scotus hæc scribebat in 2. dist. 32. num. 12. *Anima contrahit originale peccatum mediante carne, non ita quod caro* quasi

quasi per qualitatem quamdam tansitam, in ea causet istud peccatum originale, sed ex hoc quod caro concupiscibiliter seminatur, & ex ipsa formatur corpus organicum, cui infunditur anima constituens personam quæ est filius Adæ. Traductionis peccati originalis ratio formalis petitur juxta Doctorem, ex carnali concupiscentia, quatenus qui per eam seminali generatione procreantur, filii Adæ constituuntur, corpori organico, cui infunditur, anima unita contrahente, illo mediante, originale peccatum. Ex unione illa cum carne anima polluitur, deferens ex illo concupiscentiæ semine, ratione cujus ab Adamo descendit, reatum concupiscentiæ, ex quo homo qui generatus est, ipsius Adæ peccati formaliter particeps redditur. Non autem ex ipsa carne fit illa peccati macula, per quam homo constituitur peccator, sed hæc causatur per unionem illam animæ cum corpore, quod intendens Doctor, ait de peccato loquens. *Dicta quod non est a carne in animam agente. Tantum est a carne illa relatio in productio qua est filius naturalis Adæ.* In illa ergo naturali filiatione fundatur vera ratio propagationis culpæ originalis ex Scoto unde ipsius esse præsens de peccati originalis traductione sententia ostenditur. Quod confirmari posset ex iis quæ habet Num est. *Propagatio in statu innocentiæ fuisset amano sine libidine, nunc autem quæcumque propagatio communis libidinosa est: ex illa igitur quia maculosa est maculat prolem.*

Augustino pariter consentiens Angelicus Doctor sententiam nostram tenebat, dum t. 2. qu. 81. art. 1 sic loquebatur: *Per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, & simul cum natura naturæ infectio. Ex hoc enim fit iste qui nascitur consors culpæ primi parentis quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem.* Et quæst. 4. de malo, art. 3. *Libido actualis, quæ est in coitu, est signum concupiscentiæ habitualis, quæ materialiter se habet in originali peccato. Causa autem quod aliquis transmittat originale peccatum in prolem, est id quod remanet in eo de peccato originali, etiam post baptismum, scilicet concupiscentia vel fomes.* Ex utroque ergo Doctore Angelico & Subtili post Augustinum, qui primus de peccati traductione per viam seminalem locutus est, non immerito habitualem concupiscentiam (de hac enim intelligi volumus) quæ intimis innata est medullis & naturam vitiat, dicimus, ut quod verisimilius videtur, esse medium, per quod peccatum originale transit in omnes Adæ posteros, quatenus ab illo descendentes per carnalem generationem constituuntur ipsius filii, eo tempore quo per infusionem animæ in corpus debito modo organizatum, animata caro fit homo, anima deferente ex hoc carnis consortio reatum concupiscentiæ, per quem Adæ peccatum, quod homini recenter generato proprium fit ac personale, realiter communicat: ex quo sordibus coinquinatur est prima generatione per illud peccatum, quod, dicente Augustino, ex voluntate primi parentis seminatum est, ut in omnes transiret, nova per baptismum generatione Christi gratia indiget mundari.

Hæc vero filiatio ex Adamo per habitualem concupiscentiam ex qua seminalis generatio, ita videtur esse ratio formalis traductionis culpæ originalis, quod Beata Virgo Deipara, quæ ex speciali & unico privilegio sola inter filios Adæ illius culpæ non contraxit reatum, quoniam ex commixtione utrius-

utriusque parentis fuit concepta, peccati originalis debitum nihilominus contraxerit, cum ex Adamo tamquam ex radice infecta per seminalem rationem est orta, quæ est, inquit Suarez, tota ratio contrahendi originale peccatum. Et hoc admisso traductionis explicandæ modo intelligitur, quomodo concupiscentia habitualis quæ in baptizatis, soluto illius reatu, remanet, quamvis ipsa non sit peccatum, occasio tamen sit & causa propagationis originalis illius peccati, cum per eam seminali generatione propagatur caro peccati. Unde dicit Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 9. vel 15. de conceptione Christi, quæ nihil de peccato habuit loquens: *Hinc apparet illam concupiscentiam per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit.* Nac in solvendis argumentis quæ opponi possent immorandum arbitramur, ex eo quod bene intellecta sententia nostra, quam verisimiliorem existimamus, & ut talem proponimus, facili negotio solvantur, & aliunde, alii qui proponi valerent modi illam traductionem explicandi, ad sententiam nostram ultimate reducantur.

QUÆSITUM TERTIUM.

An universalis adeo sit peccati originalis in Adæ posteros propagatio, ut nullus ab eo descendens fuerit ab illa contagione immunis.

De Beata Virgine Maria, utrum originale peccatum quantum etiam ad reatum contraxerit, maxima licet præteritis sæculis fuerit controversia, quæstionem hanc, quæ ad fidem non pertinet, ex professo tractare meus nostra non est, eo magis quod fere omnes catholici nunc pie credant, hanc Dei genitricem totaliter fuisse a culpa originali, etiam in primo instanti liberam, & si quidam adhuc salva fide dubitent, immaculatam ejus conceptionem scriptis aut verbis impugnare vetitum prorsus est. In hac autem materia totaliter silere de ea nihil loquendo, cum nobis dedecori merito verteretur, hanc in Sancta genitrice Dei Mariæ omnimodam a culpa originali immunitatem supponentes & pro certo habentes potius quam de ea differentes, an debito culpæ originalis caruerit, sicut illam ipsa culpa aut reatu caruisse pie credimus, investigabimus. Oportet ergo distinguantur reatus seu peccatum & debitum illius. Illud est macula animæ inhærens per quam homo efficitur Deo inimicus & diabolo subditur. Istud est obligatio contrahendi illam maculam ex descendentia ab Adamo per generationem naturalem, ex qua sequuntur miseriæ ac pœnæ ab originali culpa provenientes, quæ si reperiri possunt absque illa, debitum ad illam tamen comitantur.

ASSERTIO UNICA.

Licet universalissima sit peccati originalis in omnes Adæ posteros propagatio, ab illo fuit singulari privilegio immunis Beata Virgo Maria, cujus fine macula extitit conceptio, quamvis peccati hujus debitum contraxerit.

Ut hujus primæ partis assertionis nostræ fundamentum agnoscatur verba Augustini audiamus id insinuantia lib. de natura & gratia cap. 36. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem, unde enim*

scimus quod et plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Ad cujus Sancti Doctoris verba attendisse videtur Concilium Tridentinum dum sess. 5. de peccato originali hæc dixit: *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Per has autem prædicti Pontificis Summi constitutiones approbantes Festum & Officium Immaculatæ Conceptionis, & prohibentes ne censura notetur qui illam fuisse a peccato originali præservatam pie tenent, excommunicationis fertur sententia in Festum illud, & piam illam opinionem improbantes, sicut & in eos, qui hæresis damnarent contrariam tenentes opinionem. Quibus constitutionibus alias in temporum decursu addentes summi alii Pontifices, prohibuerunt, ne in publicis concionibus aut disputationibus contra immunitatem ab originali peccato in hac Sancta Dei Genitrice verba amplius fierent. Præterquam quod illud privilegium singulare ipsi decretis suis adscribendum judicaverant Patres Concilii Basileensis, cujus definitio, licet concilii œcumenici auctoritate non gaudeat, quæ tamen sit Ecclesiæ mens hac in re sufficienter ostendit.

Innumera tum Scripturæ, tum Patrum loca huic religiosæ opinioni faventia, nec non varias convenientiæ rationes, quibus post Doctorem Subtilem, qui fuit illius in Academia Parisiensi fortissimus propugnator, ad illam firmandam utuntur Theologi, videre qui desideraverit, innumeras, quæ sæculis mox elapsis in lucem prodiere de hac materia, dissertationes percurrat, & quantum habeant soliditatis & roboris argumenta tot innixa momentis pro genio suo advertet. Iis nos supersedemus, sicut & omnibus quæ in contrarium adducta sunt, ne litem multis ab hinc annis terminatam suscitare videamur. Hoc unum moneamus, ne quis nimio ductus zelo dicat tenendum esse tamquam de fide illud, quod ut opinionem piam ac religiosam dumtaxat proponit Christi Ecclesia. Unde nonnisi inconsiderate, & primis inconsultis Ecclesiæ Pastoribus, nonnulli pietatis spiritu ferventiores pro illo Mariæ singulari privilegio tuendo sanguinem effundere voto se aliquando obstrinxerunt. Illorum zelum, vel potius fervorem animi nunquam laudandum, cum non sit nec secundum scientiam, nec secundum veram fidem, non approbavit Ecclesia.

Nec Immaculatæ Virginis honori derogatur, si a culpa originali quantum ad reatum immunis ex singulari privilegio cum dicatur, illius tamen debitum ab ea non auferatur. Divinam ipsius maternitatem peccatum originale contraxisse dedecebat, illius vero debito teneri nihil indecens. Ex ipso peccato sit in anima macula Deo odibilis necesse est, illius tamen subjacere debito, quod a peccati reatu potest vere separari, & de facto in hac excellentissima creatura supponitur separatum, non est quod Deo displiceat. Per unum constituitur peccator, illud a Maria removemus; per alterum constituitur filius Adam, illud in ipsa non videre non possumus. Et de obligatione ad culpam originalem ab ea contrahendam ex Adæ inobedientia, in qua reponitur debitum il-

aliud, si illam ex speciali beneficio ob futuram ejus Divinam Maternitatem non præservasset Deus, intelligi volumus verba Divi Thomæ 3 parte, quæst 27. art. 2. ad 4 Cum jam statuisset carnis concupiscentiam, esse quasi vehiculum per quod seminatur culpa originalis, cum per eam præcise participetur humana natura, concludit, *& ideo si parentes Beatæ Virginis fuerunt mundati a peccato originali, nihilominus Beata Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris & feminæ*. Quæ verba Angelici Doctoris de debito non de reatu pariter exponunt celebres Theologi non pauci. Et revera illa obligatio ad culpam originalem fundatur in ipsa filiatione seu descendentia ex Adam. Unde communiter docetur, quod si quis homo produceretur alio modo quam per seminalem generationem per quam prodimus, ille homo non participaret Adæ peccato, ille culpa originali non teneretur, quia, hac supposita productione absque carnali concupiscentia, non esset filius Adæ. Cum ergo naturam humanam participaverit Maria Virgo ex suis parentibus, sicut alii Adæ posteri, per carnis concupiscentiam, ratione cujus generationis per viam seminalem vere fuit filia Adæ, sequitur exinde illam ob hanc filiationem, quam nullus ab ea admit, debitum peccati contraxisse. Quod ita verum est, ut omnes qui culpa illa originali caruisse Mariam merito tenent, in eo consentiant ut velint, quod ad hoc ut prædestinata ab æterno Christi Mater non incurreret peccatum originale, ad quod obligata erat in quantum Adæ filia, necesse fuit, ut luxuriantis, & undequaque grassantis concupiscentiæ fluctus epidemicos actu positivo suæ voluntatis Deus compesceret, ne ad eam malum accederet, neve antiquæ hujus pestis viru contaminaretur, mortifera illa lue, etsi prædestinata Christi mater, non stante illo Dei decreto, quo a lege communi liberata fuit, alioquin contaminanda. Illud autem, quod nullus potest negare, quomodo verum erit, si tam a debito peccati originalis quam a reatu & macula illius asseratur immunis? Christus ipse, qui illud peccatum non contraxit, nec ullo modo poterat contrahere, persona Divina naturæ humanæ quam terminabat omnimodam communicante impeccabilitatem, si ex commixtione maris & feminæ, ex impossibili in præsenti hypothesi, procreatus fuisset, debitum ipsius peccati contraxisset, ex eo quod in tali supposito filius Adæ vere extitisset. Et ideo præcise, quia hanc filiationem ex Adamo sequitur necessario obligatio ad illius prævaricationem, Christus, qui venerat genus humanum redempturus, talem obligationem contrahere nullo modo potuit aut debuit, alioquin redimi ipse indiguisset, quod etiam cogitare de illo impium est, illam ne non contraheret filius Adæ noluit nasci. Hinc merito adversus Julianum, ut superius retulimus, dicebat Hipponensis, Christum, quando nasci est in carne dignatus, solum sine peccato esse natum, quia sine carnis concupiscentia conceptum. Nec eo recurratur ut dicatur Dei filium hominem futurum dedecere quod per ordinariam generationem procrearetur. Nihil enim Deum dedecet nisi peccatum, vel quod ordinem dicit ad peccatum, aut quod aliquam importat imperfectionem. Tollatur a natura humana originale peccatum, vel obligatio ad illud, nihil in conceptione hominis per seminalem generationem, ex quo hæc Divinitatem dedecat, amplius remanebit. Quod

infirmitates nostras suscepérit verbum caro factum, quando semetipsum exinanivit formam servi accipiens, factus in similitudinem carnis peccati, illud Deo indignum quis prædicaret? Eadem est pro utroque ratio. Sed ad propositum redeamus.

Beatam Virginem Mariam originalem maculam aliquo modo incurrisse, illud dicere religio vetat. Ab illa præservari conveniens erat Dei Genitricem aliquando futuram, quæ sub diaboli potestate ne unico instanti esse poterat. Illam tamen ab illius debito liberare ratio non sinit, quam Adæ filiam, & secundum carnis concupiscentiam conceptam negare non possumus. Christum peccati originalis prorsus expertem quem credimus, ipsum concupiscentiæ fomite omnino caruisse tenemus. Beatam Virginem ipsius matrem ab hujus peccati macula præservatam volumus, nec non a concupiscentiæ fomite in actu secundo plene liberam: ipsam nihilominus a debito ejus aut concupiscentiæ fomite in actu primo, quæ est a seminali generatione, & se habet ut materiale in peccato originali, ex quo sequitur obligatio ad illud in omnibus Adæ posteris, non obstante privilegio a macula & formali illius præservante, absolvendam cum multis eximiæ notæ Theologis diffitemur. Sicque conciliantur verba Sanctorum Patrum quæ inter se pugnantia videntur, ita ut qui inter eos illam in originali peccato conceptam formaliter volunt, de debito vel obligatione ad illud, si ab ipso peccato ex speciali Dei beneficio non fuisset præservata, sint intelligendi, qui vero eam ab originali liberam absolute prædicant, de macula illius ac reatu loquantur, ad debitum non attendentes, quod Divinam ejus maternitatem non lædit. Sed hæc sufficiant in præsenti materia pro qua olim acriter adeo certatum est, & circa quam præscriptum ab ecclesia silentium religiose servare expedit. Pauca quæ de hac omnimoda a peccato originali immunitate in gloriosa Virgine Dei Genitrice Maria proposuimus, pro nostra in illam summa veneratione cramus dicturi, qui hanc Beatam Virginem, ut singulari illo privilegio ditatam, in patronam totius ordinis nostri habere gloriamur.

Quæritur utrum peccatum originale dicendum sit naturæ peccatum, & quomodo intelligi debeat illud Apostoli Ephel. c. 2., *Eramus natura filii iræ.*

Resp. Etsi quandoque ab Augustino aliisque Sanctis Patribus & Doctoribus originale peccatum naturæ adscribatur humanæ, ut dum dicitur vitiatam esse naturam, simul utrumque propagari, & naturam & naturæ vitium, vel quando vocatur peccatum naturæ, ut sæpe loquuntur scholastici post Divum Thomam, cum illud tropice dicatur, ut cum domus quandoque sumitur pro habitantibus in ea, & vicissim, nihilominus personæ adscribitur peccatum. Quapropter dum universaliter asseritur in Adamo periisse humanam naturam, illud proprie de quibuslibet individuis ipsius intelligitur, qui omnes collective sumpti eamdem cum primo homine participantes naturam, sive qui extitere, sive qui pro tempore existunt, sive qui futuri sunt, dicuntur genus humanum, humanaque natura, quique omnes collective & divisim peccato primi hominis, in quo vere & realiter omnes peccavere, tenentur obnoxii. Natura etenim humana, si præscindatur ab individuis, est quid metaphysicum, in quod non potest cadere peccatum quod est quid morale, & non potest existere nisi in voluntate, in qua tantum valet subjecta-

jectari: proinde personam supponit, a cujus voluntate imperetur aut eliciatur actus, qui ut rectitudine debita carens peccatum dicitur & est. Nihil tamen obstat quominus late dicatur naturalis culpa originalis, eo sensu videlicet quod una cum natura ab omnibus ejus individuis contrahatur. Et in illo sensu verba Apostoli sumuntur ab Augustino adversus Pelagianos, & sic usurpantur a Divo Thoma, dum 1. 2. quæst. 81. art. 1. loquens de propagatione peccati originalis, quod unicuique nostrum non est personale, nisi quatenus recipimus naturam a primo parente, addit unde & vocatur peccatum naturæ, secundum illud, *eramus natura filii iræ*. Cum ergo dicit illud peccatum non esse peccatum hujus personæ, nihil aliud intelligit, nisi peccatum originale a propria uniuscujusque voluntate non esse formaliter, sed a voluntate solius Adami, qui in persona propria violavit Dei præceptum, nos autem voluntate aliena in ipso peccavimus, nobis tamen personale est, in quantum, ut in præcedentibus diximus, Adam tunc suam causam agens, simul agebat & nostram, vicesque nostras realiter gerebat. Unde recte minus nobis videntur argumentari, qui a peccato originali totaliter tollunt rationem personalis; neque enim ut nostrum nobis posset legitime imputari, nisi virtualiter a nostra voluntate oriretur, quod erat formaliter in Adæ voluntate. Ad quod attendens Augustinus rationem voluntarii admittit in peccato originali. Cum enim dixisset nullum esse peccatum nisi sit voluntarium, quærentibus Pelagianis utrum illud de originali illud vellet dictum, sic loquitur lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 28. *Cito respondeo, ex voluntate peccatum est. Quæret forte, utrum & originale peccatum? Respondeo, prorsus & originale peccatum.* Quod ut exacte dictum ab ipso censeatur, hæc scribit lib. 1. Retract. cap. 13. *Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium.* Quare non satis secedere dici possent a Pelagianorum placitis, qui rationem personalis ac voluntarii absolute negant in peccato originali, cum hoc supposito, non videatur in nobis esse nisi per imputationem illud peccatum, quod tamen nobis esse unicuique proprium cum Patribus Tridentinis confiteri debet quicumque catholice sentit.

OBSERVATIO.

Circa originalis peccati in omnes Adæ posteros propagationem fide duce adversus Hæreticos differentes, de illius existentia indubitanter locuti sumus. Modum autem quo traducitur illud peccatum, illiusque naturam investigaturi, rem definire non ausi sumus. Quid non sit intelligentes, quid vere sit assignare non potuimus. Hinc est quod circa utrumque caput, quid verisimilius dumtaxat invenerimus, proponere satis esse judicavimus. Neque enim quæ sit vera formalis ratio peccati originalis, quod ab omnibus absolute hominibus ex Adamo descendentibus contrahi certissimum affirmamus, humanum intellectum posse certo assequi existimamus. Multo minus modum traductionis illius, quod vere tradici docet fides, invenire gloriaremur. Litem dirimere cum Pelagianis, ex ipsius quasi insolubilitate, nolens Augustinus, quid de ea sit, exacte dignosci non posse satis ostendit. Et revera Pelagianorum argumento circa modum traductionis directe respondere semper erit difficillimum. Peccatum ori-

originis, inquiebant, cum sit vere peccatum in omnibus Adæ posteris, illis inesse debet. Et certissima est hæc propositio. Non potest autem, ajebant posteris inesse illud peccatum; etenim peccatum non est in corpore, sed in anima, quod adhuc certum est. Sed hoc originis peccatum non potest esse in anima; siquidem anima non generatur ab homine, sed creatur a Deo, creatur autem ab illo pura, & absque ullo peccato, nullumque peccatum habens corpori infunditur. Cum ergo peccatum non sit in corpore, & anima illi infundatur nullo peccato inquinata, sequitur Adæ posteris minime inesse peccatum originale. Unde concludebant Pelagiani rationibus aut argutiis agentes, non scripturæ testimoniis, aliter non transmitti originale peccatum quam exemplo & imitatione. Et eo tendebat Pelagianorum versutia ut admissa peccati originalis traductione, admitteretur ex antecedenti animarum traductio, ex qua sequebatur eas non esse immortales ex eo enim quod essent per traducem non creabantur, sed generabantur, & morti subjacebant, qui error cum sequi videretur ex traductione peccati originalis, ut ipsi obviarent Pelagiani, illius traductionem, ipsumque proinde peccatum e medio tollere volebant. Quod optime intelligens Augustinus, transmissionem peccati originalis ex scriptura & Sanctis Patribus defendebat, modum vero transmissionis non attingebat. Nec levis unquam erit hæc difficultas, quam minime, ut superius diximus, solvit Bellarminus. Hominem contrahere peccatum Adami, & ideo illud contrahere quia ex Adamo generatur, nemo ambigit: sed quænam sit ratio illud contrahendi in homine, non constat. Et qui aliquid circa tale dubium præsumeret determinare ut absolute certum, difficultatem potius non attingere quam solvere judicaretur.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De effectibus ac pœnis peccati originalis.

Multiplices quos experimur peccati originalis effectus, vel potius innumeras quibus ob primævum protoparentis peccatum obvoluti sumus, ærumnas, qui infirmæ rationis simulque cœcutientis lumini plus æquo tribuentes, grande illud peccatum a primo homine in omnes ipsius posteros pertransisse negant, de prima & naturali hominis conditione esse velint, mirum non est, tollatur culpa originalis, mala omnia quæ patimur, tum in anima, tum in corpore, de primitiva naturæ humanæ creatione sint necesse erit. Contra omnes illos philosophos vel potius Hæreticos probata, ut Theologice demonstrata culpæ originalis ad omnem Adæ stirpem spectantis veritate, de ejus consectariis pauca dicamus oportet. Causam vidimus, effectum intueamur.

QUÆSITUM PRIMUM.

Utrum per peccatum originale in naturalibus fuerit vulneratus homo.

A Justitia originali, in qua creatus fuerat protoparens, illam, si perseverasset in statu innocentiæ, ad posteros transmissurus, recedens per peccatum, donis supernaturalibus fuit spoliatus, unde primitiva rectitudine carentes nascuntur omnes qui ex illo duxerunt originem. De hoc conveniunt quicumque de peccato originali non posse dubitari credunt.

Jam

Jam controvertitur an in naturalibus etiam per illud peccatum viciata fuerit ac vulnerata natura humana, ita ut proclivior ad malum, tardior ad bonum factus sit homo, tenebris obnubilato ipsius intellectu, ac cupiditatibus obstricta illius voluntate. Illud non admittebant Pelagiani, peccatum Adæ *ipsi* soli obfuisse non generi humano arbitrantes. Aliud in extremum euntes Lutherani, quibus consentiunt Calvinistæ, tantum hominis vulnus fuisse contendunt, ut in naturalibus in se & physice spectatis fuerit vulneratus, eo modo quo liberum arbitrium in eo fuerit penitus extinctum, ex quo ad malum necessario feratur. Media incedentes via, quid verum sit ostendamus.

ASSERTIO UNICA.

Hominem per peccatum originale fuisse deteriorem factum, infirmiorem ad bonum, proclivïorem ad malum, ideoque in naturalibus vulneratum, etsi negari non posit, ipsum tamen intrinsece, & in facultatibus physice spectatis vulneratum, eo sensu quod perfectione quadam ad ipsius naturam pertineat fuerit spoliatus, defendere est hæreticum.

Quid frequentius apud Augustinum quam illum audire contra Pelagianos naturæ vulnera per Adæ peccatum facta memorantem, ex quibus homo infirmus evaserit. Sic lib. de Natura & gratia cap. 3. *Natura quippe hominis primitus inculpata, & sine ullo vitio creata est. Natura vero ista hominis qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est . . . . Vitium quod istam naturam bonam contenebrat & infirmat, ut illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio.* Cap. 25. *Iniquitatem peccati tanto graviorem, quanto facilius homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est, ut mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodam modo obedientiam.* Cap. 19. volens Pelagio naturam sine vitio esse, & quærenti quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam peccatum quod substantiæ caret, sic responderat Sanctus Doctor: *Videt quæso quomodo nesciens nititur evertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas: Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porro si est quod sanetur, unde vitiatum est?* Quod factum fuisse per peccatum dicit cap. 20. *Nec existimemus peccato naturam humanam non posse vitiari, sed divinis credentes scripturis, peccato eam esse vitiatam, quomodo id fieri potuerit inquiramus.* Cap. 43. *Quis enim eum (hominem) nesciat sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad juste vivendum potestate libera constitutum? sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt, qui gravibus sauciatus confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere.* Et tandem, ut fiat dicendi finis, cap. 53. *Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, vera confessione, non falsa defensione, opus habet.* Ex hac autem infirmitate, quæ naturæ humanæ evenit per Adæ peccatum, fit, ut perpetuo egeat homo Dei ad-

adjutorio, bonum ut operetur malumque fugiat.

Hominem per primum illud peccatum deteriorem factum, ex quo tardior ad bonum, & ad malum facilior fuerit, testantur illa capitula quæ collegisse fertur Cælestinus I. vel Sanctus Prosper, in uno quorum legitur, *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse*. Ad quod accedit Concilium Arausicanum 2. sic loquens. *Si quis per offensam prævaricationis Adæ, non totum, id est secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertatem illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur scripturæ*. Quod probantes Patres Tridentini sess. 5. de peccato originali can. 1. anathema dixerunt cuicumque non confitenti, *totum Adam per suæ prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius fuisse commutatum*. Quod verum non esset homine in naturalibus minime vulnerato. Unde dixerat concilium Arausicanum 1. *Animi libertatem illæsam post peccatum Adæ non durare; liberum arbitrium vitiatum, infirmatum, inclinatum, attenuatum fuisse*. Ex quibus vulneribus, quæ sunt peccati effectus & pœna, orta est in homine difficultas ab bonum sectandum, majorque ad malum facilitas: præterquam quod catholici omnes tenent, difficultatem ad bonum, proclivitatem ad malum, rixam perpetuam carnem inter & spiritum, tarditatem intellectus, perversitatem voluntatis, aliasque miserias, tum mentis, tum corporis, quibus subjacemus, non esse de naturali hominis conditione, ex quo sequitur naturæ vulnus hæc omnia demonstrare, homini que infirmitatem perpetuo obesse.

Verum recte minus exinde concluderetur cum Lutheranis & Calvinistis, naturam humanam fuisse Adæ prævaricatione, aut alia quavis, intrinsece corruptam, quasi aliquid physicum potentiis ejus nunc desit. Si in naturalibus vulneratus homo aliquid ad suum esse pertinens amisisset recedens a Deo per inobedientiam, illud esset præsertim liberum arbitrium, quo male utens se perdidit: hoc autem in ipso post peccatum, licet attenuatum & vitiatum, remansisse ex fide ostendimus, ubi de libertate. Hinc est quod ex Dionysio docente naturalia in dæmonibus integra permansisse, dicebat Doctor Subtilis, humanitatem non magis fuisse læsam per peccatum Adæ, quam naturam Angelicam per peccatum dæmonum, quæ intrinsece & quoad facultates naturales læsa non fuit. In 2. dist. 25. num. 7. quod jam dixerat Doctor Angelicus, affirmans 1. 2. quæst. 85. artic. 1. Bonum naturæ, nempe ipsa principia ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex ipsis causatas, ut sunt potentiæ animæ, aliaque hujusmodi, nec tolli, nec diminui per peccatum. Unde suum de vulnere homini per primum peccatum inflicto in essentialibus commentum invenisse videntur Hæretici, potius ad excusanda cuncta hominum peccata, ex fictitia necessitate peccandi, quam ad defendendos culpæ originalis effectus, quos negare sensatus nemo potest.

Nec quidquam sibi favens inferre valent ex iis quæ tum concilia aut summi Pontifices, cum Sancti Patres dixerunt contra Pelagianos, ut supra retulimus, qui si vulnera naturæ humanæ inflicta per protoparentis inobedientiam exaggerare videntur, nihil aliud voluerunt, quam gratiæ necessitatem

tum ad nonne opus bonum statuere, natura per se ad illud præstandum insufficienti, ac adversus Pelagianos ostendere hominem debiliorem factum per peccatum, potentiori gratiæ auxilio indigere nunc, quam indiguisset in statu innocentiæ, in quo motus reluctantis concupiscentiæ coercendos non expetebatur. Unde dicebat Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 53. hominem orare debere ut Sanetur, & Dei gratiam quærere non qua instituatur, sed qua restituatur. Et dum ex parabola hominis descendentis ab Hierusalem in Hierichο qui incidit in latrones, arguementantur, nos spoliari gratuitis a Dei beneficiis, quæ originalis justitiæ erant appendices ac dotes, illisque in pœnam peccati privari, volunt dumtaxat statuere contra illos, qui naturam humanam in sua adhuc esse integritate dicebant, unde sequitur quod asseruunt est, nempe hominem fuisse per peccatum Adæ deteriorem factum, ad bonum tardiorem, ad malum propensiorem, ex eo quod in naturalibus vulneratum, acie illius mentis obtusa, voluntatis rectitudine perdita, donis tandem supernaturalibus quæ justitiam originalem comitantur, quæque una cum natura liberalitate largitoris acceperat, nudatum, natura nihilominus quoad essentialia illæsa remanente.

Frustra cum veteribus Pelagianis reponerent Sociniani, vel quicumque partes eorum ageret, per peccatum quod est quid morale, vitiari non posse naturam humanam, quæ est quid physicum, cum morale non agat physice, quod tamen esset necessario admittendum, si verum esset hominem per Adam peccatum fuisse in naturalibus vulneratum. Neque enim novas vires decursu temporum arrepit illud argumentum Pelagii contra Augustinum, dicentis per peccatum quod nihil est reale positivum, naturam non posse corrumpi: quare quod olim lib. de nat. & grat. cap. 29. & 20. respondebat Pelagio arguenti Hipponensis, nos idem Socinianis respondebimus, nimirum, per peccatum nihil fuisse detractum de substantia naturæ, nihil de potentiis, & aliis quæ pure sunt physica, & hominem in esse hominis constituunt: de iis autem quæ ita sunt physica, ut cum moralibus sint connexa, quæque præcise non sunt de constitutione naturæ, sed ex ea constituta oriuntur, & magis ad operationem quam ad naturam pertinent, falsum est naturalia non posse corrumpi per peccatum, etsi illud non sit quid physicum, sed quid morale. Potest enim defectus & negatio rei positivæ, naturam lædere, ut abstinentia cibi, quæ licet negatio sit aut privatio, homini mortem infert. Per peccatum igitur primi parentis nihil de naturali sua constitutione amisit homo, de naturali tamen ordine, & recta secundum eum operatione, & ad bonum inclinatione multum deperdidit. Unde tam contra Pelagianos negantes hominem ex peccato primæva infirmum evasisse, quam contra Novatores morbum illius nimium exaggerantes, certa manet assertio.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quinam sint præcipui peccati originalis effectus aut pœna.

In eodem non esse statu naturam humanam in quo erat ante peccatum ostendunt miseriæ tum animi tum corporis quas experimur, quasve naturales defectus illius sequentes constitutionem dicebat Pelagius, has non

naturæ institutæ proprietates, sed damnatæ pœnas dicente Augustino. Ignorantiæ, & difficultatis nomine omnia significavit Augustinus vulnera ob peccatum inflicta, quæ ad animum spectant, malitiam voluntatis, infirmitatem, ac concupiscentiam includente difficultate, concupiscentiam sumens pro habitu hominem ad malum inclinante qui ab Apostolo lex membrorum vocatur, non vero pro appetitu concupiscibili, qui est facultas naturalis qua ad bonum & ad malum pro arbitrio utitur homo. Ad corpus pertinent morbi, infirmitates, ipsaque mors, quibus omnibus ærumnis in pœnam peccati cujus sunt effectus, subjacet homo, quod ex Augustino ostendemus.

ASSERTIO PRIMA.

Ignorantia ex parte intellectus, difficultas in voluntate, ex qua tarditas ad bonum, inclinatio ad malum, sicut & concupiscentia, quæ simpliciter loquendo mala est, effectus sunt peccati originalis simul & pœna.

TOTA est Augustini hæc assertio lib. 3 de lib. arbitr cap. 18. de loquentis. *Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Cap. 19. *Sic etiam ipsam naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur naturam hominis, in qua primum in suo genere inculpabilis factus est, aliter istam, in qua ex illius damnati pœna, & mortales & ignari, & carni subditi nascimur.* Et lib. 1 retract. cap. 9. de miseriis quibus ob peccatum originale subjacemus, librum illum de libero arbitrio commemorans ait: *Ad quam miseriam justæ damnationis pertinent ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ.*

Verum de miseranda illa in qua jacent homines ignorantia, quam peccati originalis effectum dicimus & pœnam, loquentem adhuc audiamus Augustinum lib. 22. de civit. c. 22. *Nam quod ad primam*, inquit, *originem pertinet omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscepit, ut homo ab illo liberari sine dolore, labore, timore non possit? ..... Nam quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam..... Quid est enim quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus, cum labore strenui, sine labore inertes sumus? nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura, & quanta ope ut hinc liberetur indigeat?* Et lib. 1. de peccat. merit., & remiss. cap. 36. de iisdem quibus subjacemus ærumnis loquens, de ignorantia hæc habet: *In illas igitur ignorantiæ densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero utique anima hominis, atque anima rationalis non solum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contrusa est si natura est hominis sic incipere, & non jam*

jam vitiosa est ista natura? cur non creatur est Adam? cui ille cæpit, & valens uxori, & omnibus animalibus nomina imponere.... Iste autem nesciens ubi sit, quid sit, a quo creatus, a quibus sit, jam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine involutus, & pressus, ut neque tamquam de somno excitari possit, ut hæc saltem demonstrata cognoscat, sed expectetur tempus quo hanc nesciat quam velut ebrietatem, non per unam noctem, sicut quælibet gravissima solet, sed per aliquot menses atque annos paulatim digerat, &c. Quæ adeo clare affectionem hemant, ut quid Adannis, non inveniamus.

De difficultate, quæ malitiam, infirmitatem, concupiscentiam complectitur, ex quibus voluntas tardior ad bonum redditur, & ad malum propensior, sic loquitur Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. ultimo. *Veruntamen quid competitur animi imperio ne peccetur, nisi malum quo vincente peccatur? quod malum ne dicamus cum Manichæis tamquam ex aliena mali natura nobis esse commixtum, restat in nostra natura tamquam vulnus aliquod fateamur esse sanandum, cujus certum jam fatemur regeneratione sanatum..... Et ne dicere cum Manichæis cogaris alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem, nostrum potius originalem confitere languorem*. Lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 6. *Ibi enim homo primitus Dei lege transgressa, aliam legem repugnantem suæ menti habere cœpit in membris, & inobedientiæ suæ malum sensit, quando sibi retributam dignissime inobedientiam suæ carnis invenit*. Cap. 23. concupiscentiam a peccato esse dicit. *Modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta est.... sicut autem* vocatur peccatum, quia peccato facta est, *cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum*. Et lib. 2. cap. 8. & 9. *Quid est ergo*, ait, *malitia naturalis hominis? .... Numquid in Adam natura ista sic condita est? absit. Sed quia in illo vitiata, sic per omnes jam naturaliter cucurrit, & currit, ut ab hac perditione non liberet nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Cap. 34. *Vulnus*, ait, *quod peccatum vocatur ipsam vitam vulnerat, qua recte vivebatur. Hoc vulnus autem tunc majus atque altius diabolus inflixit, quam sunt ista hominibus nota peccata. Unde illo magno peccato primi hominis natura ibi nostra in deterius commutata... & tamen ipse languor quo bene vivendi virtus periit, non est utique natura sed vitium*. Malitia igitur, caritas ad bonum, propensio ad malum, ipsa concupiscentia, quæ sunt ex difficultate in voluntate, effectus sunt simul, & pœna peccati originalis. Innumeras quibus laboramus ærumnas, tum in corpore, tum in animo, hancque, quam continuo experimur difficultatem, originali peccato adscribit Augustinus lib. 4. contra Julian. cap. 12. verbis utens Ciceronis in libro tertio de Republica. *Idem Tullius hominem dicit non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore, & nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc auctor iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit. Latebat enim eum cur esset grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, quia sacris litteris non eruditus, ignorabat origina-*

le peccatum. Quotquot ex illa difficultate oriuntur miseriæ, ab eodem Sancto Doctore describuntur lib. 22. de civit. nec non in libris confessionum, quæ omnia referre longius esset.

Nec audiendi sunt qui causam adhuc agentes Pelagii, concupiscentiam in Paradiso qualis in nobis manet post peccatum. Extitisse contendunt ante peccatum, ex eo quod ad speciei multiplicationem a Deo institutam, & quia per ipsam factum est peccatum. Hujusmodi Juliani argumentis respondit Augustinus, quem si audirent Sociniani, ab iis difficultatibus jam solutis procul dubio abstinerent. Nullam in statu innocentiæ fuisse libidinem aut concupiscentiam proprie dictam, rationi scilicet adversam, mentique legi repugnantem, docet Sanctus Doctor lib. 1. operis imperf. cap. 70. his verbis. *Remanet ut si libido ibi esset, ita esset subdita voluntati, ut rectam quietamque mentem nec ad delictum traheret, nec ad prælium provocaret, & spiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo, nec peccare nec pugnare compelleret, quæ quoniam nunc talis non est, sed ipsa licita inhianter non obtemperanter appetit, in illicitis autem aut spiritum devicit, aut contra spiritum concupiscit, agnoscite malum vitiata naturæ integritate contractum.* Quibus ostendit falsum esse quod dicebant Pelagiani, volentes concupiscentiam, qualis nunc nobis inest, de conditione esse naturæ, non vero peccati originalis pœnam, & effectum. Rursumque cap. 71. illos convellit, eo quod in Paradiso extitisse dicerent concupiscentiam, ex qua ortum fuisset peccatum. *Ergo ne & in Paradiso*, inquit, *ante maleficia de veneno Serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, illicite tibi libido jam fuit? ... Ergo intelligite, vel intelligentibus obstrepere vana loquacitate nolite. Præcessit mala voluntas qua Serpenti subdolo crederetur, & secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur illicito. Non itaque ibi qualiscumque cupiditas qualicumque relictata est voluntati, sed et prius depravatę depravata servivit. Ac per hoc quamvis jam utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non cupiditas voluntatem duxit. Non præcessit voluntatem nec restitit voluntati.* Quod facile intelliget quisquis attenderit hic quæstionem moveri de concupiscentia in quantum est vitium naturæ, vel prava quædam qualitas potentiam naturalem ad malum inclinans, originem trahens ex primi hominis peccato, non vero de concupiscentia pro ut est naturalis facultas, quæ recta sunt & ordinata appetens, mala ex opposito, ac inordinata fugiens, quæque est de prima hominis constitutione, & si non peccasset homo, voluntatem nullo modo præcederet, sed ipsi tamquam dominæ subjaceret.

Nihil tamen impedit quominus concupiscentia simpliciter loquendo, in præsenti statu mala dicatur, ut fert assertio. Illam enim malum vocat Apostolus, peccatum, legemque peccati, non quod ipsa formaliter malum sit, sed quia illa est ex peccato, & in nobis est occasio & causa peccati, ut diximus ex Augustino. Ait enim Paulus Rom. cap. 7. *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet .... Video autem alium legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Dixerat antea: *Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccu-*

catum. Unde cap. 6. *fideles hortatur faciat ne huic serviant concupiscentiæ. Non ergo, inquiebat, regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* His verbis Apostoli utitur contra Pelagianos Augustinus, ut eis ostendat quam mala sit concupiscentia. Sic lib. 1. de Nupt. & concup. cap. 23. *Hæc omnino concupiscentia, hæc lex peccati habitans in membris, cui lex justitiæ vetat obedire, dicente Apostolo, non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Cap. 27. *Agit enim aliquid concupiscentia carnis, & quando non exhibetur ei vel cordis assensus ubi regnet, vel membra velut arma quibus impleatur quod jubet . . . Agit autem quid, nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus dicens, non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Illud adhuc ostendit Sanctus Doctor lib. 3. contra Julian. cap. 25. sic loquens. *Cur ergo quando ego istam concupiscentiam morbum esse dico, tu negas, qui tamen ei necessarium remedium confiteris? Si agnoscis remedium, agnosce morbum. Si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquando etiam per os tuum tibi loquenti veritati, nemo providet remedium sanitati.* Et tandem lib. 6. cap. 7. vel 15. hæc habet. *Quis autem ita sit impudens atque impudens, ita procax, pertinax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiam si adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porro ac tam magnum malum, tantum quia inest quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum, in illa quæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solveretur?* Dum igitur in statu naturæ lapsæ agitur de concupiscentia generaliter, illa intelligenda est de qua dicit Jacobus, *unusquisque tentatur a concupiscentia sua. Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* Hæc autem cum sit inclinans ad malum, simpliciter cum Augustino mala dicenda est.

Opponebant tamen Pelagiani, Deum illam hominibus aliquando pro munere contulisse, ut accidit Abrahæ & Saræ jam senescentibus: hominesque concupiscentia uti bene posse, quod dicere fas non esset si hæc esset malum. Si enim mala diceremus ea omnia, quibus male uti possunt homines, etiam creaturam panis & vini malum vocare possemus, cum ex eis sæpissime peccent homines. Quam absurdum autem illud esset, nullus est qui non videat. Unde immerito concupiscentia mala per se diceretur.

Duplex illud argumentum solvebat, etsi invitus Augustinus, quod meum erat Pelagianorum effugium, ad quod inverecunde, ut ipsis exprobat, confugiebant, primum allegat, eique respondet Hipponensis lib. 3. contr. Julian. cap. 11. his verbis. *Dicis etiam in laudem libidinis bene fuisse redditam Dei munere Abrahæ & Saræ, senio confectis emortuisque corporibus, & invidisse proclamas, ut asseram si possim, ad opus diaboli pertinere, quod Deum videam inter dum conferre pro munere. Quasi vero claudum hominem resuscitet Deus, viventibusque restituat, qui utique mortuus jam claudicare non poterat, etiam claudicationem debet videri pro munere contulisse. Ita ergo si restitutus est qui fuerat*

in

in viridioribus corporum vigor, sic utique restitutus est, ut sic haberet conditio corporis mortis hujus. Non enim eis ad illum statum revocari oportebat, in quo Adam fuit ante peccatum, ut possent sine lege in membris, quæ repugnat legi mentis filios procreare. . . . Unde prudentius creditur fœcunditatem, quæ deerat, fuisse Deum famulis præstitisse . . . . Et id scriptura noluit hic tacere, ut augeretur miraculi gloria, quod erat Deus in eorum prole facturus. Multis interjectis de ætate amborum & causis naturalibus, propter quas filios procreare jam non poterat, sic concludit Sanctus Doctor. *Miraculum ergo Dei factum est, ut conciperetur Isaac, non parentibus ejus libidine reddita, sed fœcunditate donata. Nam illa ipsa poterat etiam in illis annis, hæc vero non poterat, tot impedientibus causis.* Deinde ostendit quam insulse hæc protulisset Julianus, cui ex parte non respondet, ex eo quod nihil faciant ad propositum, quare hæc addit. *In ea vero parte ratiocinationis tuæ frustra laborasti, tanquam dicere possimus, Isaac sine concupiscentia carnis, vel semine viri fuisse procreatum, hoc enim non dicimus, & ideo quidquid inde disputasti prætereundo contemnimus.*

Aliud argumentum Pelagianorum, quod habetur lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 19. eo tendit, ut peccati originalis propagationem removeat, naturam inde criminandi accepta ab ipsis occasione, quasi illa esset causa peccati, ideoque mala, ut somniabant Manichæi, ex qua homo nascebatur contaminatus peccato, quod non ad naturam simpliciter, sed ut vitiatam primi hominis prævaricatione, referendum esse ut superius ostendimus, fides catholica docet. Sophisma erat objectio hæc Pelagianorum verbis Augustini, ex ejus libris, male decerptis abutentium, qui ut Sanctum Doctorem carperent, quasi ipsum peccatum in naturam refunderet, & usum nuptiarum malum judicaret, Sodomitas in exemplum adducebant, quos igneo imbre Deus punivit ob naturæ flagitiosum abusum, & dicebant Augustino, quod si inde naturam malum declararet, quoniam per eam flagitiis illi obligati sunt, accusaturus etiam esset creaturam panis & vini, quoniam hinc quoque eos peccasse per Ezechielem Prophetam scriptura divina significaverat. Quibus de scelere Sodomitarum tacens, & de iis, quæ de illos imitantibus habet ad Rom. cap. 1. Apostolus loquens, proposito argumento ex comparatione panis & vini respondet Hipponensis cap. 21. per hæc verba, *Panem vero & vinum sic non reprehendimus propter luxuriosos & ebriosos, quomodo nec aurum propter cupidos & avaros. Quocirca commixtionem quoque honestam conjugum non reprehendimus propter pudendam corporum libidinem. Illam enim posset esse nulla præcedente perpetratione peccati, de qua non erubescerent conjugati. Hæc autem exorta est post peccatum quam coacti sunt velare confusi . . . . Proinde pudenda libidine, qui licite concumbit, malo bene utitur, qui autem illicite, malo male utitur. Rectius enim, accepit nomen mali quam boni, quod erubescunt & mali & boni. Multasque credimus ei qui dicit, scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, quam huic qui dicit hoc bonum, unde si confunditur, confitetur malum, si autem non confunditur, addit impudentiam pejus malum.* A quibus Sancti Doctoris verbis dissimilia non sunt ea quæ habet lib.

3. contra

3. contra Julian. cap. 20 eidem patratæ ex pane & vino desumptæ iterum respondens, easque vane & absque utilitate ulla uti in præsenti discrimine Pelagianos ostendens. *Dicit etiam Sodomitas & in panis ac vini peccasse creatura. Atque ita vis intelligamus libidinem bonam, sed homines qui ea male utantur esse culpabiles, sicut bona est natura panis & vini, quamvis ea male utendo peccetur. Ita enim non intelligis quid loquaris, ut non videas creaturam panis & vini non concupiscere adversus spiritum, sed ipsam potius inhonestè a male utentibus concupisci, & eam forinsecus in nostrum corpus intrare.* Hinc futilis apparet Pelagianorum objectio, quod alia sit natura panis & vini, alia natura libidinis, quæ numquam esse a Deo potuit.

Nec interest, quod in præsenti statu, natura per peccatum vitiata, nequeant nuptiæ esse absque concupiscentia; illam enim bonum esse inde non sequitur, quin potius illam esse malam, quæ in statu innocentiæ non erat, hinc evincatur. Quod multoties adversus Pelagianos declarat Augustinus. Illos hic audire nos pudeat, dum ex pecoribus, quibus iidem insunt motus animales, concludere non erubescunt, concupiscentiam, quæ in brutis animantibus bonum ipsis est, malum esse non posse in homine. Similes illis fiant qui ea loquuntur, & omnes qui sibi licitum exoptarent quidquid in eis est, quo se oblectet illa natura, in qua malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit. *Erubescamus interim disputationibus impiorum, qui didicimus in vera veræ pietatis sanctaque philosophia, & contra spiritum carnem & contra carnem concupiscere spiritum*, inquit Augustinus lib. 4. contra Julian cap. 14. Quid Juliano, aliisque Pelagianis concupiscentiæ laudatoribus, illos exhortans loquatur lib. 3. cap. 21. Sanctus Doctor, audiamus. *Inter duos adversarios constitutus in magnas coarctaris angustias, & me vis vincere per eloquentiam, & libidinem per continentiam sed pugnando adversus eam confiteris malam, laudando eam, deseris veritatis bonam. Sed ego te vinco & expugnatorem & laudatorem mali, constituens te ante judicem, non alium, sed te ipsam. Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione ejus, me vero laude ejus. Sed ego respondeo, at vincatur qui laudat, judicet qui pugnat. Si enim malum est, cur laudat? Si bonum est, cur expugnat? Si autem nec bonum, nec malum est, ut quid laudat? Ut quid expugnat? Quamdiu igitur expugnator libidinis eris, tandiu pro me contra te ipsum judex eris. An forte adversus libidinem non certabis, ne in isto quod mecum habes certamine supereris.... Noli, obsecro te.... vincat te potius veritas, ut tu libidinem vincas.... Quantumlibet enim laudes concupiscentiam carnis, quamdiu pugnas adversus eam, certus quam verum de illa, nec nisi de illa dixerit Apostolus Joannes, quod non est a Patre.*

ASSERTIO SECUNDA.

Morbi, omnesque, quibus homines subjacent, miseriæ & calamitates, sicut & mors eo ipso quam patiuntur, sunt peccati originalis effectus & pœna.

EX omnibus quibus subjacemus in corpore calamitatibus ac miseriis, contra Pelagianos culpam originalem negantes valide argumentatur Divus Augustinus, illas aliam non habere causam, & simul culpæ illius esse pœnam, ipsius

sint ostendens. Sic loquitur lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 37. *Etiam ipsa carnis infirmitas, nescio quid, quantum arbitror, pœnale demonstrat. Movet enim si primi illi homines non peccassent, utrum tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus uterentur.* Lib. 3. contr. Julian. cap. 4. urget illum Augustinus, ut si ærotis impedimenta & miseriæ priorum annorum non sunt ex peccato originali, causam ille assignet. *Respondε igitur*, inquit, *quare in hac ipsa vita, afflictione carnis anima cruciatur infantis, cujus et meritum, quia non bene rexerit carnem, adhuc non potest imputari?* ... *Cum autem etiam originali negatis obnoxiur, respondete quo merito tanta innocentia nonnunquam cæca, nonnunquam surda nascatur?* ... *& non vultis factu genus humanum ex initio quo discessit Deum, trahere damnatæ originis noxam his omnibus dignissimam pœnis.* Et c. 5. sic prosequitur. *Frustra itaque putas ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hoc recte dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium. Quod si nullum esset, profecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, sub tanta justi Dei potestate paterentur.* Hæc addit cap. 6. de parvulis loquens. *Malum si nullum ex origine traherent, nunquam cum vitiis vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ.* Egregia sane sunt quæ habet in fine libri quarti ita ut ea non possimus omittere. *Sed in iis quæ meminisse jam non potes*, inquit Julianum sem-per alloquens, *parvulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error ut decipiat: tentat labor, aut dolor, ut frangat. Tentat libido, ut accendat: tentat mæror, ut sternat: tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter quibus gravatur jugum super filios Adam?* ... *Apostolus autem amputat opinionem, qua creduntur singulæ animæ promeritis anteactæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit, aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ, in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.* Quam insani ergo sunt homines, qui a fide catholica deficientes, omnium quas patimur cujuslibet generis calamitatum causam quærunt alibi a peccato originali, hasque de naturali & primitiva hominis esse conditione delirant. Illis omnibus calamitatibus fractus homo, prævaricationis suæ pœnas justissimas luens, quotidie experitur a quanta felicitate deciderit, miseram vitam acturus, inter ex omni parte ingruentes ærumnas, ad mortem usque de peccati originalis propagatione descendentem.

Mortem illius peccati esse effectum & pœnam ostenditur ex iis, quæ dixit Deus ad Adam cum posuisset eum in Paradiso voluptatis, prohibens illi ne comederet de ligno scientiæ boni & mali, ut habetur Genes. cap. 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*, eumque post

hujus

hujus præcepti transgressionem damnans morte, quam antea in ferendo præcepto illi fuerat comminatus; simulque ipsi prædicens labores & ærumnas quas passurus erat tamquam effectum & pœnam suæ inobedientiæ, ut testantur Scripturæ verba ibidem cap. 3 *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sapient. cap. 2. dicitur quod *Deus creavit hominem inexterminabilem . . . Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ut quid autem inexterminabilis diceretur creatus? Ut quid mortem ipsi fuisset comminatus Deus si præceptum non custodiret, si causam aliam a peccato haberet mors corporis, a qua nemo inter humanos eximitur? Unde dicit Apostolus Roman. cap. 5 *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Hinc est quod sæpe adversus Pelagianos dicat Augustinus, mortem non esse de naturali hominis conditione. Sic lib. 1 de peccat. merit. & remiss. cap. 2. *Qui dicunt Adam sic creatum, ut etiam sine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, sed necessitate naturæ, profecto illud quod in lege dictum est, qua die ederitis, morte moriemini, non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ quæ in peccato fit referre conantur . . . Quid ergo respondebunt, cum legitur hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando & damnando dixisse, terra es, & in terram ibis? Neque enim secundum animam, sed quod manifestum est secundum corpus terra erat, & morte ejusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundum corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret, tamen si non peccasset in corpus fuerat spirituale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus ac Sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus.* Cap. 3 *Neque enim metuendum fuit, ne diu forte diutius hic viveret in corpore animali senectute gravaretur, & paulatim veterascendo perveniret ad mortem.* Quod cum variis librorum sacrorum testimoniis possibile, ac futurum ostendit Sanctus Doctor, sic prosequitur cap. 4 *Sunt alia testimonia quibus evidentissime apparet, non tantum spiritus, sed & corporis mortem propter peccatum meruisse genus humanum. Ad Romanos Apostolus dicit, si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis qui suscitavit Christum Jesum a mortuis vivificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Puto quod non expositorem, sed tantum lectorem opus habet tam clara, & aperta sententia. Corpus, inquit, mortuum est non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed propter peccatum. *Et vigilantissime non ait, mortale, sed mortuum. Nam antequam mutaretur in illam incorruptionem quæ in Sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum, sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam, esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum.* Satis ergo manifestum est ex Augustino, mortem corporis, sicut & alias vitæ humanæ miserias, effectum esse ac pœnam peccati originalis.

Eadem est omnium Sanctorum

Patrum mens & doctrina. Dum de Adam loquuntur, eidem voce dicunt, ipsum corporis mortem non gustaturum, si divino mandato obtemperando de fructu sibi vetito non manducasset. Quod apprime scientes Concilii Arausicani secundi Patres, sic loquebantur can. 2. *Si quis mortem tantum corporis quæ pœna peccati est non autem & peccatum quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, per unum hominem, &c.* Quod ut deinde definiere etiam Patres Tridentini anathema dicentes, non confitenti primum hominem meruisse per offensam prævaricationis iram mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli. Unde evincitur adversus Pelagianos, Ecclesiam Catholicam semper tenuisse, mortem effectum esse & pœnam peccati primi hominis, quod in omnes homines cum miseriis omnibus, quæ illud subsequuntur, pertransiit, unde ad nos omnes pertineat quod dicit Apostolus, stipendia peccati mors.

Haud quidquam in contrarium concluditur ex damnatione propositionis Bajanæ asserentis, immortalitatem primi hominis non esse gratiæ beneficium, sed naturalem ejus conditionem, quasi inde sequatur hominem, etiam durante innocentia, fuisse morti obnoxium. Quod causis secundis tribuerit Bajus, quod erat Deo largitori tribuendum, immortalitatem primi hominis inter naturæ dotes, non vero inter Creatoris beneficia annumerans, merito fuit censura notatus. Aliud enim est posse non mori, & aliud non posse mori. Istud nusquam habuit homo, qui illud habebat ex Dei beneficentia. Quod per hæc verba ostendit Augustinus dicens, secundum quemdam modum creatum fuisse immortalem, vel melius non moriturum. Hæc inquit lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 25. *Et præstabatur de ligno vitæ, non de conditione naturæ . . . Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris.* Quare duplex, ut ita dicam, immortalitas est distinguenda, una quæ est ab intrinseco, & est impossibilitas moriendi: ab extrinseco altera, & est possibilitas non moriendi, ut post Augustinum loquitur Scotus, & hæc ultima gaudebat Adam in statu innocentiæ, qui revera non erat moriturus si non peccasset. Quod ostendere voluerunt Patres Concilii Milevitani dum hæc dixere: *Qui dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Præcessit ergo mortem peccati meritum, quod si non præcessisset, nec mors ipsa fuisset.

Nec ullo modo urget Pelagianorum argumentum apud Augustinum, lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 30. si primi hominis peccato factum est ut moreremur, Christi adventu fieret ut credentes in eum non moreremur. Plus enim aliter nobis nocuisset prævaricatoris transgressio, quam nobis profuisset incarnatio vel redemptio salvatoris. Ad tollendum semper originale peccatum id opponebant Pelagiani, volentes per baptismum restituendam esse nobis immortalitatem quam perdideramus per peccatum, cum illo deleto per Sacramentum regenerationis, tollendus sit illius effectus: unde aut insufficientiam baptismi ad delendum peccatum originale volebant admit-

mittere, aut ipsius peccati maris non existentiam. Quibus respondens Augustinus ait: *Cur non potius hoc attendant, hoc audiunt, hoc sine dubitatione credunt, quod Apostolus sine ambiguitate locutus est, Quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum ... quomodo ergo plus non illi peccando, quam ille justificando, cum per illum in peccatum mortem pariter moriamur, per ipsius autem redemptionem non ad temporalem vitam, sed ad perpetuam resurgemus? ... Potuit autem etiam hoc donare credentibus, ut nec ipsius experirentur corporis mortem; sed si hoc fecisset, carni quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo.* Quibusdam interjectis, ut ostendat quantum fidei afferat, quod morti obnoxii remaneant qui baptizati in Christum fideles efficiuntur, sic concludit Sanctus Doctor cap. 34. *& hoc ergo illo testimonio demonstratum est, & quod timorem mortis fideles vincunt, ad agonem ipsius fidei pertinere, qui profecto defuisset, si mox esset credentes immortalitas consecuta.* Quod igitur morti, credentes in Christum, obnoxii peccati originalis merito simus, nihil derogat incarnationi ipsius aut redemptioni, cum sublata per aquam baptismalem culpa originali, sed ad meritum & ad certamen remanente morte cum aliis calamitatibus quæ sunt effectus illius ac justa pœna, gratia Christi, Deique misericordia, si vicerimus cum ipsius adjutorio, in meliorem vitam resurgentes, simul cum Christo sine fine victuri.

QUÆSITUM TERTIUM

Quisnam futurus sit status parvulorum cum originali peccato morientium.

N*Isi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, dicebat Christus Nicodemum principem Judæorum alloquens apud Joannem c. 3. Hac sententia Domini territi Pelagiani, *conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere. Sed quia baptizati non sunt, et a regno cælorum faciunt alienos, nova quadam & mirabili præsumptione, quasi salus ac æterna vita possit esse præter Christi hæreditatem*, inquit Divus Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 20. Parvulos ergo cum peccato originali decedentes, regno cælorum æternum exulare nullus Christianus non credit. Quænam vero futura sit eorum sors, qui a Beatorum consortio erunt alieni, ex eo quod in eis per baptismum non fuerit deleta culpa originalis, incertum satis est. Illos beatitudine quadam naturali super terram post judicium esse donandos, bonis omnibus naturæ fruentes, quæ intra illius sphæram esse possunt, plures arbitrati sunt, cognitione Dei naturæ auctoris illis concessa, sed cujuslibet boni supernaturalis gratiæ & gloriæ expertibus. Parvulos, de quibus agitur, damnatorum statum incursuros, pœnamque damni, ut dicitur, ex Dei quem non possidebunt, privatione, cum dolore animi ex tali privatione proveniente, simulque pœnam sensus ab igne in gehenna esse passuros, existimant Doctores non pauci. Has inter se oppositas sententias nonnulli improbantes, & media incedere via bonum judicantes, pœnas sensus a parvulis abstulerunt, pœnam damni solummodo illos passuros pronuntiantes. Sed adhuc inter se illi discrepant, alii enim dicunt, parvulos ex hac damni pœna nullum animi dolorem esse habituros, illos econtra interius torqueri ex

 amis-

amissione summi boni aliis affirmantibus Vincentius Victor, de quo Augustinus lib. 1. de anima & ejus origine, peccatum licet originale admittens, parvulos absque baptismo decedentes Dei regno, ejusque visione fruituros volebat; illum confutavit Sanctus Doctor cap. 9. & lib. 3. cap. 13. Id enim absque hæresi defendi nequit. Beatitudinem naturalem qui iis parvulis promittunt, adeo perfectam & desiderabilem quidam delirant, ut nihil ipsis desiderandum superesse existiment. Quam fidei Christianæ parum sit consona hæc opinio, & a Pelagianorum placitis parum distans, prima fronte intuetur quisquis prius christianæ religionis rudimentis est imbutus. Quid de illo parvulorum cum peccato originali obeuntium statu nobis sentiendum videatur, sequentia declarabunt.

ASSERTIO PRIMA.

Non minus fictitia est naturalis illa beatitudo quam parvulis non regeneratis per Baptismum nonnulli promittunt, quam a fide catholica aliena supernaturalis Beatitudo ipsis a Pelagianis olim concessa.

Quantum a fide catholica distent Pelagiani, beatitudinem supernaturalem, vitamque æternam, etsi diversam a Regno Cœlorum, parvulis in Christo non regeneratis concedentes, ostendunt tum superius relata Christi verba, tum illa quæ habentur eodem capite tertio: *qui credit in filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Neque enim parvulos non baptizatos aliquis inter credentes numerabit, ut ab illa damnatione eos eximat. Inter errores quos Pelagianis tribuit Concilium Milevitanum, is unus est apud Augustinum Epist. 92. *Pueri parvuli si nullis innoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt.* Cujus contrarium definit Concilium Florentinum sess. ult. dicens, *illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Ex quibus ostenditur beatitudinem supernaturalem, quam parvulis cum originali culpa vita functis promittebant Pelagiani, ecclesiæ catholicæ placitis esse contrariam.

Hinc est quod de hoc errore sic loquitur Hipponensis serm. 14. de verb. Apost. *Baptizandos quidem fatentur parvulos, sed non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum. Quid de vita æterna? habebunt,* inquiunt. *Quare habebunt? Quia nullum peccatum habent, & ad damnationem nullam pertinere possunt. Ergo est æterna vita extra Regnum Cælorum? Primus hic error avertendus ab auribus, exterpandus a mentibus. Hoc novum in ecclesia prius inauditum est, esse vitam æternam præter Regnum Cælorum, esse salutem æternam præter Regnum Dei.* Lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. *Non baptizatis parvulis,* inquit, *nemo promittat inter damnationem Regnumque Cælorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum, hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Et lib. 2. cap. 12. *Novellos hæreticos,* ait, *Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum, & sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter Regnum Cælorum.* Quænam autem fuerit, vel futura sit hæc vita æterna, supernaturalisque beatitudo quam pollicebantur infantibus Pelagiani,

incertum semper fuit, de illis scribente Augustino lib. de peccato orig. cap. 27. *Sine baptismo parvuli morientes* (dicit Pelagius) *quo non eant, scio, quo eant, nescio: id est, non ire in Regnum Cœlorum scio, quo vero eant se nescire dicebat aut dicit, quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam.* Ut quid ergo tanta cum sollicitudine parvuli baptizantur, si felicitate supernaturali ac æterna fruituri sunt, etsi peccati originalis vinculo minime liberati moriantur? Quod non nisi hæreticus potest defendere.

Fictitiam esse beatitudinem illam naturalem quæ hujusmodi parvulis a nonnullis promittitur, cujuscumque sit generis, ex eo evincitur, quod nullo rum ex scripturis aut ex Patribus nitatur fundamento hæc opinio. Erunt enim infantes cum culpa originali mortui, perpetuo sub diaboli potestate, super illos in æternum manebit ira Dei: quod cum fictitia illa beatitudine stare nequit. Qui vero illos, etsi culpa originali inquinatos, eruendos censent a diaboli potestate, unde illud habent? Non est certe hæc ecclesiæ catholicæ doctrina, quæ a servitute diaboli non aliter homines liberari posse quam per sacrum baptisma docet. Et quomodo supponunt illos esse ab hac diaboli servitute liberandos, quos peccato originali semper fore inquinatos concedunt? Illos ergo a reatu originali aliquando purgandos dicant, vel illos semper sub diaboli potestate relinquant: ideoque naturalem illam felicitatem, nullo nixi fundamento, non concedant; seque a Pelagianorum errore parum recedere advertant, vel sibi ipsis se esse contrarios agnoscant. Hæc enim naturalis felicitas eadem esse ac illa Pelagianorum videtur Theologis non paucis majoris notæ, existimantibus, non aliam felicitatem præter naturalem parvulis promisisse Pelagium, qui culpa originali immunes illos prædicans, sed a Regno Cœlorum, quia non baptizatos, sciens illos exules, in eo statu quo erat Adam ante peccatum illos constituebat, ut ostenditur tum ex Concilio Diospolitano, tum ex variis Augustini locis, ac eis ex consequenti servabat beatitudinem illam, quam consequitur carentia culpæ, quæque fuisset homini perseveranti in innocentia concessa, eique ut ejus statui connaturalis debita. Quod etiam dicere videntur, qui, licet a Pelagio discrepent in eo quod admittunt peccatum originale, ad eum tamen propius accedunt, dum felicitatem illam quam naturalem vocant, parvulis non baptizatis concedunt: quæ felicitas, si vera quædam reperiri posset absque Dei fruitione, foret a beatitudine Sanctorum in Regno Cœlorum parum dissimilis. Vana ergo est ac fictitia naturalis hæc beatitudo, quæ decernenda supponitur parvulis, de quibus quæstio procedit. Illam acrius impugnare non juvat, quam tot & tantis bonis cumularent qui illam excogitarant, ut hanc hominibus carnalibus ac terrenis redderent desiderabilem, satis videntur impugnasse, omnique ex parte ipsi rationi improbabilem eam effecisse.

ASSERTIO SECUNDA.

Verisimilius videtur parvulos cum solo peccato originali decedentes pœnam sensus seu ignis non esse passuros, bene vero internum animi dolorem ex pœna damni, beatificæque visionis privatione esse experturos.

Parvulos sine baptismo vita functos mortis æternæ pœna esse damnandos probatum manet ex iis

quæ

quæ diximus, opinionem, vel potius dicam errorem Pelagianorum de Beatitudine supernaturali quam parvulis illi concedebant impugnantes. Nec ullus est inter Catholicos, qui de eorum, qui cum originali reatu obeunt, damnatione ambigat. Illos autem non esse passuros pœnam ignis ac sensus, verisimilius existimamus. Pœna sensus ac gehennæ perpetuæ cruciatus actuali peccato debetur, originali vero visionis beatificæ privationem seu pœnam damni dumtaxat deberi, colligi potest ex capite *majores* lib. 3 decretalium. Quod confirmare videntur iis quæ habentur Apocal. cap. 18 *Quantum se glorificavit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*, ubi proportio statui videtur inter delectationem orientem ex peccato, & pœnam quæ illi debetur. Cum ergo nihil fuerit parvulis delectationis ob culpam originalem, pœna sensus puniendi non videntur.

Ita sensisse Sanctum Gregorium Nazianzenum, oratione in sanctum lavacrum non leviter judicaverim. Is enim de triplici hominum absque baptismo decedentium genere loquens, quorum alii illum non susceperant ob contemptum, alii ex negligentia, infantes vero illo caruerunt ex aliorum negligentia, postquam de pœnis hominum primi, & secundi generis pronunciavit, de parvulis sic loquitur: *Postremi denique nec cælesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficientur, utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint quam fecerint. Neque enim quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem quoque meretur. Quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam pœnam promeretur.* Nec dici debet, minus probari ex verbis Sancti illius Doctoris, ita ut parvulos omni pœna liberos dicere videatur. Pœnam enim admittit damni, dum illos ob baptismi carentiam cœlesti honore indignos affirmat, pœnam sensus, & ignis, quæ propriè debetur improbitati, ab illis removens.

Hanc assertionem nostram tenet Doctor Subtilis in 2 dist. 33 dicens quod hæc videtur magistrorum esse sententia, quod damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, puta ignis quia nullam delectationem inordinatam habuerunt, cui delectationi correspondeat acerbitas ignis affligentis, ut propria pœna. Quod justitiæ divinæ ac bonitati ut ita sit, congruere existimat. Hinc est quod propriæ sententiæ adhærens Scotus, dum opponitur Augustinus, pœnam quam patiuntur parvuli non baptizati designans per ignem æternum, combustionem æternam, locum tormentorum, aliaque id genus, pœnam sensus, & ignis significantia, velit Hipponensem non esse litteraliter intelligendum, quod dixit post Doctorem Seraphicum. Quapropter argumentum ex Augustino desumptum sic resolvit loco laudato hæc habens. "*Respondet*
„ Divus Bonaventura dicens, quod
„ Augustinus excessive loquitur de
„ illis pœnis, sicut frequenter faciunt Sancti; quia aliqui dixerunt illos nullam habere culpam,
„ & ita nullam pœnam: quia secundum Philosophum, licet in moribus via deveniendi ad medium
„ est aliqualiter procedere ultra medium, versus extremum aliud.
„ Ita frequenter Sancti extirpando contra se hæreses pullulantes
„ excessive locuti sunt, volentes declinare ad aliud extremum, &
„ ita multum ponderandum est contra quos hæreticos sancti sunt locuti; aliter posset dici, quod
„ æterni ignis supplicio quod est in
„ igne æterno, sunt cremandi, id
„ est

„ est, sunt puniendi pœna damni, „ & non pœna sensus. " Idem dixerat Doctor Angelicus quæst. 5. de malo his verbis. *Pœnæ ignis, tormenti, supplicii, gehennæ, vel si quid simile in dictis Sanctorum invenitur, est large accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere*. Et in 2. dist. 33 quæst. 2 art. 1. supplicium non nominat in auctoritate illa pœnam sensibilem, sed solum pœnam damni, quæ est carentia divinæ visionis, sicut etiam nomine ignis frequenter in Scriptura quælibet pœna figurari consuevit. Hoc ex Angelico, & Subtili sic statuto, facile respondetur auctoritatibus Sanctorum Patrum, quæ pœnam sensus corporisque cruciatum, parvulis absque baptismo decedentibus decernere videntur. Nec cuiquam quod sic Patres intelligat, temeritati aut insufficientiæ verti potest, cum Magistros sequatur.

Posset fortasse præsens assertio firmari auctoritate Divi Augustini lib. 5. contr. Julian. cap. 8. *Ego autem*, inquit, *non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret. Aliud alio tolerabilius in die judicii punietur; quis dubitaverit parvulos non baptizatos qui solum habent originale peccatum nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent quam ut ibi essent potius expediret*. Ubi Sanctus Doctor noluit affirmare, parvulos illos pœna sensus plecti, sed in genere pœnam aliquam esse passuros. Aliunde circa speciem supplicii, quod in altera vita parvulos non baptizatos manet, anceps satis fuisse videtur Hipponensis, ut testantur ea quæ habet epist. 28. ad Hieronymum. *Sed cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis mihi crede coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio, non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine christianæ gratiæ Sacramento, sed eas ipsas quæ in hac vita*, &c. Non diffitendum tamen, multa esse loca Sancti illius Patris, in quibus expresse significet, parvulos illos pœna ignis vere esse torquendos. Et gratis in contrarium nonnulli argumentantur ex libro tertio de libero arbitrio cap. 23. ubi dicit, metuendum non esse, *ne vita potuerit esse media quædam inter recte factum atque peccatum, & sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium*. Id enim nihil facit ad propositum, cum de originali peccato, aut de pœna ipsi debita, contra Manichæos agens, ibi nullam faciat mentionem Augustinus, cujus ibi sit scopus consulat unusquisque rem mature ponderans, & quisquis mentem illius detexerit, statumque attigerit quæstionis, mirabitur quod hunc textum in præsenti discrimine attulerit, ut magni ponderis, Cardinalis Bellarminus, eo utens majori cum fiducia, quod dicat hanc sententiam nusquam retractasse quod legerit Augustinum. Ut quid retractaret ea quæ ibi dixerat, cum nihil habeant culpandum? Nihilominus horum meminit lib. 1. Retract. cap. 9. de libris loquens, quos de libero arbitrio scripsit adversus Manichæos, dicitque, se in iis non fuisse locutum ex sensu Scripturarum admisso peccato originali, neque de pœnis illius, sed secundum naturam ipsam, more Manichæorum, quos ex propriis eorum principiis impugnat Augustinus. Sicque se gerebat, quia ut observat, illi non accipiebant Scripturas veteris instrumenti, in quibus peccatum originale narratur. Cum igitur,

pœnam

pœnam ignis a parvulis absque baptismo mortuis removendo, illos non nisi pœna damni plectendos existimans, Augustinum a partibus nostris non stare, non sine gravi fundamento judicaverim, sententiam illam verisimiliorem dixi. Neque enim illam absolute certam pronunciarem, ex eo quod, in quæstionibus, quæ licet non pertineant ad fidem, aliquem tamen ad illam ordinem dicunt, aliquid ut certum opinione Theologica statuere, cui repugnare Augustinum perspicue satis appareat, Theologum quemcumque dedecere semper fuerim arbitratus.

Parvulos absque baptismo decedentes, qualicumque beatitudine carentes, *internum* animi dolorem, qui a pœna damni seu beatificæ visionis privatione separari nequeat, esse experituros, ex quo in statu damnationis æternæ sint, merito affirmatur. Illos in infernum descendere, sicut, & eos qui in actuali mortali peccato moriuntur, pœnis tamen disparibus puniendos, in Concilio Florentino definitum jam vidimus. Aliunde quotquot in Christo non renascuntur, æternum damnari clare significant hæc Apostoli ad Rom. cap. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Ex hac autem condemnatione, ob quam a Deo perpetuo separabuntur, interno dolore illos affici, quis cum aliquo fundamento posset negare? Hunc a tali sententia revocet Augustinus sic loquens enchiridii cap. 112. *Perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcidinis Dei quam abscondit timentibus se, perficit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari*. Hunc mærorem exules a cœlesti beatitudine certissime experturos infantes illos affirmat multis in locis adversus Pelagianos, pro quibus audire sufficiat ea quæ habet lib. 6. contr. Julian. cap. 4. vel 11. *Si hæc ita non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantum amabunt. Quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patientur?*

Et revera, qua ratione dici posset, parvulos numquam Deum per ipsius visionem possessuros, illa beatitudine fraudatos, perpetuo non angi dolore? Si ex beatificæ visionis carentia non oritur necessario in illis dolor, & afflictio, quomodo pœna aut damnatio reputari potest? Nisi diceretur, illos ignorare, & causam suæ damnationis, & bonum ineffabile quo privantur quod utrumque non minus absurdum, quam in bona Theologia parum tutum dixerim. Tam parvulorum absque baptismo decedentium, quam aliorum hominum cujuscumque ætatis, finis ultimus est Deus: in illum ergo ex innato humano cordi impetu ferantur necesse est. Cum igitur Deum quo frui semper desiderabunt, nunquam sint possessuri, ipsos a desiderio fraudato tristitiam incurrere est absque dubio. Nec probanda nobis videtur ratio eorum qui volunt, parvulos hujusmodi non dolere de bono amisso, vel quia non propria culpa illud amiserunt, vel quia eodem tempore cernent damnatorum adultorum tormenta quæ evaserunt, ex quorum intuitu a dolore ob bonum amissum temperabunt. Illud enim admitti nequit, & gratis dicitur. Ideo enim, quia illud summum bonum aliena culpa perdiderunt, & illud obtinere in ipsorum non fuit potestate, vehementius dolebunt, se aliunde creatos sentientes pro summo bono, quod Deus est, possidendo.

Nec

Nec illorum dolori medelam afferent supplicia adultorum, quæ cum supernaturalis gratiæ adjutorio fugere poterant, quin potius ex hoc capite acerbius tristentur. Non plus arridet illorum ratio qui existimant, ideo illos non molestari ob visionis beatificæ privationem, quia intelligent se nullam habuisse proportionem ad illam, ob gratiæ, carentiam & non usum liberi arbitrii. Nihil officit quod usi non fuerint libertate, sicut ad felicitatem illam consequendam non potuit prodesse idem non usus liberi arbitrii, parvulis, qui post susceptam baptismi gratiam extincti sunt. Quare aut non dolerent (dato quod intelligant se nullam habuisse proportionem ad illam felicitatem, quod ulterius esset probandum) pro certo habentes se a tanto bono excidisse, magis aliena culpa quam sua, cum illud multi possideant magis merito alieno, nempe Christi, quam suo? Illos igitur summo dolore affici qui mortui sunt absque baptismo, ob privationem beatificæ visionis, etiam ratio ipsa ostendit.

Vel forte non advertunt qui pœnam damni ab omni animi dolore liberant, opinionem illam existentiæ peccati originalis aliquo modo videri contrariam. Sublato enim illo dolore animi non intelligitur, ut dictum est, quo pacto pœna damni seu carentia beatificæ visionis, nomen pœnæ habeat, possitque reputari supplicium. Dempto autem supplicio, sublata pœna, tollitur & peccatum originale, ex eo quod omni peccato proprie dicto, & tale est originale, correspondeat pœna proprie dicta. Quod non ignorantes Pelagiani, parvulos absque baptismo defunctos ab omni pœna liberos volebant, licet illos a regno cælorum exulare conniterentur. Quapropter de pœnis quas patiuntur infantes illi in altera vita, sæpe Augustinus loquitur, & ex iis argumentatur, ut veritatem peccati originalis agnoscant. Et hæc fortasse fuit potissima ratio, cur ille graves adeo dixerit pœnas parvulorum, ut si pœnas illas ab ipsis tolerandas considerent, peccatum, ob quod illæ infliguntur, non negarent. Et quare supplicium subire non deberent parvuli? Quia inculpati? & illud præcise volebant Pelagiani. Unde parvulos non baptizatos non dolere de privatione beatificæ visionis qui defendit, ab illorum errore circa peccatum originale non satis recedere dici potest. Quod satis est ad falsitatem hujusce opinionis ostendendam.

Quæ objiciuntur adversus nostram assertionem, referre aut solvere non vacat. Si directe illam impugnent, iisse satis per ea quæ jam diximus. Si vero extra propositum sint, non est cur eis ulla responsio adhibeatur.

Quæritur, quonam in loco parvuli absque baptismo defuncti a Regno Cælesti exules, & consequenter beatifica visione privati, in æternum sint permansuri.

Resp. Æternam mansionem illis parvulis certo assignare quis auderet, nihil circa illam Ecclesia definiente? infantes non baptizatos, qui reducentur in fine sæculorum universali judicio, non districtionis, quia nihil proprium habent boni aut mali, sed manifestationis adfuturi, ut sententiam supremi judicis audiant causamque suæ damnationis agnoscant, cum reprobis & dæmonibus collocat in inferno Sanctus Augustinus, idque expresse adeo, ut de illius mente circa locum dubitandi nulla sit ratio, etsi, ut diximus, de specie pœnæ aliquantulum ambigi possit. Lib. 1 de peccat. merit. & remiss. cap. 28 hæc scribit: „ Nec est „ ul-

„ ullus alii medius locus ut possit „ esse nisi cum diabolo, qui non „ est cum Christo. Hinc & ipse „ Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam „ nescio quam medietatem, quam „ conantur quidam parvulis non „ baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita „ æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in „ regno ejus, definitivam protulit „ ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait, qui mecum non „ est, adversum me est “. Fortius adhuc loqui videtur adversus eosdem Pelagianos, serm. 14. de verbis Apost. „ Nullus relictus est „ medius locus, inquit, ubi ponere „ queat infantes. De vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad „ dexteram, alii ad sinistram, non „ novi aliud. Si ergo dextera est „ & sinistra, & nullum medium „ locum in evangelio novimus, „ ecce in dextera Regnum Cælorum est. percipite, inquit, regnum: qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? „ Ite in ignem æternum “. Ab his dissimilia non sunt ea quæ leguntur lib. 5. Hypognosticon. Quod opus si non est Augustini, auctoris est antiquissimi & doctissimi, omnibus consentientibus. Ille autem quisquis sit, de locis cuilibet in æternum assignandis disserens contra Pelagianos sic loquitur. „ Primum locum fides catholicorum divina auctoritate regnum „ credit esse cælorum, unde, ut „ dixi, non baptizatus excipitur. „ Secundum, gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide „ alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis invenimus. Finge „ Pelagiane locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a „ Christi gratia vitam requiei & „ gloriæ possidere parvuli possint. Et iterum, „ Qui baptizatus non „ est in iis quæ Regni Cælorum „ sunt non potest reperiri. Ergo „ non ibi, quia vere non ibi, „ putasne Pelagiane, jam sentis „ ubi, aut certe dic ubi “? Et tandem de Regno Dei, quod est regnum omnium sæculorum dicens, addit „ In parte vero gloriæ sanctorum & beatitudinis „ vitæ æternæ divisum a gehenna dici tantum potest, unde „ impii & peccatores omnisque „ non baptizatus est separatus, & „ parti gehennæ est mancipatus. Quæ omnia cum consona sint omnibus scripturæ locis, in quibus de judicio agitur, ubi alii ad dexteram, alii ad sinistram collocabuntur, illi regnum æternum consecuturi, isti in ignem æternum directuri, quid opponi possit difficile invenitur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Ex doctrina peccatum originale in omnes Adæ posteros propagatum ut Christianæ fidei dogma defendente, tot ac tantis linee voluminibus consignata, scandalum contra Deum quod sumpserint Sociniani, existimantes illud primi hominis peccatum maximam in creatore arguere imperfectionem, ac summæ ipsius justitiæ repugnare, quod per unius delictum peccatores constituantur quicumque ex eo habent originem, non est quod miremur. Qui enim de protoparentis lapsu, totiusque naturæ per illum depravatione, catholice rectèque sentirent homines, qui Religionem Christianam e medio tollere cupientes, eo devenere amentiæ, ut divinam omnem revelationem negantes, nihil nisi sit evidens pro certo habere, & quidquid intellectus humani captum superat, tamquam fal-

falsum respuere glorientur. Sed numquid incredulitas illorum fidem nostram evacuabit? absit. neque enim futilibus vanæ philosophiæ argumentis infirmari veritas potest; & dum sibimetipsis volunt videri sapientes, facti sunt insipientes, adeo ut ipsos scrutantes scrutationes suæ defecisse neminem latere possit. Sublimia Christianæ fidei arcana, quæ a sapientibus & prudentibus sunt abscondita, & parvulis, quorum infirmitatem lumine revelationis Deus adjuvat, revelantur, sola ratione duce investigare qui tentabit ab illorum magnitudine brevi opprimetur. Peccatum originale in omnes homines transfusum mysterium esse ad cujus intelligentiam insufficiens est humana mens quis ignorat? De illius ergo existentia ac propagatione, quarum invictissimum extat argumentum Socinianorum eisque consentientium incredulitas, non ex cæcutientis rationis arbitrio judicemus, sed ex sacrorum librorum testimoniis, sanctorum Patrum concordissima auctoritate, Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, quæ sunt ut certissima ab omnibus tenenda, habeamus. Deo, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, quid pro redemptione quam misit nobis, ut nihil nisi volentibus nocere possit Adæ peccatum, debeamus nusquam immemores, illum suppliciter exoremus, ut iis qui alienati a fide credunt mendacio, veritatis suæ lumen ostendat, ut & ipsi, quam nos profitemur fidem aliquando agnoscentes, gratiæ quæ per Christum facta est fructum, a peccato liberati consequantur.

SECTIO TERTIA.

De peccato personali.

Etsi peccatum originale, ut constat ex iis quæ sectione præcedenti dicta sunt unicuique nostrum personale non improprie sit, illud strictiori sensu peccatum dicitur personale, quod ex propria cujuslibet voluntate proficiscitur, & in alienam non potest refundi voluntatem. De illo peccato, de quo dicit Apostolus Joannes, *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est* etenim *quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas*, inquit Augustinus, lib. de perfectione justitiæ de hoc, inquam, peccato, quod in præsenti tractemus ordo doctrinæ postulat, quod paucis, in quantum fieri potest, absolvetur.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quid, & quotuplex sit peccatum personale.

Omne peccatum voluntariam esse legis transgressionem in principio dictum est. Unde cum Augustino, illud proprie peccatum vocamus, quod libera voluntate a sciente, aut debente cognoscere committitur. De multiplici peccatorum specie, quæ ad infinitum usque protendi potest, quæstio præsens non procedit, sed ad genericam, & veluti primigeniam peccati personalis divisionem attendimus, ex qua valeat dignosci cujusnam sit generis quodlibet peccatum, a varia illius specie præscindendo. Intentum declarabit sequens assertio.

ASSERTIO UNICA

Triplex potissimum assignatur peccati personalis divisio.

Illud enumeratione ostenditur. Primo, quodcumque peccatum est vel commissionis vel omissionis, duobus enim modis constat omne peccatum, juxta illud quod habetur apud Augustinum ibidem, si aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur. In hoc conveniunt peccatum commissionis, & peccatum omissionis, quod utrumque sit legis transgressio voluntaria, & illud est pro genere; & in hoc differunt quod unum opponatur præcepto negativo, alterum vero præcepto positivo advertetur, quod est pro differentia. Nullum esse potest peccatum quod in hac duplici classe non contineatur. Secundo, omnis violatio legis, sive præcipientis, sive prohibentis, est in materia gravi, vel in re levi: si sit in materia gravi, spoliat animam gratia sanctificante, illamque morti æternæ obnoxiam reddit, & dicitur peccatum mortale: si sit in materia levi, charitatem non extinguit, hominem non avertit a Deo, nec amicitiam inter utrumque dissolvit, & vocatur peccatum veniale. Nullum adhuc peccatum est, quod non sit unum aut aliud. Tertio, quodlibet peccatum est actuale vel habituale. Primum est ille actus per quem violatur lex, dum illud fit quod vetatur, vel dum omittetur quod jubetur, illeque actus sive sit externus, sive sit internus, est transitorius, & ex illo actu qui transit, vel ex illa legis transgressione actuali, remanet in anima macula quædam per modum habitus, donec per gratiam culpa remittatur. Ille reatus, quo durante æterno supplicio dignus est homo, illa macula, qua durante homo est Deo odibilis, vocantur peccatum habituale, tandiu in homine perseverans, quandiu per sufficientem dolorem non tollitur, & per Dei misericordiam non condonatur. Ad cavendum, non hic sumi habituale pro vitioso habitu formato ex repetitis actibus malis, per quem ad tales actus homo fit propensior: ille enim melius dicitur peccatum habitudinis quam habituale. Ad triplicem illam divisionem refertur omne peccatum, cum nullum omnino possit reperiri quod de illa non participet.

Hæc dicta est peccati personalis præcipua divisio, cum aliæ sint adhuc peccatorum subdivisiones. Sunt enim peccata ignorantiæ, peccata ex prævia deliberatione, peccata ex infirmitate. Alia sunt peccata in Deum, alia in proximum, alia in seipsum. Alia sunt peccata oris, alia cordis, alia operis. Sunt etiam quædam quæ vocantur peccata carnis, peccata spiritus nonnulla dicuntur. Aliis, quæ ex variis oriuntur accidentibus, quæque innumera reperiri possunt, supersedemus, cum in quacumque peccatorum summa fuse describantur.

QUÆSITUM SECUNDUM.

An, & quomodo peccatum mortale a veniali distinguatur.

Peccata alia esse aliis graviora nullus catholicus diffitetur, & ex eorum inæqualitate admissa necessario sequitur. Discrimen ne sit mortale inter & veniale, & unde oriatur discrimen illud hic investigamus. Quæcumque in hac materia delirantes dixerunt heterodoxi omnia peccata esse paria existimantes, vel omnia esse ex natura sua mortalia, sed in electis

ex

ex Dei misericordia esse venialia contendentes, omittenda censemus, cum sæpe sæpius a Controversistis, contra Vvicleffum, Lutherum, Calvinum, aliosque sectarios fuerint doctissime simul & invicte impugnata. Quid inter utrumque peccatum illud reperiatur discriminis sciendum est, quo facilius in praxi varia peccata secernantur.

ASSERTIO UNICA.

Peccatum mortale & veniale inter se distinguuntur. Primum legem Dei transgrediens in re gravi, dissolvit amicitiam cum Deo: secundum vero quod est in re levi, vel in quo legis transgressio non est vere voluntaria, charitatem non extinguit: unde mortali pœna æterna debetur, non autem veniali.

Mortale peccatum & veniale inter se distingui ex eo ostenditur, quod multa committantur a justis peccata quin tamen desinant esse justi. Cum autem primus peccati mortalis effectus sit privatio justitiæ habitualis, ex qua necessario homo constituitur aversus a Deo, ipsique inimicus efficitur, sequitur peccatum illud distingui ex natura sua ab illo quod non dissolvit amicitiam cum Deo, & veniale vocatur. *Non est homo justus in terra qui non peccet. Septies in die cadet justus & resurget*, inquit scriptura. Unde dicit Concilium Mileviranum can. 7. anathema dicenti, Sanctos in præsenti vita dum in oratione dominica dicunt *dimitte nobis debita nostra* non pro se ipsis hoc dicere, quia jam non eis necessaria est ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores, ita ut pro aliis potius quam pro se petere intelligantur. Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 11 hæc habet: *Licet in hac mortali vita quantumvis justi & Sancti in levia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est & humilis & verax: dimitte nobis debita nostra.* Apostolus Joannes se seducere illos qui dicerent esse absque peccato scripserat, & de justis loquebatur. Ex quibus evincitur multa esse peccata quæ non dissolvunt amicitiam cum Deo, & quibuscum stat justitia, proindeque illa vere distingui ab illis, quæ mortem animæ inferunt.

Hanc inter mortalia & venialia differentiam semper agnovisse Sanctos Patres innumeris eorum testimoniis ostendi posset. Pro iis omnibus Origenem & Augustinum laudabimus. *Unusquisque pro qualitate & quantitate peccati diversam mulctæ sententiam expendit*, inquit Origenes hom. 35 in Lucam. *Si parum est quod peccas, ferveris damno minuto, quia necesse est hoc ipsum solvere quod debes.* Ecce distinctionem peccatorum qualitate & quantitate cui correspondet mulctæ varietas, his Origenis verbis distincte memoratam. Audiamus Augustinum venialia a mortalibus distinguentem. *Quamvis diabolus sit auctor & princeps omnium peccatorum*, inquit lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. *non tamen filios diaboli faciunt quæcumque peccata. Peccant enim & filii Dei, quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt & veritas in eis non est. Sed ea conditione peccant qua sunt filii adhuc hujus sæculi.* Quid aliud intelligi potest per illa peccata, quibus filii diaboli fiunt qui ea committunt, quam peccata mortalia, a quibus certe distinguuntur illa quæ peccant filii Dei conditione naturæ, quin desinant ob illa filii esse Dei? Ita

simi-

similia habet lib. de natura & gratia cont. Pelagii cap. 38. ubi de peccatis levissimis, quæ nos venialia appellamus, & a quibus non sunt in hac vita liberi homines sancti, mentionem facit. *Hunc vitiosæ affectionis appetitum qui magna ex parte frænaverunt*, inquit, *ut non obedirent desideriis ejus, nec exhiberent ei membra sua arma iniquitatis, etiam justi appellari meruerunt, & hoc adjutorio gratiæ Dei. Verum quia sæpe in levissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & justi fuerunt, sine peccato non fuerunt.* Ex quibus colligitur, peccata illa esse ex natura sua venialia, & non solum ex misericordia creatoris, sicut peccata, quæ homines efficiunt filios diaboli, ex natura sua sunt mortalia. Et hujusmodi sunt illa de quibus loquitur Apostolus epist. 1. ad Corinth. cap. 6. his verbis. *An nescitis quia* inquit *Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.* Quæ omnia, & his similia, mortem animæ inferunt, & nisi per pœnitentiam, Dei misericordiam remittantur, talia operantes excludunt a Regno Cælorum.

Discrimen autem quod peccata venialia inter & mortalia intercedit, petitur ex eo quod per peccatum mortale, in quo est transgressio voluntaria ac deliberata divini præcepti in materia gravi, dissolvitur amicitia hominis cum Deo, quæ stare nequit cum caritia, vel privatione justitiæ habitualis, ac gratiæ sanctificantis. Unde cum per talem offensam, seu legis in re gravi transgressionem, homo avertatur realiter a Deo, autorem pœnam æternam, quæ tali peccato debetur ex Dei justitia, dicente Apostolo de quolibet hujus generis peccato, *stipendia peccati mors*. Per peccatum veniale, quod non est transgressio legis nisi in re leviori, quæque transgressio non est plene deliberata, nec totaliter voluntaria, non extinguitur charitas, neque absolute loquendo minuitur, quia peccata levia & venialia illam non attingunt. Quapropter homines justi, ut diximus ex Tridentino, ob illa non desinunt esse boni & justi; neque illis pœna debetur æterna, quæ solis peccatis quæ sunt ad mortem debetur. Unde falsum apparet quod voluere heterodoxi, scilicet peccatum esse veniale quia Deus non illud imputat ad reatum mortis æternæ, sed potius ideo ad reatum illum a Deo non imputatur, quia est ex natura sua veniale, ex eo quod non sit absolute loquendo contra legem divinam, ad cujus omni ex parte observationem, etsi venialia admittat homo, inclinatur ob gratiam sanctificantem, cui essentialiter unitur charitas, quæ omnia quæ sunt diligenda complectitur, & cuncta quæ a lege præcipiuntur observanda diligit. His autem venialibus peccatis debetur pœna quædam temporalis, qua justitiæ divinæ ac majestati, etsi in levioribus, læsæ tamen, satisfit, quod per varia pietatis opera a sancta charitate informata, exequitur vir justus ac timens Deum, cui nec etiam in minoribus vellet displicere.

Ex gravitate igitur aut levitate materiæ, attenta voluntatis dispositione, peccati mortalis ac venialis petenda est differentia quæ inter utrumque potest reperiri. Illæsa remanente charitate si quædam sit legis transgressio, hæc venialis esto. Parva etsi videretur violatio legis, sive præcipientis, sive prohibentis, ubi extinguitur cha-

charitas, illam mortalem pronunciare non formides. Nec aliquod discrimen inter peccatum veniale & mortale admittere dicendi sunt, qui illud repetunt ex eo quod unum sit Dei offensa, non vero aliud, vel ex eo quod mortale sit contra præceptum, veniale autem contra consilium: illud enim gratis & improbabiliter proferetur. Peccatum veniale est offensa Dei, & contra præceptum, non minus quam mortale, licet non eodem modo, nullum est peccatum, quantumvis leve supponatur, quod Deum aliquomodo non offendat, aut non adversetur illius voluntati, quæ est suprema lex & universalis. Si non esset Dei offensa peccatum veniale, illud neque temporaliter puniret Deus, ut certum est quod illud punit. Et si non esset contra præceptum, non esset peccatum, quod nullum esse potest ubi non est legis transgressio voluntaria, cum illud sit essentiale, ut ita dicam, constitutivum peccati qualiscumque, ut indubitatum omnibus est ex prima & universali peccati definitione. Unde si ab aliquo repetatur veniale peccatum ex eo quod consilio opponatur, illud lato modo, vel etiam improprio dicitur, in quantum per consilium intelligitur id quod præcipitur ut utile ad finem, & ad illum indirecte conducens, cum ex opposito præcepti nomine intelligatur illud, quod præcipitur ut medium necessarium ad finem, vel salutem, ad quam omnia Dei præcepta & consilia ordinantur. Et juxta sensum hunc intelligendus est Doctor Subtilis, dum in 2. dist. 21 quæst. 1 de peccato mortali & veniali loquens ait: *In hoc distinguuntur quod peccatum mortale est deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio sit. Alia est ordinatio quæ potest esse respectu finis sequendi, quæ non est necessaria, sed utilis, quæ non est de præcepto, sed potius de consilio. Deordinatio opposita huic est peccatum veniale.* Et ille modus loquendi Scoti, etsi prima fronte nobis videatur contrarius, nihil tamen dicit quod affectioni nostræ adversetur, quin potius. Quod ita verum est, ut illi qui literaliter Scoto adhærent, & inde peccati mortalis & venialis differentiam desumunt, velint quod si consilium de quo loquitur, excluderet omne præceptum, nullam induceret culpam, quæ necessario dicit pugnantiam cum lege. Unde concludunt ex Doctoris principiis, quod peccatum mortale describi potest, deordinatio a lege præscribente aliquid necessarium ad finem ultimum consequendum: veniale vero, deordinatio a lege præscribente aliquid, tanquam utile ad illum finem. In utroque autem est lex præscribens, quod assertionem roborat. Illud erat observandum simul & exponendum, ne a malevolis ut a Doctore recedentes carperemur. Quod si in aliquibus eveniret, si ut ab illo discreparemus convincens ratio induceret, id nobis injuriæ verti posse nihilominus non judicaremus. Quæcumque ab Hæreticis inter venialia & mortalia peccata non distinguentibus contra admissum discrimen posset opponi, tam ex Patribus quam ex Scriptura Sacra, facile solvuntur, si illorum testimonia in vero sensu eorum, ut ab ecclesia sunt intellecta sumantur, quorum nonnulla exposuimus ubi egimus de inæqualitate peccatorum.

Quæritur. Utrum peccatum veniale possit fieri mortale, & similiter an mortale possit fieri veniale.

Resp. Quoad utrumque negative. Neque enim aliquid probant qui

qui partem tenent affirmativam, ut apud illos videre est, sed neque ipsam quæstionem attingunt. Non quæritur utrum ille actus qui est peccatum veniale vel mortale, mutatis circumstantiis, alio addito fine, accedente majori vel minori consensu, vel advertentia ex parte voluntatis, operante aliter affectu, uno verbo mutatis accidentibus, quæ peccatum tale vel tale constituunt, possit in aliud converti; vana esset & puerilis alia quæstio, cui respondere esset superfluum, ex eo quod per se pateat. Sed quæstionis status est, an actus ille numerice manens idem, ex veniali fieri possit mortale & vicissim. Quod possibile non esse ratio dictat, ex eo quod ut dicitur, idem remanens idem non potest non esse idem, quod ulterius qui probare intenderet, rem per se notam probandam susciperet. Verum tamen est peccatum quod ex natura sua est veniale, per accidens fieri mortale, ratione circumstantiarum, & juxta diversam operantis dispositionem, ut accidit, dum aliquis venialiter peccat ex contemptu, vel cum scandalo, sed tunc non est idem actus, sed diversus, ut nemo non videt.

Hinc colligendum, ex multis peccatis venialibus non fieri posse unum mortale, quia ut dicit Doctor, peccatum veniale & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiæ vel offensæ, & ideo infinita venialia si essent, non æquarentur uni mortali, quia illa omnia non averterent a fine ultimo sicut unum mortale. Unde dicit S. Thomas, quod omnia peccata venialia non possunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale. Non inde tamen quis judicet contemnenda peccata venialia. Etsi enim charitatem non extinguant, illius fervorem imminuunt, & ex illis leviter & absque dolore multiplicatis, ita potest imminui fervor, ut in mortalia peccata facilius cadat homo, juxta illud Eccli. cap. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet*. Unde dicebat Sanctus Gregorius Papa, dum curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus. Et in hoc sensu sunt intelligendi Sancti, quando dicunt peccata levia & minuta si negligantur occidere, in quantum hominem disponunt, & veluti inclinant ad mortifera perpetranda. Hinc est quod qui suæ salutis æternæ est studiosissimus, veniales culpas, leviaque peccata summa cum diligentia caveat, ne sibi relictus a justitia tandem recedat.

QUÆSITUM TERTIUM

Quid sit peccatum habituale, & in quo ab actuali differat.

EX jam dictis peccatum habituale remanet in anima, transacto actuali, donec macula illius seu reatus, quo durante homini peccatori debetur pœna æterna, per debitam satisfactionem, Deique gratiam tollatur & condonetur. Iniquitatem & malitiam totam esse in peccato actuali certissimum est, & ab illo realiter non distinguitur habituale, eo sensu quod sit aliud peccatum: si enim prius non fuisset peccatum actu, non posset remanere habitu. Unde videtur esse peccatum habituale idem peccatum actuale, etsi præteritum, moraliter perseverans quandiu per gratiam sanctificantem ab anima non expellitur.

A s-

ASSERTIO UNICA.

Peccatum habituale est ipsum actuale peccatum moraliter in voluntate perseverans donec dimittatur, ab illo solum penes durationem differens, unde reatu actualis dimisso habitualis dimittitur.

HÆc videtur esse Doctoris Subtilis sententia dum dicit in 4. dist. 14. quæst. 1. quod postquam transiit actus tam intrinsecus quam extrinsecus, manet Injustitia habitualis; sed ab illa sola non dicitur quis peccator. Et merito quidem; nam homo constituitur peccator per injustitiam actualem seu peccatum actuale, peccatum enim est injustitia, quæ si non præcessisset actualis injustitia, nihil esset unde fieret habitualis injustitia. Sic verbi gratia, qui furatur centum nummos, eo tempore quo illos furatur, actus ipsius dicitur, & est furtum actuale, toto autem tempore quo cessat a restitutione, ipsius injustitia qua rem alienam retinet, dicitur furtum habituale, idest continuatio seu perseverantia actus illius per quem formaliter constitutus est fur, & talis reputatur donec per restitutionem ab illa injustitia ex rei alienæ detentione cessaverit. Nihil aliud in peccato habituali concipi potest præter moralem hanc perseverantiam in voluntate peccatoris, primi illius actus transitorii per quem legem transgressus est: quæ legis transgressio moraliter durat, donec reatus ejusdem dimittatur, & macula, quæ ex illa remanet in anima, ob quam Deo est odibilis, abstergatur. Unde penes durationem duntaxat discrepare videntur peccatum actuale & peccatum habituale, quæ aliunde quantum ad suum esse reale hominem injustum constituens, sunt absolute unum & idem. Hinc est quod dimisso per gratiam peccato actuali, necessario dimittitur & peccatum habituale, cum reatus perseverans per quem habitualiter peccator denominatur, dimisso peccato deserit esse, & sic nullo modo possit quod remaneat ille habitus quando amplius non subsistit illud in quo fundabatur, ut accidit quando remittitur peccatum cum reatu, de quo nihil superest ipso peccato jam dimisso. Ex quo patet a vero distare illos, qui habituale peccatum dicunt nihil aliud esse quam ordinationem ad pœnam. Si enim ex impossibili Deus pœnam illam in vindictam peccati actualis non ordinaret, nihilominus, actuali peccato commisso, subsisteret macula illius, & in statu peccati perseveraret homo habitu, donec peccatum remitteretur; quod verum non esset, si peccatum habituale consisteret in sola ordinatione ad pœnam.

Assertionem nostram confirmant ea quæ alias retulimus ex Divo Augustino dicente, quod transeunte peccato quantum ad actum, remanet reatus donec dimittatur, quæ reatus permanentia, quæ est veluti actus transeuntis continuatio, non immerito a nobis dicitur peccatum habituale. Sanctum Doctorem audiamus lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 26. „ Sicut eorum peccatorum quæ manere „ non possunt quoniam cum fiunt „ prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur in æternum manebit, sic illius concupiscentiæ quando remittitur reatus aufertur. Hoc est enim non „ habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam, „ verbi gratia, fecerit adulterium, „ etiam si nusquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec „ reatus ipsius indulgentia remit-

Pp „ ta-

Exercit. Theol.

„ catur. Habet ergo peccatum, „ quamvis illud quod admisit jam „ non sit, quia cum tempore quo „ factum est, præteriit. " Quod ut confirmet Hipponensis, & ex eo fortius argumentetur contra Pelagianos, verba Scripturæ commemorat, quibus etiam præsens nostra sententia roboratur; & sic prosequitur. „ Nam si a peccando desistere hoc esset non „ habere peccatum, sufficeret ut „ hoc nos moneret Scriptura, *fili peccasti, non adjicias iterum*. „ non autem sufficit, sed addidit, „ *& de pristinis deprecare, ut tibi remittantur*. Manent ergo „ nisi remittantur. Sed quomodo „ manent si præterita sunt, nisi „ quia præterierunt actu, manent „ reatu " Quis in manente illo reatu, peccati actu præterito, non videt peccatum habituale moraliter in voluntate perseverans, donec peccatum quod fuit aliquando actuale, dimittatur? Nec aliquid in contrarium quod movere nos debeat, adduci potest: unde in his diutius immorari non licet. Ad alia progrediamur.

QUÆSITUM QUARTUM.

An sit admittenda divisio peccati in philosophicum & Theologicum.

DE hac satis recenti peccati divisione Ecclesiæ Christi semper ignota, Scripturæ potius & Patrum doctrinæ adversa pauca dicemus, etsi multa de ea dici possent, quæ fortasse prætereunda silentio non essent. Verum ne nonnullis imprudentes videamus, rem compendiose tractabimus. Peccatum Theologicum illud dicunt, cujus malitia non cognoscitur nisi dependenter a revelatione, qua mediante illud legis æternæ transgressionem, Deique offensam esse agnoscit qui illud peccatum committit. Philosophicum vero vocant illud, cujus malitia lumine naturali cognoscitur, & creaturæ rationali contrarium esse natura docente agnoscit qui hoc peccatum admittit. Unde primum est contra Dei legem. Secundum est contra rationem, nec Deo facit injuriam. Eo tendit hæc distinctio peccati in philosophicum & Theologicum, ut excusetur a peccato, qui legem transgrediens, quam non potest ignorare, non attendit ad malitiam actus, nec de Deo, quem per hanc transgressionem offendit, nihil cogitat. Unde dicebat quidam inter peccati philosophici defensores non ultimus, quod actio ad peccatum nequit imputari, nisi antequam operemur nobis donet Deus notitiam mali quod includit, & inspirationem nos excitantem ad abstinendum a tali opere. Verum illud non fuit impune prolatum, & censura competenti notatum se expertus est ille auctor. Necessitatem actualis advertentiæ ad malum actionis quæ elicitur, ut Dei offensiva reputetur, quam exigit doctrina de philosophico peccato, penitus eliminandam sequentia manifestabunt.

ASSERTIO UNICA.

Fictitia est ac in moribus valde periculosa, distinctio peccati in philosophicum ac Theologicum. Unde omnis voluntaria legis transgressio in cognoscente legem vel illam debente scire, est peccatum vere Dei offensivum, etsi ad actus malitiam operans non attendat. Ideoque ad peccandum in Deum satis est quod voluntas in actum malum libere feratur; licet non ut malus aut prohibitus ab ipsa intendatur.

QUIS enim in moribus periculosam valde, proindeque fictitiam

ftitram non prædicaret distinctionem inter peccata, qua posita nulla fere legis transgressio foret, quantumvis libera ac voluntaria, quæ a peccato non posset excusari? Supposito autem quod ad peccandum in Deum vel Theologice, requiratur in operante actualis advertentia malitiæ actus quem elicit voluntas, illeque ab ipsa intendatur ut malus vel prohibitus, quandonam peccatum quod vere imputetur peccare dicetur homo? Quot non reperiuntur inter peccatores, præsertim in iis quos mala premit consuetudo, qui libidinis æstu furentes in varios prorumpunt actus libere, quos lex vetat quam sciunt, nihil tamen de prohibitione, nec de malitia actus sui actualiter cogitant? Et ubinam sunt illi peccatores perversi adeo & scelesti, qui malum operantur quatenus malum, & actum aliquem exercent vetitum prout vetitum, vel Dei offensivum? Sed juxta principia illorum qui peccatum philosophicum, rationi nempe contrarium, non vero Dei offensivum defendunt, hi omnes erunt a peccato immunes. Quod ita verum est, ut de illis loquens Doctor quidam, impiam hanc ac scandalosam propositionem in medium proferre non erubuerit: *Si peccatores malitiæ consummatæ nullum habeant conscientiæ stimulum, nec malum quod faciunt agnoscant cum blasphemant & in crimina labuntur, illos minime peccare cum omnibus Theologis sentio.* Quam propositionem, falsitatis, temeritatis, & bonorum morum corruptionem inducentis, & peccata omnia excusantis, merito notavit Clerus Gallicanus. Perversam adeo doctrinam, quam distinctio peccati in Theologicum ac Philosophicum disseminabat, supremo suo decreto proscripsit Alexander VIII. ut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam damnans sequentem propositionem. *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in eo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Non ergo opus est ut imputabile sit peccatum, quod qui in illud labitur, actu advertat malum esse actionem suam & a lege vetitam, multo minus quod de omnibus quæ eveniunt in peccato cogitet. Sufficit quod sciat, vel scire potuerit, esse contra legem aut præcipientem aut prohibentem, opus quod exercet, etsi ad malitiam quæ ipsi inest, nullo modo attendat.

Nec contrarium sentientibus favere potest quod a nonnullis Scholasticis consideretur peccatum, vel quatenus offensa in Deum, vel quatenus rectæ rationi adversatur: ille enim modus præscindendi per intellectum ab uno aut ab altero, rei naturam non mutat, & quod aliquid sit contra rationem, & consideretur sub hoc respectu, ex eo recte minus concluderetur, illud simul non esse Dei offensam, cum istud alterum non excludat, quin potius nihil enim est rectæ rationi adversum in moralibus, quod a Dei lege non prohibeatur. Unde Scholasticorum in præfata distinctione mentem minime attingunt, qui peccatum quod dicunt philosophicum, volunt non dissolvere amicitiam Dei, neque pœna æterna esse dignum, sed eorum verbis abutuntur in sui erroris patrocinium. Utinam ergo aliquando saperent qui morum puritatem

ntari sic insidiantur, & a propofito errore quem profenpsit Ecclesia, & cui ipsa ratio recta etiam opponitur, tandem cessarent. Deum ergo ignoret peccator, vel de illo actu non cogitet, ad malitiam actus sui attendat, vel illam non intendat, prohibentis legis recordetur, vel illius tunc temporis obliviscatur, se peccato in Deum teneri sciar, quoties aliquid operabitur contra legem, quam cognoscere potuit & debuit, nec illud fore imputandum sibi falso blandiatur. Modo ad actionem prohibitam ideoque malam libere feratur voluntas, quantumvis de prohibitione aut malitia præscindatur, se tali actu Deo fieri infensum, suppliciique dignum juxta materiæ gravitatem, nullarenus dubitet peccator

QUÆSITUM QUINTUM.

Utrum aliquod peccatum possit esse pœna vel causa alterius peccati.

OMnis peccati voluntatem esse veram causam jam constat ex iisque variis in locis dicta sunt, non tamen ut efficiens est, sed potius ut deficiens, a lege præcipiente vel prohibente deflectendo. In Deum hominum peccata refundere impium esse nullus est qui non confiteatur. De causa peccati ut a principio illius electivo, præsens quæstio non movetur. Investigandum occurrit an unum peccatum quod a sola hominis voluntate procedere ut quid indubitatum supponitur, possit reputari tum causa tum pœna alterius peccati, ita ut homo aliquando in peccatum cadere permittatur in vindictam aliorum peccatorum, sicque unum peccatum quandoque dici queat occasio, & causa alicujus peccati, quandoque unum etiam peccatum effectus dicatur, & pœna præcedentis peccati. Ex pravis actibus sæpe repetitis pravos generari habitus, ex quibus in eosdem actus frequentius prorumpendi in homine oritur facilitas majorque propensio, certissimum esse nemo ambigit, sicut ex actibus virtuosis sæpe iteratis generari habitus virtuosos, ratione quorum vir probus magis ad actus virtutum exercendos inclinetur, nullus diffitetur. Quomodo vero fiat ut in præcedentis peccati vindictam homo desertus quodammodo a Deo in subsequentia peccata labatur præsentis instituti non est examinare, cum hæc ad tractatum de supernaturalibus divinæ gratiæ auxiliis pertineant. Quapropter rem ut est attingemus, de ratione ob quam sic est tacentes, illam pro ut ab hominibus discerni potest, fortasse pro tempora investigaturi.

ASSERTIO UNICA.

Quædam peccata quandoque esse effectum, & pœnam aliorum peccatorum, nonnulla pariter esse aliquando aliorum causam negari nequit.

INnumeris, ut ita dicam, quibus præsentis assertionis veritas ostendi posset scripturæ testimoniis supersedentes, convincens in hac re Apostoli, quo iterur Augustinus ad Julianum confutandum afferemus testimonium, quo nihil, ut ait, evidentius, nihil apertius, nihil expressius dici potest. De passionibus ignominiæ quibus in pœnam suæ impietatis dediti erant gentiles, quæque in eis factæ sunt occasio, & causa multorum scelerum, loquens Divus Paulus epist. ad Rom. cap. 1. hæc habet. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam Creatori*

ri . . . propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ . . . mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsos recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Impietas quæ est summum delictum, in causa fuit cur sibi ipsis relicti gentiles ea fecerint quæ non decent, ac omni iniquitate fuerint repleti: subsequens ergo malitia seu iniquitas, effectus fuit ac pœna illorum impietatis, ob quam in reprobum sensum traditi sunt. Certum igitur est ex Apostolo, peccata quædam eum causam tum pœnam esse aliorum.

Hanc veritatem contra Pelagianos ut probet totus est Augustinus ex illo Apostoli, lib. 5. contr. Julian. cap. 3. relatis illius verbis quæ attulimus, sic loquitur. "Hic utique vides causam propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali ante fecissent, & adjunxit, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est, quod verbis consequentibus explicat . . . Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis, atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur . . . & fit ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati." Quod quam pluribus exemplis ex veteri testamento ulterius probat Sanctus Doctor, qui jam de Judæis Christi interfectoribus loquens hæc dixerat. "At ista cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati ut occiderent Christum. Jam istam cæcitatem si pœnam fuisse negaveris, lumen perpeti etiam non confitens indicabis. Si autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam non fuisse contendis, iterum fateris, quod unum aliquid, & peccatum esse possit, & pœna. Si autem non est hæc pœna peccati, profecto iniqua pœna est, & injustum facis Deum." Postea subdit, ut Juliano ostendat concupiscentiam esse pœnam peccati, ipsamque peccatum, ut alias ostendimus. "Sicut cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur, & pœna peccati quia cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientiæ, & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis." Eamdem veritatem contra eosdem Pelagianos ex eodem Apostoli testimonio invictissime probat lib. de nat. & grat. cap. 22. ubi inter alia quæ loquitur hæc habet. "Obscuratum est insipiens cor eorum, utique ista obscuratio vindicta, & pœna jam fuit: & tamen per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente luce sapientiæ, in plura & gravia peccata collapsi sunt: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Gravis hæc pœna est, si quis intelligat, & ex hac pœna vide quo ierunt. Et immutaverunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei . . . ista fecerunt ex peccati pœna qua obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia li-

" cet

„ cet pœnalia etiam ipsa peccata „ sunt, adjungit, & dicit, *propte-* „ *rea tradidit illos Deus*, &c.

Alios Patris Augustino consentientes agnosces quisquis rem diligentius exploraveris. Et ab eorum doctrina Doctores Angelicus & Subtilis minime recesserunt. *Peccatum*, inquit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 1. *cum sit actus inordinatus, homo qui peccat contra ordinem agit, & ideo deprimitur ab eo ordine, quæ quidem depressio pœna est*. Et exponens illud Augustini lib. 1. confess. *Jussisti Domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus pœna sibi sit ait, quod pœna illa inordinati animi debetur peccato, ex hoc quod ordinem rationis pervertit*. Scotus in 2. dist. 37. quæst. 2. Magistro quærenti an peccatum in quantum peccatum est, sit pœna peccati, respondet dicendo, *quod omne peccatum est pœna, & quod unum peccatum potest esse pœna ulterius*. Quod ut indubitatum habens, de modo quo id eveniat postquam disseruit quæst. 2. concludens ait. *Sic ergo pœna quæ est peccatum, non est a Deo efficiente, vel deficiente primo, sed tantum est a Deo deferente voluntatem ratione primi demeriti, quæ deserta a Deo cadit in secundum demeritum*. Quo modo possit esse a Deo pœna quæ ipsa est peccatum, licet non reduplicative ut peccatum, sed prout est pœna, illud valde difficile judicat determinare ob inconvenientia, quæ inde profluere videntur. Et revera in explicando modo quo pœna illa, peccatum videlicet, in alterius peccati vindictam, a Deo permittente, vel potius peccatorem justo judicio deserente, oriatur, & in Deum nihilominus peccatum nullo modo refundi possit, sensus hæret humanus. Illud autem fiat explicabili modo vel inexplicabili, facit hoc summe bonus, & ineffabiliter justus Deus, inquit Augustinus ubi supra. Nodum solvere difficultatis ex omni parte nemo sapiens præsumat.

Theologicæ rationis quibus confirmari posset hæc veritas, cum desumantur ex iis quæ sequuntur ex locis scripturæ aut Patrum ad præsentem quæstionem dicentibus ordinem, facile invenientur a legentibus Augustinum ac Scotum locis laudatis. Quæ possent in contrarium opponi, cum potius modum rei quam ipsam rem aspiciant, apud illos qui de divina gratia tractant legantur, ubi quæritur utrum peccatoribus ac induratis dentur auxilia sufficientia ad peccatum vitandum, bonumque in ordine supernaturali præstandum.

QUÆSITUM SEXTUM.

Unde sumatur peccatorum specifica distinctio.

EX eo quod peccata, ut dictum est, non sint inter se æqualia, aliaque sint aliis graviora, illa inter se distingui nedum numero, sed etiam specie evidens est. Unde autem hæc repetatur distinctio breviter incumbit examinandum, & eo brevius quo propius ad se invicem in re accedunt, qui in modo loquendi videntur dissidere. Nullum esse peccatum quod præcepto non adversetur aut virtuti, quis negaret, dicente Apostolo, *per legem cognitio peccati. ubi non est lex nec prævaricatio. peccatum non cognovi nisi per legem?* Hinc est quod omne peccatum legis divinæ transgressio dicatur & sit, illa enim sublata, unde oriatur illud non habetur, dicente Augustino lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 16. *Neque peccatum erit si quid erit, si non divinitus jubeatur ut non sit*, Unde

de dicit Doctor Subtilis *Quodcumque peccatum est peccatum, quia est contra præceptum divinum*. Ex quo sequi videtur præceptorum diversitatem minime fundare peccatorum distinctionem specificam, cum de ratione peccati in genere sit pugnantia cum lege. Verum illud non impedit quominus ex oppositione cum tali aut tali lege quodlibet peccatum specificetur, ex eo quod objectum legis cujuscumque sit ab alio specie diversum, sicut objectum unius virtutis specie differt ab objecto alterius virtutis, licet generice omnes virtutes in eo conveniant, quod omnes eo tendant, ut dignum Deo hominem reddant. Ab objectis non semper induunt diversam speciem peccata, sicut etiam ex illis non semper augetur numerus peccatorum, quæ etiam ex variis circumstantiis diversam desumunt speciem. Hæc omnia concurrere videntur ad fundandam specificam peccatorum distinctionem, quæ si divisim considerentur, sæpe ad illam fundandam sunt insufficientia.

ASSERTIO UNICA.

Specifica peccatorum distinctio desumitur ex objecto præsertim, ac deinde ex circumstantiis, nec non a diversitate præceptorum & virtutum quibus opponuntur. Numerica vero illorum distinctio ex multiplici actu voluntatis repeti debet.

Hanc sententiam tenuisse Doctorem Subtilem probant ea quæ habet in 2. dist. 37. ubi sic loquitur. *Cum privationes distinguantur specie ex distinctione habituum specifica, & numero ex distinctione habituum numerali, peccata quæ sunt privationes quædam, scilicet rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, distinguuntur formaliter ex distinctione talium rectitudinum*. Cuilibet actui morali inesse debet rectitudo quæ petitur ex conformitate cum ipsius regula, a qua si deviet malus erit actus. Cum ergo illa bonitas actuum reperiatur ab objectis, & circumstantiis, ad quas referri possunt præcepta & virtutes, quibus actus debent conformari, ut rectitudine quæ illis inesse debet non priventur, ab illis desumenda est peccatorum specifica distinctio. Nec in hoc ulla potest esse difficultas. Si in objectum prohibitum tendat actus, ex illo speciem mali desumere hunc actum evidens est, cum ab objectis specificentur actus. unde juxta objecta illa erit metienda species diversa peccatorum. Non semper tamen speciem peccati variat objecti diversitas. Furetur enim aliquis pannum, pecuniam, libros, aliaque id genus, nihil interest ad peccatum furti, cujus gravitas petitur ex valore rerum quas furatus est, nisi adsit quædam circumstantia quæ peccatum augeat, illiusque speciem mutet, ut si quis furaretur indigenti, vel rem Deo sacram. Præterquam quod relative ad furtum, speciem diversam induere censeri non debent illa objecta, quæ etsi materialiter ac entitative diversa, unam dumtaxat in præsenti hypothesi constituere videntur speciem. Aliter est sentiendum si objecta materialia diversam dicant cum regulis morum dissonantiam. Sic aliquem privare vita, vel honore, vel suum fortunæ bonis spoliare, variant peccati speciem, & ex tali privatione coalescunt homicidium, detractio, furtum, quæ præceptis specie diversis prohibentur.

Circumstantiis specie diversas peccatorum speciem variare non negabit qui attenderit ad difformitatem specie diversam quam inducunt. Sic qui peccat cum virgine

Deo

Deo sacra, peccatum committit specie diversum ab illo qui fornicatur cum libera; quod dicendum etiam de Religioso vel Sacerdote: tunc enim ratione circumstantiæ desumptæ ex qualitate personarum, fornicationi simplici additur sacrilegium, non quod exinde duplex committatur peccatum, sed quia circa idem materiale objectum, idem actus speciem diversam induit ex conditione illius qui peccat. Hinc est quod definierit Concilium Tridentinum sess 14 can 7. in confessione Sacramentali aperiendas esse circumstantias quæ peccati speciem mutant. Personarum qualitatem, loci, ac temporis circumstantiæ peccati malitiam augere, speciemque mutare, docuere Patres, idque tenent omnes morales Theologi ac Casuistæ. Id autem gratis assereretur, si vera ex omni parte assertio non staret.

Ad circumstantias referri potest diversitas præceptorum ac virtutum quibus opponuntur peccata, quæ ex illis diversam quandoque hauriunt speciem. Ut qui in die jejunii de præcepto immoderatius comederet & biberet, intemperantia illius quæ virtuti temperantiæ opponitur, speciem diversam induceret ex præcepto obligante ad jejunium, unde unico actu duplici virtuti contrariaretur, temperantiæ nimirum per excessum seu immoderantiam cibi vel ebrietatem, & reverentiæ quæ debetur auctoritati ecclesiæ jejunium præcipientis. Gravius certissime peccat qui inebriatur in die jejunii, quam si inebriaretur altera die. Præcepta ergo & virtutes specificant peccata quæ ipsis adversantur. Quapropter quoties præcepta sunt specie diversa, aut virtutes inter se specifice distinguuntur, toties peccata specie distincta censentur. Et unico actu duplex peccatum aliquando committitur, si nimirum aliquid sit contra præceptum, & eodem tempore directe contra virtutem. Ut accidit homini furanti in ecclesia, violat enim præceptum de non furando, & peccat in religionem, dum reverentiæ debitæ loco sacro deest. Quod a fortiori sentiendum de iis qui ecclesiam per fornicationem aut aliquid simile contaminarent.

Numericam peccatorum distinctionem ex multiplici actu voluntatis repetendam esse dictum est. Peccatum non potest esse ubi non est voluntarium. Quoties ergo unicus erit voluntatis actus, unum numero erit peccatum. Unde quamdiu idem actus voluntatis moraliter perseverans reputatur, idem numero peccatum esse judicatur. Sic qui eodem actu voluntatis decem aureos furaretur, unum numerando post alterum tollens, unico furto teneretur, ex eo quod non nisi una volitio in eo reperiretur. Quod idem non esset, si actus voluntatis moraliter cessavisse reputaretur, homo in eodem furto perseverans ex multiplici volitione, multiplex numero peccatum committeret, ut si hodie unum nummum tolleret, alium crastina die, vel unum mane, alterum vespere, quod cum esse non possit ob temporis diversitatem unico voluntatis actu, qui moraliter & physice fuit interruptus, novus voluntatis actus adveniat necesse est, ex quo novum necessario sequitur, vel alterum numerice peccatum. Illud tamen generaliter adeo non est accipiendum, ut etiam ubi unicus est actus voluntatis, multiplex quandoque non possit esse peccatum, ut accidit in homine qui eodem instanti duabus cum mulieribus per tactus venereos illicita perpetraret. Quin duplici peccato sit reus ex duplici objecto, licet ex unico voluntatis actu, non videtur esse dubitandi locus.

locus. Unde ad varias diversorum actuum circumstantias specifice distinctas sedulo attendere debet Sacramenti pœnitentiæ minister, ut exacte possit discernere majorem vel minorem peccatorum gravitatem, illorumque multitudinem. Quæ omnia judicio viri prudentis in praxi determinanda relinquuntur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

DE natura peccati disserere quid juvat, si ab illo penitus abstinere non delectat. Tamquam a facie colubri peccatum fugere nos admonet Spiritus Sanctus. Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino esse pensanda judicio dicit Augustinus. Quot sunt quæ a nobis levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Unde cum illo nobis licet exclamare, væ laudabili vitæ hominis si remota misericordia judicetur. Sed quid de levibus dicimus peccatis, cum eo devenerimus, ob miserandam delinquentium cæcitatem, quod peccata, quamvis magna & horrenda, cum jam in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse credantur, usque adeo, inquit in enchiridio Augustinus, ut non solum non occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Usque adeo increvit abominabilis hominum numerus, qui bibunt quasi aquam iniquitatem, ut contra Dominum conjurasse videatur populi christiani universitas, ut dicebat olim Sanctus Bernardus, & ab eo Christus gravem patiatur persecusionem. Verum ad quid nostra lamenta! Magnam potius omnipotentis Dei misericordiam deprecemur, ut mortuis faciat mirabilia, cunctosque peccatores ex vitiorum cœno dignetur avocare. Edocti a Chrysostomo unam esse rem perimescendam peccatum, Deum continuis gemitibus exoremus, ut nostros dirigat gressus secundum verbum suum, ne omnis nobis dominetur iniquitas, neve aliquando in morte peccati obdormiamus.

SECTIO QUARTA.

De variis peccatorum speciebus.

ETsi ob varia quæ in peccatis occurrunt accidentia, illorum quasi in infinitum possint augeri species, tum ex ipsa rei natura, tum ex minus recta peccantium animi affectione, tum ex magis vel minus perversa hominum voluntate, ex qua oritur ut multa peccata ejusdem essentialiter speciei, sint nihilominus a se invicem adeo dissimilia, ut de illorum gravitate ac malitia vix judicari possit, illa tamen ad septem capita, quæ possunt quodammodo dici primigeniæ peccatorum species, reduci solent, eo quod ad unum ex illis, quæcumque peccata ex hominum nequitia originem habere possunt, necessario referantur, quapropter peccata capitalia vulgo nominantur. De iis ut compendiose hic agamus opus est, ne aliquid essentiale, tractantes de peccatis, omisisse videamur.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quot sint peccata capitalia.

RAdicem cujuscumque mali superbiam esse frustra negare quis vellet, dicente Scriptura Sacra Eccli. cap. 10. *Quoniam initium omnis peccati est superbia*; cujus initium apostatare a Deo fuit. Hinc nullum reperiri posse

peccatum quod ab illa non fluat merito asseritur. In eo enim quod peccando propriam voluntatem Dei voluntati anteponit homo superbus vere efficitur. Unde vir religiosus Tobias filium suum hortabatur, ne superbiam in suo sensu dominari permitteret, quia inquit, *in ipsa initium sumpsit omnis perditio*. Tob. cap. 4. Cum iterum alia sint peccata quæ ex superbia directe prodeunt, alia vero ex ipsa non nisi indirecte, in sensu scilicet mox exposito, orian tur, de iis sigillatim nonnulla dicemus, modo præsenti quæstioni per sequentem assertionem fecerimus fatis.

ASSERTIO UNICA.

Septem non immerito peccata capitalia numerantur, & ad hæc alia quæcumque gravia vel levia peccata reducuntur. Sunt autem illa, superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, ira, acedia seu pigritia.

HUnc septenarium peccatorum capitalium numerum vulgo agnoscunt Theologi & Casuistæ, juxta Sanctorum Patrum doctrinam & Ecclesiæ praxim. Pro his omnibus unum satis sit audire Sanctum Gregorium magnum, quo loquente, ipsam Ecclesiam fuisse locutam in suo Pontifice nemo ibit inficias. Is autem postquam dixit omnium vitiorum reginam esse superbiam, juxta illud Ecclesiastici mox laudatum, sic prosequitur lib. 31. moral. in cap. 39. Job, edit. Bened. congr. S. Mauri. *Primæ autem ejus* (superbiæ) *soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia* (quæ & acedia vel pigritia) *avaritia, ventris ingluvies*, (seu gula) *luxuria*. Ex illis vero omnia fluere peccata pronunciat sic pergens. *De inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, & novitatum præsumptiones oriuntur*. Quæ sequuntur cum longius esset referre, de quolibet illorum seorsim loquentes ex illo adducemus, ex quibus præsens assertio confirmabitur, pro nunc sat probata. Inter scholasticos, illa septem commemorantem vitia capitalia, ex quibus alia oriuntur, audiamus Divum Thomam 1. 2. quæst. 84. art. 4. in corp. sic loquentem. „ Secundum hoc ergo „ illa vitia capitalia dicuntur, „ quorum fines habent quasdam „ primarias rationes movendi ap„ petitum, & secundum harum „ rationum distinctionem distin„ guuntur capitalia vitia ...... „ Aliquis aliquod malum prose„ quitur propter aliquod bonum „ adjunctum, vel aliquod bonum „ fugit propter aliquod malum „ adjunctum. Bonum autem homi„ nis est triplex. Est enim pri„ mo quoddam bonum animæ „ quod scilicet ex sola apprehen„ sione rationem appetibilitatis ha„ bet, sicut excellentia laudis vel „ honoris, & hoc bonum inordi„ nate prosequitur inanis gloria. „ Aliud est bonum corporis, & „ hoc vel pertinet ad conservatio„ nem individui, sicut cibus & „ potus, & hoc bonum inordi„ nate prosequitur gula. Aut ad „ conservationem speciei, sicut „ coitus, & ad hoc ordinatur lu„ xuria. Tertium bonum est exte„ rius scilicet divitiæ, & ad hoc „ ordinatur avaritia ...... Quod „ autem aliquis bonum fugiat pro„ pter aliquod malum conjun„ ctum, hoc contingit dupliciter, „ quia aut hoc est respectu boni „ proprii, & sic est acedia, quæ „ tristatur de bono spirituali pro„ pter laborem corporalem ad-

„ jun-

„ junctum. Aut est de bono alieno & hoc si sit sine insurrectione, pertinet ad invidiam, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est impeditivum propriæ excellentiæ. Aut est cum quadam insurrectione ad vindictam & est ira ". Ipsi consentiunt Alexander Alensis, S. Bonaventura, aliique communiter, a quibus non recedit noster Scotus, etsi illam divisionem sufficientem non judicet, ex eo quod quædam peccata esse dicat, quæ sub nullo istorum continentur, ut sunt Infidelitas ac desperatio, in 2. dist. 6 quæst. 2 Verum pace magistri dixerim, minus exacta videtur ratio quam affert, cum desperationem ad duo eorum referat Sanctus Gregorius loco mox laudato, ad tristitiam nempe & ad luxuriam, ut infra dicemus & aliunde Infidelitas non immerito reducatur ad quamdam superbiæ speciem, ex qua Deo credere ob pertinaciam, vel ob animi præsumptionem, renuit infidelis. Præterquam quod illud opinative & non absolute dicit, divisionem illam ut famosam & communem agnoscens. Unde certa remanet assertio.

QUÆSITUM SECUNDUM

Quid sit superbia, an peccatum grave.

NON præcise de illa superbia, quam allegatus summus Pontifex vocat vitiorum reginam, quæ cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit, hic loquimur, sed de prima illius filia, quam inanem gloriam dicit.

ASSERTIO UNICA.

Superbia est perversæ celsitudinis appetitus, & est grave peccatum.

DE illa loquens Augustinus lib. 14 de civit. cap. 13. haec scribit *Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illa bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi.* Quod adhuc colligitur ex ipsius epistola 118. vel 56. ad Dioscorum his verbis. *Cum se ipsa sibi quasi sua bono animus gaudet, superbus est.* Ad omne superbiæ individuum hanc definitionem vere spectare fatebitur, quisquis ad varias ejus species serio attenderit: quibus septem a Sancto Gregorio ex illa fluentibus peccatis enumeratis, merito addenda videtur ambitio, quæ est animi elatio, qua quis supra se extollitur, altiora se quærens, ac sublimiora perverse concupiscens.

Superbiam grave esse magnumque peccatum omnis moralis christiana docet. Nullum est quod Deo magis, adversetur, ipsiusque supremum dominium adeo lædat. Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum juxta Augustinum, & ne quasi leve aliquid contemnatur, quia inde cætera vitia sunt nata. Indeque majus, quod habet superbia aversionem a Deo ex hoc ipso quod non vult Deo, & ejus regulæ subjici, ut ait Divus Thomas 2. 2. quæst. 162. art. 6. in corp. & eo gravius est illa peccatum, quo periculosius. Hæc enim bonis etiam operibus insidiatur ut pereant, quapropter in recte facta

 tamen-

timendam esse ab Hipponensi admonemur, *ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur*. Indeque magis est timenda, quod hanc vitiorum omnium originem in nobis ipsis ad mortem usque habemus, & quidquid in nobis est virtutis tollere perpetuo conatur. *Superbia*, inquit S. Gregorius, *nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit*. Quæ si forte in homine dominetur, reprobationis præsagium solito reputatur, dicente eodem, *quod evidentissimum reproborum signum superbia est*.

Hoc maximo animi morbo laborat, quisquis in semetipso gloriatur ob animæ, vel corporis, vel naturæ, vel gratiæ bona, quisquis meritis propriis imputat, quæ a Deo accepit beneficia, vel sibi quod non habet arrogat, aut habere mentitur, sicut, & quisquis alios spernit. Tot, & varia exinde pullulant peccata, quæ diversam, ut ita dicam, inanis gloriæ speciem constituunt, in Sacramento Pœnitentiæ accurate aperiendam. Ex hac inani gloria, quæ simpliciter superbia dicitur, originem habent, ut ex Gregorio Magno retulimus, *inobedientia*, quæ ex mordinato libertatis amore superbus superioribus legitimis subesse recusat, vel si exterius subest propter necessitatem, intus tamen dominationem spernit. *Jactantia*, qua in proprias laudes nulla cogente necessitate tumidus erumpit. *Hypocrisis*, qua virtutem quam non habet simulando, alius a se ipso vult videri. *Contentiones*, si veritate, charitate destituantur ac necessitate. *Pertinacia*, qua propriæ sententiæ, licet veritati, & justitiæ opponatur, firmiter adhæret, vel illam acriter defendit. *Discordiæ*, ex quibus generantur inimicitiæ, dissensiones, iræ, rixæ, æmulationes. *Novitatum præsumptiones* in rebus tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus. *Ambitio*, qua dignitates, & officia ex temeritate prosequitur superbus. In his omnibus, quæ velut filiæ a matre superbia, vel inani gloria ortum habent, mortaliter ut plurimum homines multimode peccare probantur, & sæpe venialiter, secundum materiæ gravitatem aut levitatem: quod ut dignoscatur summa est adhibenda diligentia, ut iis malis congrua remedia a patribus spiritualibus provideantur.

QUÆSITUM TERTIUM.

Quid sit avaritia, an capitale peccatum.

EX triplici concupiscentia, de qua Joannes Apostolus, avaritiam oriri est absque dubio. Neque enim, ut doctissime observavit quidam in rebus moralibus versatissimus, homines peruniis inhiant, nisi ut harum possessione possint explere concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitæ. Quod satis esset ad ostendendum quantum malum illa sit, quoeve malorum origo, principium, & caula, & quanta cum sollicitudine vitandum.

ASSERTIO UNICA.

Avaritia quæ dicitur libido habendi, capitale est peccatum.

QUAM dicit Augustinus lib. de civit. cap 25. libidinem habendi avaritiam, communiter dicunt morales, rerum temporalium inordinatum amorem. Ideoque inordinatus, ex eo quod cum cupiditate appetantur bona tem-

temporalia vel possideantur, prætergreditur ordinem a Creatore statutum, quando iis uti homini moderate ab ipso concessum est. Illis immoderate utitur qui nimium de possessione gaudet, vel nimium de illarum amissione aut privatione tristatur, tunc enim illis frui velle censetur, qui illis dumtaxat uti deberet, & in hoc maxima, ex Augustino, est inordinatio, multorum origo malorum. Ab illa iniquitate liber nullomodo potest dici, qui terrenas possessiones vel avidius appetit, vel nimio zelo habet ac servat, sicut & ille qui illis ultra vel citra modum necessitatis utens, nec in pauperes superflua expendens, se beatum ex earum possessione, miserumve ex illarum carentia reputat. Quanto magis avaritiæ labe coinquinantur qui divitias per nefas comparant, vel male partas injuste retinent? In illos omnes vivis exhortationibus, fervidisque increpationibus omni ævo insurrexerunt Sancti Ecclesiæ Patres, cum propheta Amos dicentes, *væ, qui opulenti estis in Sion*; vel cum Salvatore Christo, *væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram*. Nec divites avaritia teneri solummodo existimemus. Ipsi pauperes sæpissime hoc morbo laborant, dum pauperes re ac necessitate, voluntate sunt divites aut cupiditate, atque paupertatem ægre ferentes, se infelices putant aut contemptibiles, ex illa divitiarum carentia vel amissione.

Peccatum grande esse avaritiam aut temporalium rerum inordinatam appetentiam declarat Apostolus dum dicit 1. Corint. cap. 6 Quod *neque avari regnum Dei possidebunt*. Ephes. cap. 5. *Avarus quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei*. Dumque Coloss. cap. 3 illam cum fornicatione annumerans & immunditia, ac libidine, & concupiscentia mala, eam radicem omnium malorum dicit. 1. Timoth. cap. 6 Unde dicebat Augustinus serm. de diversis 86 vel 43. quia avaritia excusationem non habet, neque hic, neque in futuro sæculo. Neque solummodo grave peccatum reputanda est avaritia, cujuscumque sit formæ, sed etiam capitala, cum da illa, ut docet Gregorius Magnus, *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes cordis* oriantur. Quæ cum ita sint, ut centies ostendi posset ex Scriptura, & Patribus, si quædam posset oriri controversia, ab avaritia abstinendum prædicabit omnis Christianus, de illo verbo Augustini recogitans. *Neque ille solum est avarus qui rapit aliena, sed etiam qui nimis cupide servat sua*, sumitque sciens ex eodem, quod non in solo argento vel nummis, sed & in omnibus rebus quæ immoderate cupiuntur, avaritia intelligenda est.

QUÆSITUM QUARTUM.

Quid sit Luxuria, an grave peccatum.

Licet in multis rebus specie diversis reperiri possit Luxuria, quæ ad omne genus lætitiæ se extendit, cunctaque insani gaudii ac immoderati speciem amplectatur, juxta ea quæ loquuntur impii Sapient. cap. 2. *Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra*: de illa minus late, pro ut voluptates corporeas respicit, aut ad illas ordinem dicit, præsens quæstio procedit, & quam

quam grave sit peccatum inquiritur.

ASSERTIO UNICA.

Luxuria quæ dicitur voluptatum venerearum per Dei legem vetitu appetentia aut perceptio, grave est ac capitale peccatum.

CUM hæc descriptio ad omnes Luxuriæ species referatur, nihilque sit per quod in sextum decalogi præceptum peccari possit, quod non sit vel perceptio, vel appetentia seu desiderium circa venereas voluptates, contra divinam legem ut legitima haberi debet. Neque enim Luxuria proprie vocari potest, illarum voluptatum usus pro iis quibus licitus est, nisi aliunde immoderatus esset, aut circa modum excederent, unde recte additur, vetita per Dei legem, ex cujus prohibitione omnis ratio peccati desumitur, ut alias dictum est. Septem numerantur luxuriæ species, scilicet *fornicatio simplex*, ex carnali commercio hominis omnimode soluti cum fœmina etiam soluta non virgine. *Adulterium*, ex illicito concubitu duarum personarum, ex quibus una vel utraque est conjugata. Si utraque ex delinquentibus sit matrimonio ligata, tunc duplex est adulterium. *Stuprum*, seu virginis defloratio. *Sacrilegium*, si una ex duabus personis Deo sit sacra ex voto castitatis, vel ex sacri ordinis susceptione, vel peccatum in loco sacro committatur. *Incestus*, ex copula inter consanguineos vel affines ad quartum gradum inclusive. *Raptus* qui intelligi debet in ratione Luxuriæ, si stuprum inde sequatur, vel ex consensu virginis, vel contra illius voluntatem. Circa illum ad varias circumstantias quæ speciem raptus mutare possunt attendatur oportet. *Vitium contra naturam*, mollities nempe, & nefanda alia, quæ nec etiam nominare decet. De his omnibus Luxuriæ speciebus, de quibus nimis caute numquam tractari potest, Casuistas accurate consulant regimini animarum præfecti, magis de remediis undique serpentis Luxuriæ adhibendis, quam de illius natura incaute explicanda solliciti.

Illam grave esse peccatum, & ex genere suo mortale, inter alia quæ habentur in Scriptura Sacra ostendunt verba Apostoli Ephes. c. 5. *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos ..... Intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus .... non habent hæreditatem in Regno Christi & Dei.* Sicut & ea quæ habet 1. Corinth. cap. 6. *Neque fornicarii ..... neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores .... Regnum Dei possidebunt.* In illud vitium & in illos qui hoc se inquinant magno impetu exarserunt Sancti Patres, quorum volumina integra transcribere opus esset, si illorum objurgationes referre vellemus aut admonitiones. Ipsos adeant, quibus tot ac tantis malis ex luxuria scaturientibus mederi ex officio incumbit. Id unum attendatur, multimode peccare quotidie homines ex hoc capite, cogitatione, verbo & opere. Neque enim illi dumtaxat peccare reputandi sunt qui in unum ex supra dictis luxuriæ modis actu incurrunt, vel de illis ex delectatione cogitant aut loquuntur, sed etiam illi qui legunt, canunt, scribunt, dicunt, pingunt, fingunt, audiunt ultro res venereas & impudicas, vel etiam quæcumque ad illas necessarium ordinem habent. Nec ab istiusmodi peccatoribus separes illos, qui absque necessitate, & cum voluptatis sensu spectant oculis personas, vel ca-

tabulas, vel statuas, vel alia quæque sint, ex quibus oritur luxuriæ appetitus. Hinc facile dignoscitur quodnam ferendum sit judicium de statuariis, pictoribus, modestiæ modum artem suam exercendo minime servantibus, qui eo periculosius, fortiusque aliorum pudicitiæ insidiantur, quo subtilius & elegantius in suis arte factis naturam exprimunt & imitantur. De choreis ac saltationibus, profanis spectaculis, comœdiis ex maxima parte, aliisque scenicis operibus parum cautis, quæ totidem sunt luxuriæ incentiva, tacemus. Iis addere quæ circa illa nedum Ecclesiæ Patres, sed etiam ultimis temporibus scripsere viri pii & docti, esset superfluum. Nec contra illos usquam prævalere poterunt, qui talia diligunt ac sectantur, aut illi qui talia diligentibus ac sectantibus favent.

Nedum grave peccatum dicitur luxuria, sed etiam multorum causa peccatorum ac parens vocatur, & non immerito. *De luxuria*, inquit S. Gregorius Magnus, *cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.* Illis multa addere non esset difficile: verum illa ad morales auctores & casuum tractatores sunt remittenda.

QUÆSITUM QUINTUM.

Quid per gulæ peccatum intelligatur, & an illud sit grave.

QUID est Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis, inquiebat lib. 10 confess. Augustinus, ad delectationem, quæ in cibo & in potu reperitur, attendens. Quot inter homines non reperiuntur, qui ob solam delectationem mensæ indulgentes, se ab omni prorsus peccato immunes reputant, si nimietate cibi aut potus non gravantur. Immoderantiam in hac delectatione, quæ temperantiæ opponitur, dicunt morales Theologi peccatum gulæ: & circa illud præsens quæstio versatur.

ASSERTIO UNICA.

Peccatum gulæ, quod dicitur inordinatus cibi vel potus appetitus, merito inter gravia ac capitalia peccata numeratur.

EX inordinatione talis appetitus, qui per se malus non est, sed absolute necessarius ad individui conservationem, quod si non reficeretur cibo & potu, necessario deficeret, desumitur illius peccati ratio, quæ in hujusmodi appetitione, quando naturæ exigentiam non excedit, minime potest reperiri. *Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est*, inquit S. Gregorius Magnus. *Unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.* Quinque modis, juxta hunc Sanctum Pontificem culpate vitio gulæ tentamur. Circa tempus, cum indigentiam naturæ prævenimus, & indebito tempore cibos sumimus. Circa substantiam, cum cibos quærimus lautiores. Circa qualitatem, cum cibos sumendos accuratius præparati expetimus. Circa quantitatem, cum in iis quibus vescimur mensuram moderatæ refectionis excedimus. Circa delectationem, cum in cibos, etsi essent aliunde communes, æstu immensi desiderii ferimur, voluptati magis consulentes quam necessitati. Quibus ita expositis sua dicta concludit hoc modo. *Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quæ-*

rit

rit, & non quæ edendi libido suggerit. Quod de cibo dicitur, de potu respective esse dicendum nemo non intelligit.

Peccata quæ gravia sunt magis aut minus secundum materiæ vel appetitus immoderationem. De illis loquitur Ezechiel cap. 16 habitatores Jerusalem objurgans per hæc verba: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia*. Quibus *aperte ostenditur*, inquit idem Papa, *quod idcirco salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit*. Hinc facile intelligitur quam graviter peccent, qui cibis & potibus se ingurgitant usque ad nocivam præsertim satietatem, vel ebrietatem. *Luxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non est sapiens*, inquit Salomon, Proverb. cap. 20. *Væ qui potentes estis ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*. Dicit Isaias, c. 5. *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*, ait Apostolus 1. Corinth. cap. 6. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*, dicit idem Ephes. cap. 5. Merito inter gravia ac capitalia peccata gula connumeratur, cum multorum sit fons & origo criminum. *De ventris ingluvie*, inquit Gregorius Magnus, *inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur*. Et de illis quot & quanta scelera non exurgunt? Ad quæ attendens S. Joannes Chrysostomus homil. 58. in Matth. dicebat, quod diabolo *nemo magis amicus est, quam qui deliciis, & ebrietati mancipatur: hic enim fons, hæc mater, atque origo vitiorum omnium est*. Quibus similia sunt quæ habet Sanctus Basilius homil. 14. in ebrietatem. *Voluptatis incontinentia omnis, ait, ut unum fontem originem vitiorum habens, præcipue ad omnem impuritatem atque intemperantiam ruit*. De malis temporalibus & infirmitatibus quibus subjacent qui diligunt epulas, & potibus vacant, altum servamus silentium, cum innumera quæ eveniunt ex ebrietate & ciborum nimietate mala neminem lateant.

QUÆSITUM SEXTUM.

Quid, & an grave peccatum sit invidia.

Nihil esse magis christiano cavendum, nihil cautius providendum quam ne quis invidia & livore capiatur, dicebat olim Sanctus Cyprianus. Unde colligere licet illam grave esse peccatum, quod paucis est ostendendum.

ASSERTIO UNICA.

Invidia quæ est dolor animi de proximi prosperitate, ac eorum successu conceptus, magnum est, nec non capitale peccatum.

Ille dolor animi, quem Sanctus Basilius dicit invidiam, de bonis proximi oritur, quæ in nostræ fortunæ vel gloriæ detrimentum vertere existimamus. Non enim præcise quia iis gaudent alii invidemus, sed quia illorum bona, mala nostra reputamus, & eo magis nos de illis dolemus, quo ex eorum abundantia magis miseros, ideoque infelices nos habemus. Hanc vocat idem Episcopus, homil. de invidia, *intolerabile malum, sceptum documentum, dæmonum incitatum, punitionis arrhabonem, pietatis impedimentum, viam ad gehennam, Regni Cœlorum privationem*. Quæ omnia quam sit invidia grave peccatum significant. Quod prius ostenderant libri Sacri. Dicitur enim Sa-

Sapient cap 2. *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illam qui sunt ex parte illius.* De illa sic loquebatur Apostolus, Galat. cap. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio... æmulationes... invidiæ... & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Est ergo magnum & mortale peccatum invidia. Hanc unum ex peccatis capitalibus esse declarat Sanctus Papa Gregorius ibidem dum hæc loquitur: *De invidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur.* Illius gravitatem simul ac fœcunditatem egregie describit Sanctus Episcopus Carthaginensis Cyprianus de zelo & livore, his verbis: *Late patet zeli multiplex & fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditione sua mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, Magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ,* &c. Eadem aut his similia habent Joannes Chrysostomus, Gregorius Nissenus, aliique plures, mala quæ generat invidia enumerantes, quibus invidi ab hac nequitia cessare admonentur. Hoc unum addere juvat, raro invidiam, si sit vere deliberata, esse peccatum veniale, illamque ex justo Dei judicio fere semper invidi fieri supplicium.

Exercit. Theol.

QUÆSITUM SEPTIMUM.

Quid sit ira, & utrum grave peccatum dici debeat.

NON omnem iram esse peccatum ostendit regius Propheta, dicens Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare*: imo est ira laudabilis quam justitiæ zelus format, quæque ex virtute generatur, ut ait Sanctus Gregorius. De illa minime acturi, de ira improbanda ac Dei lege vetita duntaxat inquirimus.

ASSERTIO UNICA.

Ira est immoderatus animi motus, quo quis tum impetu modo majori, modo minori, sibi displicentia repellit, estque inter capitalia annumeranda.

IMmoderatus ille animi motus, ex quo fere semper nascitur perturbatio mentis, quæ non refrænata, amorem vindictæ, ultionisque desiderium sæpius generat, & ob quem sibi merito, vel immerito displicentia vehementi impetu repellit homo, ira vocatur juxta communem Scripturæ sensum, & Sanctorum Doctorum loquendi modum, quæ si adjunctum proximi odium habeat, vel deliberatam vindictæ voluntatem includat, aut aliis grave afferat scandalum, uno verbo in corde charitatem extinguat, a mortali peccato nequit excusari, eoque major quo vehementior fuerit ille immoderatus animi motus charitatis destructivus. Illud ostendunt hæc Scripturæ verba Eccli. 27. *Ira & furor, utraque execrabilia sunt.* Matth. c. 5. ait Christus, *omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Omnis*

 ama-

amaritudo inquit Apostolus Ephes. cap. 4 *& ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur a vobis, cum omni malitia.* Galat cap 5. *Manifesta sunt opera carnis .... Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones.... Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur. Ira viri justitiam Dei non operatur*, ait Apostolus Jacobus, cap 1.

Quam grave sit peccatum iræ, declarat Sanctus Basilius hom 10 de ira, mala, & scelera quibus hæc præbet originem, recensens his verbis. *Effrenes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia ejusmodi ... iræ sunt, furoris fructus. Ob iram cæsis ac vulneratur, mors hominis ex homine venit. Fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliviscuntur, se ipsos haud agnoscunt irati.* Et infra subjungit. *Ira certamen excitat, certamen vero convitium, convitium verbera, verbera demum vulnera, ex quibus & mortes sequuntur .. Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem qui rationis sit compos, esse sinit. Quod enim venenum viperis emittentibus erit, hoc idem & furor animo irritatis, ac perturbatis.* Ad perniciosos adeo iræ effectus qui attenderit, illam inter gravia ac capitalia peccata recensere non dubitabit. Quot mala non pareat desiderium ultionis in lege Christiana severe adeo prohibitum, quis ignorat? *De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur*, inquit S. Gregorius Magnus. Quanta ergo cum sollicitudine cavere debeat christianus ne iracundiæ æstibus moveatur aut cedat, ex iis quæ dicta sunt facile intelligitur.

QUÆSITUM OCTAVUM.

Quid sit, & utrum grave peccatum acedia.

DEsidia quæ & acedia, vulgo nominata pigritia, a Sancto Gregorio vocatur tristitia, videtur esse quædam otiositas spiritualis mentem aggravans, ex qua negligitur virtutis exercitium, de iis quæ ad salutem spectant parum curatur, ac in addiscendis iis quæ sunt christiano homini, ut recte credat, justeque vivat, scienda, minime laboratur, et ipsisque curctis conceptum ad æternam felicitatem per virtutum opera comparandam in rebus inanibus, colloquiis vanis, vel in ludis & voluptatibus, aliisque similibus ineptiis conteritur. Quid sit, & quam grave peccatum, licet permulti inter christianos nimium circa vitium illud sibi blandiantur, est exponendum, ut iis quæ de peccatis suscepeｒamus dicenda, finis imponatur, cætera quæ in hac materia desiderari possent, Casuistis, ac de peccatis in particulari, relative ad quælibet decalogi præcepta tractantibus relinquentes.

ASSERTIO UNICA.

Accedia, quam dicimus fastidium boni nobis a Deo præcepti, de quo inquirendo aut adimplendo sumus parum solliciti, est peccatum grave, & inter peccata capitalia debet adscribi.

HOc vitio laborare certissimum est quotquot officio, quod sequitur ex statu, ad quem a Deo vocati sunt, minime funguntur, aut iis, quæ ad sua munera secundum Deum adimplenda scire debent, parum student. Ab illis non esse dissimiles qui pœnitentiam suam

suam procrastinando de virtutibus acquirendis, aut vitiis extirpandis leviter aut nihil satagunt, quis negaret? Illud autem fastidium boni unicuique nostrum præcepti a Deo, grave esse peccatum ex eo animadvertitur: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, inquit Christus Matth. cap. 7. Unde Sanctus Bernardus, serm. 2. in festo SS. Apost. Petri & Pauli: *Terra*, inquit, *quæ sæpius supervenientem suscepit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto. Sic & ea quæ in Evangelio sterilis ficulnea legitur, si postea quam foderit circa eam ficulneæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inventa fuerit, nonne jam securis ad radicem illius arboris est ponenda?* Quam digni sint supplicio æterno desidia illa spirituali laborantes, declarat Christus Dominus per hæc verba Matth. c. 25. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Nonne servus diceretur non esse inutilis, quisquis, cujuscumque sit status ac conditionis, de iis quæ ad suum spectant officium exequendis, & in iis quæ illum adjuvare valent circa ipsius profectum spiritualem, investigandis ac observandis erit parum sollicitus? Nullam se sciat habere excusationem de peccato suo, qui se de verbo otioso rationem esse aliquando redditurum non potest ignorare.

Hanc spiritualem pigritiam seu acediam inter peccata capitalia adscribere qui renueret, Sancto Gregorio Magno, ipsique communi ecclesiæ doctrinæ adversaretur, nec peccata quæ ex illa oriuntur, intelligeret. Hæc enumerat ibid. Sanctus Pontifex Maximus sic loquens: *De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis circa illicita nascitur.* Hæc autem quot peccatis dent originem fuse ostendere satis esset superfluum, cum nemo sit qui non intelligat, si ad ea serio attendat. Illis ergo studeant sollicite quibus animarum cura incumbit, ne alios ignorare sinant, quæ ut cognoscant illorum interest. Neque enim, ut sæpius dictum est, a peccato excusatur, qui ex ignorantia peccat circa ea, quæ scire potest ac tenetur.

CONCLUSIO SECTIONIS.

Quanta cum sollicitudine ab his omnibus peccatis abstinere debeat christianus, hic observare quid necesse, cum illud ipsa ratio dictet? Ex his tanta exurgit cujuscumque generis peccatorum copia, ut illorum sit deflenda hominum sors, qui attente minus sibi ipsis invigilantes, in unum ex iis incaute proruunt, quid inde possit evenire mali non advertentes. Hæc capitalia peccata aliorum quorumcumque radix & origo, ex quibus septem, quinque spiritualia, duoque carnalia sunt, ita sunt inter se connexa, ut ex uno aliud fere semper exurgat, quod optime exponit Sanctus Gregorius Magnus eodem loco, sic loquens: *Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut non nisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles, inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat: quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur .... Ex ira quoque tristitia oritur: quia turbata mens quo se inordinate concutit, eo addictam confundit .... Tristitia quoque ad avaritiam deri-*

vatur ... *Post hæc vero duo carnalia vitia, id est ventris ingluvies, & luxuria supersunt, sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie luxuria nascitur.* Non est ergo quod miremur, dum peccatores de vitio in vitium cadere cum tanta facilitate quotidie cernimus. Abyssus, inquit Psaltes regius, abyssum invocat, & nisi secundum multitudinem miserationum suarum respiceret in illos Deus, cujus benigna est misericordia, liberans eos de profundis aquarum, brevi iniquitatum suarum pondere oppressi, iis velut tempestate demergerentur. Quod a cunctis fidelibus suis ille avertat, qui mortem non vult peccatoris, *sed ut magis convertatur, & vivat.*

FINIS.

INDEX
ALPHABETICUS

Rerum præcipuarum, quæ in superioribus exercitationibus continentur.

A

Acedia quid? pag. 314. inter peccata capitalia adscribi debet. 315.

Actus, humanus quid? 2. quænam ejus essentialia ibid. ejusdem directivum principium 57. duplici respectu consideratus, in genere nimium seu in specie, & in individuo 131. in specie seu ex objecto datur indifferens. 135 minime vero in individuo 136. hunc nunquam agnovit Scotus 145. in quo fundetur sententia negans dari actus in individuo indifferentes 149 & seqq.

Actus voluntatis præstantiores sunt aliis. 11.

Actuum humanorum proprietates. 134. unde bonitas eorum repetenda. 261. ex objecto, nimirum, fine, & circumstantiis. ibid.

Arbitrium liberum hominis. 95. Stoici, Manichæi, Priscillianus, Lutherus, & Calvinus inter alios complures illud tollere conati sunt. 96. & seqq. admittendum est in homine 98 rationibus ex auctoritate divina desumptis. ibid. Sanctorum Patrum testimoniis 100 multiplici ratione Theologica 103 ex eo quod detur in homine falsum est, hominem post perditam divinam gratiam non posse facere quam peccatum, ut censuit Lutherus. 204. post receptam baptismalis gratiam potest ad peccata se vertere contra Jovinianum & Pelagium. 205 in quo consistat, quæve ejus essentia. 208.

Avaritia quod? pag. 308. est capitale peccatum ibid. & seq.

Auctores veteres in metienda probabilitate recentioribus præferendi 55. classici quoque iis, qui per incidentiam loquuti sunt 57. practici, & morales magis in moralibus audiendi ibid.

B

Beati sunt impeccabiles 16.

Beatitudo hominis pag. 2. ejus objectum. ibid. in Deo solo objectiva invenitur. 3.

— formalis quid? 6. consistit in duplici operatione, intellectus & voluntatis. 7. sed principalius in operatione voluntatis 10. ejusdem dotes. 13.

— ex se & ex parte objecti beatifici communis est omni creaturæ intellectuali. 14.

— eidem essentialis perpetuitas, & securitas 14.

— necnon impeccabilitas essentialiter annexa. 15.

— ejusdem fons & origo solus Deus. 16.

Boetii definitio beatitudinis. 3.

Bonitas moralis tam convenit actibus humanis, ut quilibet ex ipsis necessario sit bonus. 135. unde repetenda. 261.

C

Caritas sola inter virtutes theologicas in cœlo remanebit. 11.

Cælestinorum errores circa peccatum originale 203.

Cælestius impugnavit existentiam peccati originalis. 202.

Cognitio & libertas essentiales sunt actui humano. *pag.* 2.
Concupiscentia quid? 88. alia repentina, & vehemens; alia frænata magis, judiciumque rationis minuens, sed non excludens. 89. non tollit voluntarium, sed auget. 93. liberum tamen minuit. ibid. nec inde sibi blandiantur peccatores, cum voluntate peccent, & libere peccent. 94.
Conscientia quid & quotuplex. 17. in quo discrepat a ratione & a Synderesi. ibid. utrum & quomodo obliget 18. recta, erronea, dubia, scrupulosa, probabilis. ibid. influit in actus humanos. ibid. recta præsertim est unica actuum regula. ibid. & seq. & sic invincibiliter errans, non vero vincibiliter. 19. neque scrupulosa aut dubia. 24. Media ad erroneam deponendam. 26.
— probabilis quid? 27. vide *opinio*.

D

D*Eus* solus creaturæ intellectualis finis ultimus. pag. 16.
— item fons & origo totius beatitudinis. ibid.
— an dispensare possit a lege operandi juxta conscientiam. 26. non est auctor peccati. 191. & seqq. bonorum causa dicendus. 199.

E

E*Cclesiæ* Doctrina tribus modis ab heterodoxa distinguitur. 56.

G

G*Ula* quid? 311. est grave peccatum. ibid.

H

H*Æreses* circa existentiam originalis peccati. 201.
Homo, an discordans a conscientia, & operans contra legem committat duplex peccatum, & mortale an sit, aut veniale. *pag.* 85.

I

I*Gnorantia* an tollat voluntarium? 62.
— juris & facti. ibid. Alia vincibilis, alia invincibilis. 63. Tripliciter se habet ad actus voluntarios, concomitanter, consequenter, & antecedenter. 63. Invincibilis etiam juris naturæ, tollit voluntarium. 64.
— juris positivi, divini aut humani, sicut & facti modo sit invincibilis a peccato excusat. 79.
— vincibilis non tollit voluntarium. 81. Immo si affectata est, auget peccatum. ibid. Crassa & supinam malitiam peccati minuit. 82.
— antecedens actum voluntatis, adeoque invincibilis, causat voluntarium simpliciter. 83. Concomitans & mere accidentaliter se habens, per se non influens in actum causat voluntarium negativum, seu non voluntarium. ibid. Consequens & vincibilis causat voluntarium simpliciter, at si sæpe non produceretur effectus, si scientia adesset, secundum quid. ibid.
— Juris naturalis an dari possit invincibiliter. ibid.
Illyricus impugnatus circa constitutivum peccati originalis. 248.
Impeccabilitas essentialiter annexa est beatitudini. 15.
Indifferentia activa liberi arbitrii male adempta in homine a Luthero & Calvino. 109. Est de ratione essentiali liberi arbitrii. 185. & seq.
Intellectus moralis quid? pag. 17. cum sit intrinsece directivum principium actuum humanorum distinguitur a lege positiva, divina & humana. 17.
Invidia quid? 312. est grave pec-

catum. ibid. & seq.
Involuntarium quid? pag. 61.
Joannes Chrysostomus non potuit merito notari Pelagianismo circa propagationem peccati originalis 128. 239
Ira quid. 313. est inter capitalia peccata adnumeranda 314.
Jus naturale nequit invincibiliter ignorari 83. ignorari tamen potest invincibiliter aliquando secundum conclusiones, quae non nisi remote, & difficillime e primis principiis eruuntur. 86.

L

Libertas & cognitio essentiales sunt actui humano pag. 2.
Libertas quid significet. 95. alia spectans ad beatitudinem, alia opposita coactioni & necessitati ibid duplex juxta doctorem subtilem, essentialis scilicet, & contingentiae 108 definiuntur ibid ea quae est contingentiae, seu naturae, alia est a coactione, alia est a necessitate. 109. postrema dividitur in libertatem contradictionis, & exercitii ibid vocatur a Theologis indifferentia seu vis activa se se determinandi ad unum aut ad alterum, posita ad agendum praerequisitis ibid male adempta a Luthero & Calvino. ibid Quae ad meritum seu demeritum requiritur, ponenda est in activa indifferentia tam specificationis, quam exercitii. 110
—— contradictionis & exercitii pertinet ad essentiam libertatis. 125. non ita de libertate contrarietatis & specificationis. 128. reponenda est in aequilibrio inter vires delectationis voluntatem ad consensum praebendum inducentis, & vires quas habet voluntas ad illum negandum. 129. Non potest absque temeritate vera ejusdem libertatis idea ad illud aequilibrium reduci. ibid. & seq.
—— a necessitate, a peccato, a miseria arrepta a protoparentibus in creatione. pag. 133.
Liberum arbitrium. Vide arbitrium.
Luxuria quid? 309. & seq. est grave peccatum 310.

M

Malitia peccati an infinita. 185. prout est offensa Dei, licet terminative, & objective Dei infinitatem aliquo modo participet, dici non potest formaliter infinita. ibid Divi Thomae, & Scoti assertiones. 186. rationes Theologicae 187.
Malitia moralis tam convenit actibus humanis, ut quilibet ex ipsa necessario sit malus. 135. unde repetenda. 161.
Manichaeorum doctrina impugnata circa institutivum peccati originalis 248.
Metus quid? 88. alius gravis, alius levis ibid. gravis non causat involuntarium simpliciter, sed secundum quid 89. & seq.

O

Obligatio operandi juxta conscientiam ex qua lege fluat. 26.
Opinio probabilis quid? 27. dupliciter distinguitur, subjective scilicet, & objective ibid item pro ut favet legi, vel pro ut favet libertati 28. Non est sequenda tuta conscientia in praxi minus probabilis libertati favens relicta probabiliori, quae stat pro lege. 38. sequi licet vere probabilem, sublato probabiliora & minus probabilis conflictu 48.
—— tutior an semper in praxi sit sequenda. 50
Origenes non potuit merito notari Pelagianismo circa propagationem peccati originalis 235
Originale peccatum. Vide Peccatum.

Par-

P

Parvulorum cum peccato originali morientium status quinam? pag. 283 eorundem beatitudo supernaturalis a Pelagianis concessa fictitia est. 284. necnon illa naturalis eisdem a nonnullis promissa. 285. penam sensus & ignis passuri non sunt. ibid. & seq. at qualicumque beatitudine earentes internum animi dolorem, qui a pœna damni seu beatificæ visionis privatione separari nequeat, experturi sunt. 288. quoniam in locorum æternum sunt permansuri. 289.

Peccata omnia non sunt æqualia. 276 dogma istud in sacra revelatione fundatum est. 277. probatur ex conciliis, Milevitano, & Tridentino. ibid. ex doctrina SS. Patrum. 178 ex ratione 179.

Peccata capitalia quot? 305 septem non immerito numerantur. 306 ab his summe diligentia ac sollicitudine abstinendum. 315

Peccati divisio in philosophicum & Theologicum an sit admirrenda? 298. fictitia est, & in moribus valde periculosa. ibid. & seq.

Peccatorum specifica distinctio ex objecto desumenda 303. item ex circumstantiis ibid. & seq. nec non a diversitate præceptorum & virtutum quibus opponuntur 304. numerica distinctio ex multiplici actu voluntatis. ibid.

Peccatum quid? 168. rectius per liberam & voluntariam legis transgressionem definitur. ibid. de ratione formali ejus est, quod legi adversetur. 169. ejus ratio formalis an quid positivum, vel negativum? 172. nihil dicit præter privationem debitæ rectitudinis. ibid. ejus malitia an infinita. 185. v. *malitia*. Non potest refundi in Deum tamquam auctorem. 191. quod firmetur omnibus Sacræ Scripturæ locis. ibid ac SS. Patrum verbis pag. 192.

Peccatum originale quid. 200. ejus existentia. 201 hæresum circa illud historia. 201. impugnatum a Pelagio & Cælestio. 202. an transfundatur ab Adam in ejus posteros. 206. affirmativa probatur ex Sacris Scripturis. 207 SS. Patrum Testimoniis. 212. Ecclesiæ definitionibus. 223. Theologicis rationibus. 222. ejusdem natura, & traductio 247 ejusdem constitutivum. ibid non constituitur per malam substantiam. 248. neque per integram depravationem humanæ naturæ 249 neque per morbidam qualitatem in anima ex carnis affectione. 250 neque per privationem justitiæ originalis. 252. sed verisimilius per reatum concupiscentiæ ex actuali peccato Adæ ad posteros per generationem transfusum. 254. quomodo traducatur. 260. & seqq. errores Pelagianorum 261. item Socinianorum ibid. Verisimilior sententia 261. an universalis sit ejus in Adæ posteros propagatio? 265. ab illo immunis singulari privilegio B. Virgo Maria, cujus conceptio sine macula, licet debitum ejus contraxerit. ibid & seq. ejus effectus & pœnæ. 270 supernaturalibus donis hominem spoliavit. ibid. deteriorem quoque reddidit hominem, infirmiorem ad bonum, procliviorem ad malum, ideoque in naturalibus vulneratum. 271. non tamen in facultatibus physice spectatis eo sensu quod perfectione quadam ad ipsius naturam pertinente fuerit spoliatus, contra Lutheranos, & Calvinistas. 272. ejusdem præcipua pœna ignorantia ex parte intellectus. 274. necnon difficultas in voluntate. 275. morbi quoque omnesque miseriæ & calamitates, & mors corporis. 279. & seqq.

& seqq. Parvulorum cum peccato originali morientium status quinam? 283. Vide *Parvulorum*.
Peccatum personale quid. 290. triplex ejusdem divisio 292. aliud vel commissionis vel omissionis ibid. aliud vel mortale, vel veniale ibid. aliud vel actuale, vel habituale ibid.
— mortale & veniale inter se distinguuntur. 293. ex quo petitur eorundem discrimen 294. utrum veniale possit fieri mortale, & vicissim. 295 & seq
— habituale quid. 297.
Peccatum potest esse quandoque effectus & pœna aliorum peccatorum. 300 nonnulla quoque peccata possunt esse aliquando causa aliorum peccatorum ibid. & seq
Pelagianorum errores circa peccatum originale 202.
Pelagii causa in synodum Diospolitana. 201.
Pelagius impugnavit existentiam peccati originalis. 202. decepit Patres Diospolitanos 204
Perpetuitas essentialis est beatitudini 14 in quo differat a securitate 15
Probabilitas duplex, intrinseca, & extrinseca 51 desumenda igitur tum a ratione, tum a doctorum auctoritate 52 intrinseca prævalet extrinsecæ ibid non constituitur auctoritate doctoris unius aut plurium sine gravi ratione loquentium. 53 secus si ex validaratione loquantur, nisi alliunde obstet Sacra Scriptura, vel definitio, aut communis sensus Ecclesiæ ibid metiri debet auctoritate SS. Patrum 55 veterum auctoribus recentioribus præferendorum, ibid. item classicorum, seu ex professo tractantium. 57. practicorum & moralium ibid quorum major numerus attendendus ibid & quidem graviorum ac doctiorum adquiescendum si pro utroque opinione æqualis sit numerus 58 Morita ibid. & seq.

R

Ratio in quo discrepat a conscientia. 27

S

Scoti definitio beatitudinis 3.
Securitas essentialis est beatitudini. 14. in quo differat a perpetuitate. 15.
Superbia quid? 307. est grave peccatum. ibid.
Synderesis in quo discrepat a conscientia. 12.

T

Theodoretus non potuit merito notari Pelagianismo circa propagationem peccati originalis 243.
D Thomæ definitio beatitudinis 3.
Tullii definitio beatitudinis. 3

V

Universalitas dos est beatitudinis 13. est ipsi ab intrinseco annexa 14.
Voluntarium non dicitur in amentibus, & pueris. 60. non convenit nisi improprie brutis ibid. an tollatur ignorantia 62. an tollatur metu ac concupiscentia. 88. Vide *Metus*, & *Concupiscentia* Aliud directum, aliud indirectum 61. Aliud in se, aliud in sua causa. ibid. aliud necessarium, aliud contingens. 62.
Voluntas moralis quid? 60. non potest cogi circa productionem actuum elicitorum ibid
Voluntatis operatio principalior est in beatitudine. 10. Actus ab ea eliciti nobiliores sunt actibus ab aliis potentiis elicitis. 11.

Ss A-

CATALOGO

D' ALCUNI *Libri Latini, ed Italiani, usciti dalle Stampe di* ANTONIO ZATTA *col lor giusto corrente prezzo.*

S. Dionysii Areopagitæ Opera omnia, Græce & Latine, Commentariis & Adnotat. illustrata a P. Corderio: quibus superadditæ sunt in hac editione Dissertationes prævie, variantes Lectiones, aliæque Accessiones potissimum ad rem facientes. fol. Tom. 2. 1755. L. 75

S. Clementis Alexandrini Opera omnia, Græce & Latine, recognita, & illustrata, a Joan. Pottero. Quibus insuper adjecta sunt in hac editione Fragmenta aliqua ex Fabricio, ac Vita S. Patris, Monumentis præstantissimis exarata. fol. Tom. 2. 1757. *Carta Magna* L. 90

Sacrorum Conciliorum nova & amplissima Collectio, in qua præter ea, quæ in præcedenti Labbeana in lucem edita fuere, ea insuper omnia suis locis disposita exhibentur, quæ P. *Mansi* in sex voluminibus Supplementorum Lucæ nuper evulgavit. Editio novissima, ab eodem P. Mansi, aliisque eruditis Viris curata, ad MSS. Codd. Vatican. Lucens., aliosque recensita & perfecta, Notisque, & Dissertationib. quamplurimis nunc primum locupletata. In fol. 1759.
— *Pretium nitidum Tomi Primi, II. III. IV. V. VI. & VII. pro Subscriptoribus, parata pecunia* L. 210.
Prænumeratio pro VIII. Tomo. L. 30.

Summa L. 240

Museum Mazzuchellianum, seu Numismata Virorum doctrina præstantium, quæ apud Jo. Mariam Comitem Mazzuchellum Brixiæ servantur, a Petro Antonio de Comitibus Gaetanis Brixiano Presbytero, & Patritio Romano Edita, atque illustrata. Accedit ad Versio Italica studio Equitis Cosimi Mei elaborata. Continet hoc perleviter ac sumptuosum 2200 circiter Numismata, eademque Emblemata ex adverso respondentia: necnon Cælaturis 2400. circiter, Tabulisque æneis 220. finalibus 150. circiter constat. fol. 2. Vol. 1761. Tomus primus jam completus. L. 66

Peregrini (M. Antonii) de Fideicommissis cum observationibus Gaspari Lonigi, ac Observationibus singularibus Francisci Censalii, cum Additionibus ad Tractatum de Fideicommissis, Marci Antonii Peregrini, fol. Tom. II. 1760. L. 26.

Decisiones S. Rot. Rom. coram R. P. D. Carolo Rezzonico nunc SS. Domino N. Clemente XIII. fol. 4. Vol. 1760. L. 45

Weitenaver, P. Ignatii Soc. Jesu. Lexicon Biblicum, in quo explicantur Vulgatæ Vocabula, & Phrases quæcunque propter Linguæ Hebraicæ Græcæque peregrinitatem injicere moram legenti possunt. Ad usum eorum omnium, qui absque magnorum voluminum ambagibus Divinæ Scripturæ Textum & Contextum intelligere, & verbum Dei solide populo proponere desiderant. Accedunt Summaria Capitum omnium totius Codicis Divini. Editio prima Veneta multo correctior, & emendatior 8. 1760. L. 4.

Exer-

Exercitationes Theologico-Morales de actibus humanis, & peccatis juxta veriora Doctoris Subtilis principia, scholastica methodo ad usum studiosæ juventutis accommodatæ Auctore R. P. ac M. F. Joanne Jacobo Aymar Prov. A jure Antiq. Min. Observante, Lectore Jubilato, Sacræ Facultatis Parmensis Doctore Collegiato, Regiique Hispaniarum Infantis Parmæ Ducis Theologo 4. 1762. L. 6

Chiesoli (R. P. Nicolai Augustini) Exercitationes ad Danielem Prophetam in 4. 1761. L. 6

Upiani Didymi, De Matrimonii Justum Naturæ, tum Canonicum, quorum hoc ex illo, Scientiæ in modum nectitur, atque efficitur in 4. Tom. II. 1760. L. 7.

—— De Usuris, Reditibus Vitalitiis, Censibus, Antichresi, Cambiis, Feneribusque Trajectitiis Juris Naturæ quorum minime differentiæ jus positivum Utriusque, Canonicum, & Civile ostenditur, Instructiones omnia Mathematico more, & modo pertractantur in 8. 1761. L. 1 10

Stephani (Pauli J. U. D. Sac. Theol. Professoris) De supremo Dogmaticis Episcoporum Judicis Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate opportune muniendis Theologico Canonica Dissertatio. Editio secunda. in 4. 1760. L. 4

Boschovich (P. Rogerii Josephi) De Solis ac Lunæ Defectibus lib. V. 8. 1761. Venetiis Juxta Exemplar Londini. L. 3 10

Barbaro (Antonio Tom.) Esposizione delle Litanie della B. V. M. in 12. 1759. L. 3

Volgarizzamento del Libro di S. Bernardo della Considerazione, mandato ad Eugenio III. ed ora tradotto in lingua Italiana. In 8. 1759 L. 2.

Ritiro di dieci giorni sopra i principali doveri de' Religiosi dell' uno e l' altro sesso, con una Parafrasi sopra la Prosa dello Spirito Santo, Opera di un Sacerdote Benedettino della Congreg. di S. Mauro, traslatata dalla Lingua Francese nella Italiana in 8. 1759. L. 2 10

Trattato sopra la coltivazione delle Viti, del modo di fare i Vini, e di governarli, tradotto dal Francese del Sig. Bidet in 8. Fig. 1761. seconda Edizione, ricorretta, ed accresciuta. L. 2 10

Gatti (Geminiano) Il Giovane Instruito ne' *Dogmi* Cattolici, e nella *Verità* della Religione Cristiana, e sua *Morale*, con i Principj della *Geografia*, della *Statica*, della *Filosofia*, e *Astronomia*, e colla spiegazione della *Teologia* de' Pagani 4. 1759. Tom. 2 L. 10

Algarotti, Co. Francesco, Lettere in Versi, edizione novissima ricorretta, ed accresciuta dall' Autore, in 12. 1759 L. 1

Avventure di Lilio Cagnolo Bolognese; Opera dilettevole, e Critica, tradotta dall' Inglese in 8. 1760. L. 1 10

Benetti, Santo, L' accorto Fattor di Villa o sia Osservazioni per il governo della Campagna con la maniera di coltivare gli Alberi da Frutto, ed altri Avvertimenti. in 8. 1762. seconda Edizione ricorretta, ed accresciuta. L. 1

Ragionamento sopra la Vocazione allo Stato Ecclesiastico di Monsig. Antonio Godeau, Vescovo, e Signor di Vence, trasportato dal Francese in Italiano, Aggiuntovi il Volgarizzamento della Lettera XXI. di S. Agostino a Valerio Vescovo d'Ippona. Seconda Edizione corretta, ed accresciuta in 8. 1762. L. 2 10

Teodoro, D. Giustiniano Pontefice-na, Lettere Erudite intorno a ciò, che deve sapersi, e praticarsi dagli Ecclesiastici sì Secolari, che Regolari in 8. vol. 2 1759. L. 2 10

Costantini, Avvocato Giuseppe Antonio, Il Disinganno dei Grandi,

di, e d'altre persone qualificate intorno ai loro doveri, esposti già a sola propria istruzione, dal fu Sua Altezza Monf. il Principe D. Armando di Coney del Sangue Reale di Francia, tradotti in Italiano, e Comentati sul gusto delle Lettere Critiche, in 8. vol. 2. 1760. L. 4

Maupertuis, Lettere Filosofiche tradotte dal Francese in 8. L. 1 10

Fleury, Claudii, Institutiones Juris Ecclesiastici cum notis *Bohemeri*, Editio quarta. in 4. *Juxta exemplar Lipsiæ*. L. 4

— Disciplina Populi Dei in Novo testamento ex Scriptoribus Sacris, & Prophanis collecta, curante R. P. Francisco Antonio Zacharia Soc. Jesu, Bibliothecæ Estensi Præfecto 4. Tom. 2. L. 10

— detto Discorsi sopra la Storia Ecclesiastica tradotti dal Francese, in 12 L. 3

Della Preservazione della salute dei Letterati, e Gente applicata, e sedentaria, Opera postuma di Giuseppe Antonio Pujati Pubblico Professor di Medicina Pratica nell Università di Padova in 8. L. 4

Notizie Storiche delle Apparizioni, ed Immagini più celebri di Maria Vergine, nella Città, e Dominio di Venezia, tratte da Documenti, Tradizioni, e antichi Codici delle Chiese, nelle quali esse Immagini sono Venerate, scritte da S. E. Flaminio Cornaro. in 12. L. 5 2

Ameloc (Mr de la Housaye) Riflessioni, Sentenze, e Massime Morali, illustrate con Note Istoriche, e Politiche, ed arricchite di Massime Cristiane in 8. 1762. L. 2 10

Della Colezione della Sera ne Giorni di Digiuno, delle Messe negli Oratorj Privati de Secolari, e delle Indulgenze Plenarie, Opuscoli 3 8 1761 L. 1

Elementi Generali dell Antica, e moderna Geografia ora per la prima volta tradotti dalla Favella Inglese 8 1762 Fig L. 4

Nuova Geografia per uso della più fresca Gioventù, accomodata alle recenti osservazioni fatte, ed agli ultimi ripartimenti stabiliti inseritivi molte succinte Erudizioni, per la maggior cognizione dei Paesi assai opportune 8. 1762. Fig L. 2 15

De Veteris Græcorum Musicæ in omnes Scientias usu, & Energia, 4. 1762. L. 2 2